
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
13 — L
7

DIDACI STVNICAE AVGVSTINIANI SALMANTICENSIS, SACRAE Theologiæ Magistri, in Zachariam Prophetam Commentaria.

QVIBVS TRES EIVS EDITIONES Vulgata, Latina, Hebræa, & Græca solerter explicantur, & præcepta vitæ cum virtute colendæ literaliter deducuntur.

HIS accessit Index copiosus rerum, & locorum sacræ scripturæ.

Ad PHILIPPVM II. Catholicum, Hispaniarum Regem.





CVM PRIVILEGIO.

Salmanticæ Excudebat Mathias Gastius.

M. D. LXXVII.

EL REY.

POR quanto por parte de vos el Maestro, fray Diego de çuñiga, de la orden de Sant Augustin, nos ha sido fecha relacion, que vos auiades compuesto dos libros, el vno de Vera Religione, contra todos los herejes modernos, y el otro Commentarios sobre Zacharias Propheta, los quales eran muy vtiles, y prouechosos, y nos supplicastes vos mandassemos dar licencia, para que vos, o quien vuestro poder ouiesse, y no otra persona alguna, pudiessedes imprimir, y vender los dichos libros por tiempo de veynte años, o como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los del nuestro consejo, y como enlos dichos libros se hizo la diligécia que la pragmatica, por nos agora nueuamente fecha dispone. Fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual vos damos licécia y facultad, a vos el dicho Maestro fray Diego de çuñiga, o a quié vuestro poder ouiere, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que se cuenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula, y no otra persona alguna pueda imprimir los dichos libros, y venderlos enestos nuestros Reynos, so pena que la persona, o personas que sin tener vuestro poder los imprimieren, o vendieren, o hizieren imprimir, o vender, o traxeren de fuera parte impressos, pierdan la impresion, y los moldes, y aparejos có que los hizieren, e incurran mas cada vno dellos en pena de treynta mil marauedis: la tercia parte para la persona que lo accusare, y la otra tercia parte para nuestra camara y fisco, y la otra tercia parte para el juez que lo sentéciare. Con tanto que todas las vezes que durante el dicho termino, los hizieredes imprimir despues de impressos los traygays a tassar al nuestro consejo, y corregirlos con el original que en el presentastes, que van rubricadas todas las hojas, y firmado al fin dellas de Iuan Fernandez de Herrera nuestro Escriuano de Camara de los que residen enel nuestro Consejo, y no los podays vender de otra manera: so pena de incurrir en las penas contenidas en las leyes, y pragmaticas de nuestros Reynos, y mandamos a los del nuestro consejo, Presidentes, e Oydores de las nuestras audiencias, Alcaldes, Alguaziles, y otras qualesquier justicias destos nuestros Reynos y Señorios, que os guarden y hagan guardar, y cumplir esta nuestra cedula, y lo en ella contenido, y contra su tenor y forma, no vayan ni passen en tiempo alguno, ni por ninguna manera. Fecha en Madrid a seys dias del mes de Mayo, de mil y quinientos y setenta y seys años.

YO EL REY.

Por mandado de su Magestad.


Antonio de Erasso.

IESVS.

EGO Alfonsus à Sandoual professor Theologiæ in hoc nostro Collegio societatis Iesu, vidi ex commißione Senatus Regij duo volumina à Reuerendo Admodum Patre Didaco Stunica Augustiniano edita. Vnum videlicet de Vera Religione in omnes sui temporis hæreticos, alterum in Zachariam prophetam, in quibus nihil reperi pietati & doctrinæ Christianæ dissonum: quin potius animaduerti scripta hæc ostendere satis aperte authorem pietatem cum singulari doctrina Physica & Theologica, cum acri & perspicua diuinarum literarum intelligentia summa dexteritate copulasse. Nam sanctum Zachariam prophetam alioqui difficillimũ præclare explicat & satis facilem reddit. Hæreticos item atque hæreses acerrime impugnat & refellit, interdum testimonijs sacris, quibus opportune semper vititur, quod ea recte intelligat, interdum rationibus è media Philosophia naturæ, ac morum petitis, vt in eius disputationibus, neque Physicarum disciplinarum, neque Theologicarum quæstionum, neque sacrorum voluminum intelligentia, aut vsus desideretur. Qua ex re fit vt vtilißima indicem Reipublicæ ipsius scripta, & dignißima quæ in lucem exeant.

Alfonsus à Sandoual
professor Theologiæ.

ALPHONSVS AYLLON EMERITVS LATINAE LINGVAE professor, & Rhetor Lectori. S.



V I sacros libros enarrandos suscipiunt, tria (vt ego iudico) præcipue efficere tenentur; vt & verborum vim interpretentur, & res dilucide explanent, & vtrumque ad nostram institutionem & profectum, diligenter accõmodent: ne suam magis gloriã quæsiuisse, quã legentium vtilitati consuluisse, scribentis studiũ videatur. Ideo enim diuina mãdata & leges exarantur, & tam multarum rerũ iam inde ab orbe condito gestarũ memoria, non solum per manus tradita, sed monumẽtis etiam literarum prodita est, vt quid sequi, aut quid contra declinare & cauere debeamus, inde facile discamus, quæ vniuersa in hoc volumine, noster Stunica cumulatissime mihi præstitisse videtur. Siquidẽ cum non paucæ sint in his scriptis voces adeo obscuræ & ambiguæ, vt non lectore (vt ille canit) sed Apolline indigere videãtur, ita dilucide explicãtur, vt valde nos in eis hæsitasse pudeat, quod eo maius est, quanto hæc vaticinia pluribus & eis exquisitis inuoluta tropis, & allegorijs circunscripta, quæ res multos magni nominis viros ad hæc commentaria edenda aggressos, non solum retardauit, sed in medio etiam cursu oneri succumbere fecit. Est enim vates hic, eruditorũ iudicio, maxime tectus, & totius veteris scripturæ difficillimus: & in quo enucleando non coniecturis & indicijs germanus sensus est indagandus, sed ex planis & certis sacrorum Bibliorum locis ex ipsius operis argumento & serie, denique ex ætate & annis in quibus hæc præsagia & oracula canebat, colligendus est & venandus. Quæ tanta hic efficiuntur perspicuitate, certitudine, arte & ingenio, vt contra qui sentiat, nihil sentire existimetur: adeo populariter plausibiliter & consentanee & cum tanta trium linguarum conuenientia & concordia omnia explanantur: vt alia aliam interpretari & illustrari dicas. Iam morum disciplinam & bene beateque viuendi rationem nihil à proposito excurrens: neque scripturæ loca in eam sententiam, quæ præter animum autoris longe sit, deflectens & trahens (quo in vicio plerique, qui sacras ad populum conciones habent, hærere consueuerunt) tractat: sed ita moderatur, vt is ipse locus eo tantum spectare: & eius rei de qua admonemur causa ab almo spiritu dictatus esse cognoscatur. Siquidem neque à verbis & oratione prophetæ latum vnguem interpres recedens mirabiles tibi tum Dei Optimi ac Maximi, tum religionis, tum honestarum


actionum quæ nos ad ipsum ducunt amores ingenerat, quæ si nobis nuda proponerentur, in magno erant habenda honore & pretio, vt pote sine quibus vita beata contingere non potest. Cum vero tanta verborum concinnitate & elegantia exornentur & eloquentiæ suauitate & quasi nectare condiantur, vt si semel librum hunc in manus sumas quasi Hercules Gallicus catena te aurea vinctum teneant: quanti facienda esse censes? Quare eos qui Theologiæ scolam intrant aut gerunt aut sacra mysteria & literas siue publice siue priuatim interpretantur, etiam atque etiam oro & hortor, vt in hæc commentaria tanquam in speculum & exemplum sacros scriptores interpretandi summo studio inspiciant: & nocturna diurnaque illa manu euoluant.

Bene Vale.



PHILIPPO II. CATHOLICO HISPANIARVM REGI,

Didacus Stunica Augustinianus. S. P. D.



VOD tam accurate, potentissime Rex, tantoque sumptu tot linguis libros sacrosanctos excudi iusseris, apertissime declarasti tuum erga literas sacras amorem, gratamque tibi eorum esse operam, qui ad hanc disciplinam maxime se applicuerint, cum tam singulare eis subsidium addideris. In quo ego studio cum multum operæ & laboris posuerim, nonnihil gratiæ me relaturum putaui si ex quotidianis prælectionibus meis hoc tibi munusculum concinnarem, quo Zachariam prophetarum omnium difficillimũ interpretor. Quod si meam tibi in hac re solertiam, & industriam probauero, expedita atque distincta Deo iuuante commentaria edam in vniuersos libros sacrosanctos: non alterius tantum vt plerique faciunt editionis ratione habita, sed tribus inter se collatis Hebræa, Latina, Vulgata, & Græca septuaginta interpretum, quæ præter cæteras magnam auctoritatem habent: quod hactenus nullus, præter Diuum Hieronymum, præstitit interpres. Ne eorum varietate tot tantæque, quantas his temporibus experimur diuinis oraculis tenebræ obducantur. Ita fiet vt beneficio tuo non solum varijs linguis sancti libri excusi exeant, sed etiam alicuius momenti harum variarum Linguarum Commentaria extent.

Vale Rex Potentissime.

PHILIPPO II. CATHOLICO HISPANIARVM REGI,

Didacus Stunica, Augustinianus. S. P. D.

QVOD tam accurate, potentissime Rex, tantoque sumptu tot linguis libros sacrosanctos excudi iusseris, apertissime declarasti tuum erga literas sacras amorem, gratamque tibi eorum esse operam, qui ad hanc disciplinam maxime se applicuerint, cum tam singulare eis subsidium addideris. In quo ego studio cum multum operae & laboris posuerim, non ab re gratae meae voluntatis putaui si ex quotidianis praelectionibus meis hoc tibi munusculum concinnarem, quo Zachariam prophetarum omnium difficillimũ interpretor. Quod si meam tibi in hac re solertiam, & industriam probauero, expedita atque distincta Deo iuuante commentaria edam in vniuersos libros sacrosanctos: non alterius tantum vt plerique faciunt editionis ratione habita, sed trium inter se collatis Hebraea, Latina, Vulgata, & Graeca septuaginta interpretum, quae praeter caeteras magnam auctoritatem habent: quod hactenus nullus, praeter Diuum Hieronymum, praestitit interpres. Ne eorum varietate tot tantaeque, quantas his temporibus experimur diuinis oraculis tenebrae obducantur. Ita fiet vt beneficio tuo non solum varijs linguis sancti libri excusi exeant, sed etiam alicuius momenti harum variarum Linguarum Commentaria extent.

Vale Rex Potentissime.



DIDACI STVNICAE AVGVSTINIANI IN ZACHARIAM PROPHETAM COMMENTARIA.

Ad Philippum II. Catholicum Hispaniarum Regem.

PROLEGOMENA.



Zacharias cur iucundus Propheta sit.

Achariã aggredior, iucundum illum quidé, sed valde difficilem Prophetam. Iucundus auté est; quoniam multa de Christo, multa de eius Ecclesia, & promulgatione Euangelij tanta solertia ẹnuntiat, vt historiã potiùs scribere, quàm vaticiniũ reddere videatur.

Zacharias cur difficilis propheta sit.

Difficultas vel ex eo cognoscitur, ꝙ Hebrẹi eius obscuritate deterriti, prophetiæ donum (quod adeò in illo populo floruerat) eláguisse iam Zachariæ téporibus, & propinquũ interitũ tãta ipsius difficultate minâsse iudicarét. In quo non malè loquuntur: fuit enim Zacharias aut vltimus, aut omniũ saltem Prophetarũ veteris instruméti penè vltimus.

Zacharias fuit aut vltimus, aut omnium prophetarum penè vltimus.

Non enim certũ, & exploratum est, quo tempore Malachias, qui vltimo loco in Prophetis numeratur, vaticiniũ ediderit.

Quot annis post Zachariã caruerit vero Propheta populus.

Caruit autem populus ille post Zachariæ tépora Propheta vero per quadringentos annos, plus minusve. Id enim interualli inter Zachariam, & Christũ interiectum est, quem omnium prophetarum dicta, & vniuersum vetus instrumentum expectabat. Sed vt meliùs quãta huius prophetæ obscuritas sit intelligatur, & quo pacto prophetiæ donum, nascente, & incipiéte populo Iudaico excellentissimũ, abierit in deteriùs vsque ad Zachariam, cuius temporibus cessauit vsque ad Christum seruatorem; à quo ita fuit illustratum, vt nihil ampliùs desiderandum reliquerit: rem longiùs repetentes pauca disseramus oportet de prophetiæ excellentia; vt ex hoc facilè cognoscatur, quis propheta in hoc genere cæteris præstiterit, quis verò inferior fuerit.

In quo posita sit prophetiæ excellentia.

Eò verò magis propheta præstat, quò Deo in excipiendis oraculis magis familiariter vtitur. Is verò familiariùs vtitur, cui spiritualiùs responsa dantur. id est signis ijs, quæ magis ad eam hominis partem, quæ corporis est expers, pertineant.

Quid sit spiritualiùs responsa dari.

Quare cùm Deus quidpiam Prophetæ prædicit nullo proposito ænigmate, nulla re imaginaria adhibita; sed verbis modò vtitur, quibus amici inter se communicare solét; præstat hu-

iusmodi ꝓpheta, & excellit. Magnus enim vsus, magna familiaritas tali prophetæ cũ Deo intercedit, nihil ei corpore, nihil voce opus est. Animus enim, & spiritus eius solùm his rebus pulsari potest. Quarè clarè, & expressè ei mādata dātur; nec adeò difficiles eius prophetia habet explicatus.

Quæ prophetia mutta difficiles habet explicatus.

Sin autē è cōtrario; Deus oracula sua prophetę significet ænigmate aliquo, aut allegoria vtēs, ita vt imagines rerũ, nō res ipsas proponat: huiusmodi prophetia nō ita excellit.

Quæ prophetia non ita excellat.

Nō enim admodùm familiaris vsus tali vati cũ Deo est: siquidem non ita amici inter se loquũtur, cùm de re aliqua cōmunicāt. Quare huiusmodi vates corpore nimiũ indiget, vt oracula huiuscemodi percipiat. Nā species ei animi vi; quæ imagines excipit, obijciũtur: quæ corporis quidē est particeps. Quamobrē huiusmodi vaticiniũ adeò obscurũ, & difficile esse solet, vt Daniel duodecimo capite ingenuè fateatur, Ego audiui, (inquiens) & nō intellexi: eiq; angelus ab eo rogatus respōdeat: Clausi sunt, signatiq; sermones vsq; ad præfinitũ tēpus.

Quæ prophetia valde obscura sit.

Danie. 12. c.

Sed ea quæ ꝓposita sunt, exēplis facilè docētur. Ezechieli Deus ostendit futurā Ierusalē euersionē, eò ꝙ Christũ, & eius Euāgeliũ respuerit: magnāq; futurā Iudæorũ cædē: paucos verò seruandos, eò ꝙ Christũ fuerint secuti. Sed hoc ita ei demōstratũ est; Ecce sex viri veniebāt, &c. Hęc rei imago, ad eam corporis partē, in qua imagines imprimũtur, spectat, quæ si ne corpore nō cōstat.

Ezechielis obscura prophetia.

Ezec. 9.

Sed idipsum illustriùs multò, atq; planiùs omni sublato ænigmate, & imaginaria re Esaiæ prædicitur; Ecce dominus dissipabit terrā, &c. quę omnia si amico quispiā narraret, non aptiùs diceret, non illustrioribus sentētijs, non maiori verbo rũ pōdere vteretur.

Esaia facilis & illustris prophetia.

Esa. 24. a.

Quid? Christi vulnera nonne clariùs, quàm à nonnullis Euangelistis à Dauide narrātur? Foderunt (inquit) manus meas, & pedes meos: at tres Euangelistæ nullā de manibus, & pedibus confossis mentionē fecerũt.

Christi vulnera clarius quàm à nonnullis Euangelistis à Dauide narrātur.

Psal. 21.

Hæc eadē seruatoris vulnera propheta, quē in manibus habemus, præuidit: sed quàm obscurè atq; confusè propter allegoriā! Ecce lapis (ait) quē dedi corā Iesu, &c. Ecce ego cælabo sculpturā eius, ait Dominus exercituũ.

Christi vulnera obscurissime Zacharia proponuntur.

Zach. 3. d.

Quare rectè S. Thomas Moysem, & Dauidem excellētissimos omniũ vatũ veteris instrumenti iudicat. Moyses enim nō per ænigmata, & allegorias: sed simpliciter, & planè legē vniuersam accepit. Deniq; de ipso dicitur; Loquebatur Dominus cũ Moyse facie ad faciē: sicut amicus loqui solet cũ amico.

Moysem, & Dauid omnium prophetarum veteris instrumenti præstātissimos esse.

Num. 12.

Quantùm verò Dauid præstiterit, ex eius Psalmis licet cognoscere: in quibus nihil ænigmatis est; nulla corporis imagine eius animus pulsatur: sed omnia familiarissimè, & humanissimè ei à Deo proposita, atq; dictata sunt. Itaque hoc pacto responsa principiò dabantur, id est, planè, & perspicuè: Sed cùm populus nihilò melior tāto beneficio fieret; temporibus Esaiæ delitescere, & se cœpit Deus subducere, neq; ita familiariter; sed imagines obijciēdo loquebatur; vt capite Esaiæ. 20. videre est: quo ipse narrat, vestibus omnibus, & calceis exutũ eũ Deũ ingredi iussisse; quod in visione prophetica pleriq; factũ esse putāt: vt ex hoc intelligeret, AEgyptũ, & AEthiopiā diripiendā, & spoliādam esse; quò desineret Iudæi eorum rebus fidētes esse.

Quo tempore cœperit Deus non ita clarè loqui cũ prophetis.

Esa. 20.

Et Oseæ, Esaiæ æquali, obiecta etiā est imago illa, qua videbatur ei vxorē fornicariā ducere, quò significabatur populũ à Deo, cui tanquam

Oseæ. 1.

quã ſponſa fidẽ dederat, ad Idola defeciſſe:& ob eam rẽ ſponſam aliã fornicariã, id eſt, gẽtiũ populũ ſibi à Deo adiũgẽdã eſſe. Hos ſecut' eſt Ieremias, cui plures imagines propoſitæ ſunt, virgæ vigilãtis, ollæ ſuccenſæ, calathi ficorũ, emptionis agri Hanameel. Poſtea vaticinatus eſt Ezechiel, qui obſcuriſsimarũ allegoriarũ plenus eſt. Cuius rei vel illa primi, & decimi capitis nunquã ſatis explicata imago illorũ quatuor animaliũ teſtimoniũ eſſe poteſt:& illa tẽpli, & vrbis futurę forma, quã omnes interpretes fatẽtur nõ ſatis intelligere. Eius ferè æqualis fuit Daniel, qui totus ſcatet ænigmatis, & allegorijs. Tãdẽ ꝓpheta noſter, poſtquã in patriã Iudæi Babylonia poſtliminio redière, vaticiniũ edidit: qui nihil ferè primis ſex capitibus ſine ænigmate loquitur: nihil ei Deus niſi imagine aliqua ꝓpoſita declarat: quapropter obſcuriſsimus eſt: nec malè ex hoc Hebręi opinãtur inſtare vaticinij finẽ. Deus enĩ Opti. Max. qui ſuauiter (teſte Sapiẽte) omnia diſponit; nõ de repentè, ſed ſenſim, ſicut Sol in orbe terrarũ occultare ſe voluit, tenebriſq; omnia circunfundere, quò illuſtriùs, & clariùs ſe Chriſti temporibus aperiret.

Zacharias cur ſit obſcurus.

Cur Zachariæ obſcuritas inſtare vaticinij finẽ minabatur.

Seipſum mũdi lucem Chriſtus appellat. Vt igitur tanta, tãq; diuina lux gratior eſſet mũdo, maioriq; ea hominũ genus ſtudio frueretur; nox tã longa orbi terrarũ offuſa eſt, vt illud Eſaiæ, quod Matthæus citat, omni ex parte verum ſit; Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucẽ magnã: ſedẽtibus in tenebris, & in vmbra mortis lux orta eſt eis. Et quãta lux? nẽpe tãta vt nõ ſolùm ꝓphetæ, ſed vulgò homines docerẽtur à Deo viuo, & vero: idq; longe familiariùs quàm propheta vllus veteris inſtrumẽti. Hoc fuit (vt Chriſtus ipſe teſtatur) quod prædixẽre ꝓphetę, Erũt omnes docibiles Dei.

Ioan.8. Matt.4.

Quam illuſtris prophetia téporibus Chriſti fuerit.

Similitudo ad declarandum, quo pacto Deus deſiſtere cœperit téporibus Eſaiæ, & rurſus téporibus Chriſti illuſtri doctrina orbem terrarum impleuerit.

Ioan.6.

Cuius rei pulchra mihi videtur ſimilitudo illud, quod .3. Reg. narratur: nubeculã paruã quaſi veſtigiũ hominis aſcendiſſe de mari; deinde cœlos omnes tenebris obſitos eſſe, factãq; fuiſſe pluuiã grandẽ, quę terram per multos annos arentem irrigauit. Ita vaticinãte Eſaia orta illa eſt nubecula: in toto enim Eſaia non niſi leue illud ænigma legitur, quãdo nudus (vt dixi) ingreſſus eſt. Poſtea coactæ ſunt multæ nubes, cùm vaticinaretur Zacharias; qui nihil ferè niſi per allegoriã dicit. Cõtenebrati ſunt deinde cœli ceſſante vaticinio, ac tandẽ pluuia cõſecuta eſt, id eſt, Euãgeliũ Chriſti, quod terrã arẽtẽ, nulloſq; ferè fructus ferentẽ irrigauit. De ipſo enim Dauid vaticinatur; Deſcẽdet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillãtia ſuper terram.

3.Reg.18.

Pſal.71.

PROPHETIA
Zachariæ. Cap. I.

1 *IN menſe octauo in anno ſecun-* A
do Darij factum eſt verbũ Do-
mini ad Zachariam filium Barachiæ
filij Addo prophetam, dicens.
2 *Iratus eſt Dominus ſuper patres*
veſtros iracundia.
3 *Et dices ad eos, Hæc dicit Domi-*
nus exercituũ: Conuertimini ad me,
ait Dominus exercituũ. & cõuertar
ad vos, dicit Dominus exercituum.
4 *Ne ſitis ſicut patres veſtri, ad quos*
clamabant prophetæ priores, dicẽtes,
Hæc dicit Dñs exercituũ, Conuertimi
ni de vijs veſtris malis, & de cogita-
tionibus veſtris peſſimis: & nõ audie-
rũt, neq; attẽderũt ad me, dicit Dñs.

5 Patres vestri vbi sunt? & prophe
tæ nunquid in sempiternum viuent?
B 6 Veruntamen verba mea, & legi-
tima mea, quæ mandaui seruis meis
prophetis, nunquid non comprehende
runt patres vestros? & conuersi sunt,
& dixerunt, Sicut cogitauit Domi-
nus exercituum facere nobis secun-
dum vias nostras, & secundum adin
uentiones nostras fecit nobis.
7 In die vicesima & quarta vndeci
mi mensis Sabath. in anno secũdo Da
rij, factum est verbũ Domini ad Za
chariam filium Barachiæ filij Addo
prophetam, dicens.
8 Vidi per noctem, & ecce vir ascẽ
dens super equum rufum, & ipse sta-
bat inter myrteta quæ erant in pro-
fundo: & post eum equi rufi, varij, &
albi.
9 Et dixi, Quid sunt isti Domine
mi? & dixit ad me angelus qui loque
batur in me, Ego ostendam tibi quid
sint hæc.
10 Et respondit vir qui stabat inter
myrteta, & dixit, Isti sunt quos misit
Dominus, vt perambulent terram.
11 Et responderunt angelo Domini,
qui stabat inter myrteta, & dixerũt:
C Perambulauimus terrã, & ecce om-
nis terra habitatur, & quiescit.
12 Et respondit angelus Domini: &
dixit, Domine exercituum vsquequo
tu non misereberis Ierusalem & vr-
bium Iuda, quibus iratus es, iste iam
septuagesimus annus est?
13 Et respõdit Dominus angelo qui
loquebatur in me verba bona, verba
consolatoria.
14 Et dixit ad me Angelus qui lo-
quebatur in me, Clama dicens, Hæc
dicit Dominus exercituum, Zela-
tus sum Ierusalẽ & Siõ zelo magno.
15 Et ira magna ego irascor super
gentes opulẽtas, quia ego iratus sum
parum, ipsi verò adiuuerunt in malũ.
16 Propterea hæc dicit Dominus, re
uertar ad Ierusalem in misericordijs:
domus mea ædificabitur in ea, ait Do
minus exercituum: & perpẽdiculum
extendetur super Ierusalem.
17 Adhuc clama dicens, Hæc dicit
Dominus exercituũ, Adhuc affluent
ciuitates meæ bonis: & consolabitur
adhuc Dominus Sion, & eliget ad-
huc Ierusalem.
18 Et leuaui oculos meos, & vidi: & D
ecce quatuor cornua.
19 Et dixi ad angelum qui loqueba-
tur in me. Quid sunt hæc? Et dixit ad
me, Hæc sunt cornua quæ ventilaue-
runt Iudam, & Israel, & Ierusalem.
20 Et ostendit mihi Dominus qua-
tuor fabros.
21 Et dixi, Quid isti veniunt facere?
Qui ait, dicens, Hæc sunt cornua quæ
ventilauerunt Iudam per singulos vi
ros, & nemo eorum leuauit caput
suum: & venerunt isti deterrere ea,
vt deijciant cornua gentium, quæ le-
uauerunt cornu super terram Iuda
vt dispergerent eam.

IAm ad prophetam nostrũ accedamus: qui primò ponit tẽpus, quo vaticinatus est, id quod reliquis prophetis familiare est, quo illustrior fiat prophetia, & in quę tempora pręcipuè quadret, intelligamus. Quare ad intelligẽdum vnũquemq; prophetam vtile erit sui temporis historiam in manibus habere. Quæ verò ad nostrum attinet prophetam ab Esdra libr. 1. narratur.

Cur prophetæ solẽãt, quo tempore vaticinium ediderint, exponere.

In mense octauo. id est, mense Octobri: carent enim Hebræi nominibus proprijs mensium: sed primo, secundo, & tertio, & deinceps vsq; ad duodecimum, duodecim menses distinguunt. Primũ vocãt eũ, qui maiori ex parte Martio nostro respondet. Hoc enim mẽse captiuitatẽ Aegyptiacam Deo assertore repulerunt. Sic dicitur in Exod. Mensis iste principium mensiũ vobis: primus erit in mensibus anni. Cùm igitur mensis primus sit Martius, octauus ab eo erit October. Sed quia mẽsis primus partem capit Aprilis; ideo mẽsis octauus partẽ etiã capit à Nouẽbri. Hæc autẽ Hebræorũ mensium cum nostris confusio, eò maior, vel minor est, quò annus eorũ intercalaris propiùs, vel longiùs abfuerit. Nomina verò mensium Hebræorũ quæ circunferũtur, nõ Hebraica, sed Chaldaica sunt: & ideo nõ reperiũtur nisi in auctoribus ijs, qui post captiuitatẽ Babylonicam scripserunt: qualis noster propheta est.

Quis scripserit historiam temporis quo vaticinatus est Zacharias.

Hebræi carẽt nominibus mensium.

Quis primus fuerit mensis apud Hebræos.

Exod. 12. c.

Vnde maior vel minor cõfusio mẽsium Hebræorum cum nostris oriatur.

Anno (inquit) *secundo Darij Regis.* Non satis constat inter interpretes, cuius nam filius Darius fuerit. Diuus Hieronymus Iustinum historiographum, & Iosephum secutus dicit, Hystaspis fuisse filiũ. Liranus Hebręis historiographis, & interpretibus adhærens, dicit Assueri, qui & Cambyses, & Artaxerxes appellatur, & Ester fuisse filium: ob eamq; rem facultatẽ vrbis, & templi restaurandi Hebræis præbuisse; & in eos benignum, & beneficũ extitisse: quòd Hebræa, & sanctissima matre Ester natus fuisset. Sed conuenit inter omnes hunc esse Darium illum, qui à septem familijs delectus post interfectos Magos, qui regnum Babylonicum occupârant, regnauit. Cuius rei historiam narrat Iustinus in fine libri primi.

Cuius filius Darius fuerit.

Hieronymus

Liranus.

Iustinus historicus.

Factum est verbum Domini. Quod summam fidem eius vaticinio conciliat. Non enim hominum, qui sunt natura mendaces: sed Dei, qui neque fallere, neque falli potest, verba sunt. Sed quanta dignitas, quantaque auctoritas in Dei Opti. Max. verbis sit; quanta fides, quantaque reuerentia aduersus dicta eius nobis adhibenda sit; demõstrat optimè ipsa oratio, Verbum Domini; si in Hebraico fonte legatur. Est enim in Hebræo loco illius vocis latinæ Domini; יהוה *iehoua*; quod propriũ nomen Dei est. Significat enim id, quod natura est: quod ad Deum tantùm spectat: reliquæ enim res aliquando non fuerũt, & ideo propria earum ratio, atq; natura, vt sint, minimè postulat. Deus autem quòd semper natura sit, præstabit id, quod dicit. Semper enim eius dicta cõstent necesse est. Si enim verba Dei sunt, Dei habent naturã. Nam nihil in Deo est, quod non eandẽ, quam Deus ipse vim habeat. Et hac de causa apud Matthæum Deus ipse dicit, Coelum, & terra transibũt, verba autem mea non præteribunt. id est, faciliùs res omnes, quæ coeli, terræq; ambitu comprehẽduntur, interibunt, & esse desinent, quàm verba mea. Quod enim res illæ

Quanta fides verbis Dei adhibẽda sit.

Proprium nomẽ Dei quid contineat.

Cur Deus præstet semper quæ dicit.

Mat. 24.

non ſint, mirum non eſt; quippe quæ aliquando non fuerunt: neque enim quod ſemper ſint, earum natura requirit: at verba mea nũquam non fuerunt: ſiquidem verba Dei, eius ſcientiam, & cognitionem continent: quę ſicut Deus ipſe, ęterna eſt. Homo verò ea de cauſa valde mẽdax eſt, quòd mortalis natura ſit; & ob eam rem, quod dicit ſemper præſtare non poteſt. Quod elegãter vno Hebræo verbo declarauit Dauid dicens, Omnis homo mendax. Siquidem Hebraicè eſt כּוֹזֵב *cozeb* ſignificat autem כָּזַב *cazab* deficere, vt Eſaię quinquageſimo octauo, verſu vndecimo non יְכַזְּבוּ *iecazbu* & aquæ eius non deficient; ita vertit vulgatus, & ſeptuaginta interpretes ἐκλείψει. At Deus ſemper vera dicit. Nam eſt יְהוָה *iehoua* id eſt, quod ſua natura extat. Ex quo intelligetis locũ illũ valde difficilẽ Exodi: Qui apparui Abrahã, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotẽte, & nomẽ meum Adonai non indicaui eis. Loco Adonai in Hebræo eſt יְהוָה *iehoua*, cuius loco proferũt Hebręi Adonai quoties in ſcriptura ponitur יְהוָה *iehoua*, quod habeatur ab eis ineffabile. quos in hoc loco noſter interpres ſequi voluit. Dicit igitur, antè me omnipotẽtẽ, victorẽ & fortẽ, & cui nemo reſiſtere poſſet, oſtẽdi: (hęc enim ſignificat שַׁדַּי *ſadai* quod loco omnipotentis in Hebræo ponitur) imo qui omnes aduerſarios meos diluuio, & multis alijs modis perdidi, atque miſerè necaui. at nomen meũ יְהוָה *iehoua* id eſt, me ſemper ſtare promiſsis, & præſtare quæ dixero, nõ ita vnquam, vt nũc declaraui. Nam mox ſequitur: Pepigi fœdus cum eis, vt darem eis terram Canaam, quod re modò complebo, vt ſciatis me ſemper vera dicere, vt nomen יְהוָה *iehoua* præ ſe fert. Qua fortè omnibus bene ponderatis nullã meliorem expoſitionem reperietis, & quæ magis cum hiſtoria atque contextu cohęreat, licet multę à multis reddantur. Vt igitur nobis ſacroſancti ſcriptores veriſsima eſſe quæ narrant, ſignificent, verba Domini eſſe dicũt: & cùm millies huiuſmodi oratio in ſcriptura ſancta repetatur, ſexcentaque nomina Dei habeãt Hebræi, ſemper in Hebræo nomen illud tetragrãmaton, de quo dixi, eſt. Habet enim vim, & pondus ſingulare ad hoc ſignificandum. Nihil verò eſt quod impios, & ſceleratos homines magis terreat. Nam velle ipſi videntur, dum ſcelerati ſunt, falſa Dei verba, falſaſque minas eius eſſe. Contrà verò nihil eſt, quod viros bonos magis delectet, & in aduerſa fortuna confirmet, quàm quòd Deus, cui viri confidunt, vera ſemper, & quæ fallere non poſſunt, prędicet. Scio cui credidi, & certus ſum dicebat Paulus. Sequitur in Propheta.

Cur ſit homo mendax.
Pſal. 114.
Locus pſalmi accuratè exponitur.
Eſa. 58. c.
Iehoua.
Exod. 6. a.
Locus Exodi valde difficilis accuratè exponitur.
Cur nomen iehoua in illa ſcripturæ oratione verbũ Domini ſemper ponatur.
Vehementer terret impios & pios conſolatur quod vera ſemper verba Dei ſint.
2. Timo. 1.

Ad Zachariam filium Barachiæ. Nõ placet Hieronymo, in cõmentarijs in Matthęũ, hunc eſſe Zachariam, cuius Chriſtus meminit apud Matthæũ dicens; Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtorũ, qui effuſus eſt ſuper terrã, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinẽ Zachariæ filij Barachię, quẽ occidiſtis inter tẽplũ, & altare. Nam tẽporibus Zachariæ (vt Hieronymus ait) cùm templum nondum eſſet inſtauratum, non conuenit in illum, occiſum eſſe inter templum, & altare. At Eſdræ tertio capite narratur, ſimul atque in Ieruſalem regnante Cyro redierunt Iudæi, altare in baſibus ſuis eos collocáſſe; ſacrificiumq; veſperè, & manè veteri inſtituto feciſſe, atque adeò templum eſſe fundatum,

Matt. 23.
Cur non placeat Hieronymo noſtrum prophetã eſſe Zachariã illum de quo Chriſtus mẽtionem facit.
Eſdræ. c. 3.
Erant temporibus Zachariæ templum & altare in manibus dicatum.

magna-

magnaque populi lætitia dedicatum. Licet ergo templum vaticinante Zacharia nondum esset perfectum, tamen nihilominus erant, quæ templi, & altaris nominibus vocarétur. Nam decem, & nouem annos minimùm post hanc dedicationem Zacharias cœpit vaticinari, vt illud constare possit, inter templum, & altare fuisse interfectum. Præsertim quòd licet ex scriptura probetur, templo non fuisse extremam manum impositã, cùm primùm munus suum noster vates obire cœperit: at verò quando mortuus est, idem ipsum nó constat: imo valde est verisimile superstite Zacharia operi iam pridem inchoato fastigium esse impositum. Cui rei magno indicio est, quod Esdræ sexto capite legitur, completum fuisse templum anno sexto Darij. Cùm ergo vaticinari cœperit Zacharias anno secundo, vt hic ipse dicit, valde probabile est, quatuor annos postquam vaticinari cœperit, vixisse. Quare illud D. Hieronymi argumentum, minimè nolentem cogit in eius ire sententiam: præsertim quòd in Zachariam filium Ioiadæ non conueniunt Seruatoris nostri dicta; licet ea Hieronymus accommodare nitatur. Primùm; quia Christus dicit Zachariam filium Barachiæ: at de quo Hieronymus dici putat, non est filius Barachiæ, sed filius Ioiadæ. Euangelium vero Nazaræorum, quod citat Hieronymus, in quo Ioiadæ legitur, non probat Ecclesia. Deinde Christus ait; Vt veniat super vos sanguis prophetarum; qui effusus est, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinem Zachariæ filium Barachiæ. Qua dicendi ratione, vt omnes iustos homines à Iudæis necatos comprehéderet; primum, & vltimum posuisse videtur. At Zacharias filius Ioiadæ non solùm non fuit vltimus prophetarum; verùm etiam fuit primus eorum, qui interfecti putantur. Nam fuit ante Esaiam, & Ieremiam, & alios quorum libri extant. Quæ omnia in prophetam nostrũ conueniunt: nam & est filius Barachiæ, & omnium prophetarum vltimus, aut saltem penè vltimus. Quare cum bona venia tanti viri, opinor prophetam nostrũ esse illum, de quo Christus mentionem fecit. Nam quòd alij Zachariã, de quo Christus loquitur, patrem Ioãnis Baptistæ esse narrãt, quem à Iudæis asserũt interfectum fuisse, quòd matrem Christi sacrosanctam Virginem mansisse post partum publicè dixerit; Hieronymus apocryphorum somnia esse scribit. Quare in sententia nostra maneamus. Ex quo intelligi licet, quã eximius vir noster propheta fuerit, qui martyrij palmam sit consecutus. Quocirca illud imprimis ex hoc loco animaduertẽdum duco, quanti fieri debeat verbum Dei; quod tantorum virorum, atque adeo filij Dei sanguine constat. Vt cæteras eius excellẽtias omittamus, vel hæc vna illud nobis ita commẽdare deberet, vt nihil charius, nihil antiquiùs nobis esset; vt semper illud in manibus, vel in intimis potiùs visceribus haberemus; quòd Deus ipse, vnà cũ tam eximijs, egregijsque viris pro illo defendẽdo opes omnes, huius seculi famam, atq; vitam profundere nó dubitãrit. Erat concionãdi munus superioribus temporibus grauissimum, erat summæ, & heroicæ virtutis experimentũ: concionatoribus custodia gregis Dei mãdabatur, lupos arcebant, nefarijs hominibus, atque vniuerso mundo terrori erant: veri quidem Christi milites,

Valde verisimile est temporibus Zachariæ templũ fuisse absolutum.

Esdræ. 6. c.

In Zachariã filiũ Ioiadæ nõ conueniũt Seruatoris dicta.

Noster propheta est ille Zacharias, de quo loquitur Christus.

Quid maximè verbum Dei nobis cõmendare debeat.

Quàm graue fuerit olim concionandi munus

tes, Ecclesiæ propugnatores; qui solo verbo, & oratione, ardua, & periculosissima bella gerentes nullis neq; Regibus truculentissimis, neque Imperatoribus crudelissimis cesserunt. At ætate nostra non virtutis experimentum est; sed ambitionis nutrimẽtum: non tanquam canes alienos homines terrent, sed tanquam mimi hominum opinioni studet. Strenui illi magistri paucis discipulis contenti erãt: at isti extremum esse malum opinantur, si imperita multitudo ad eorum conciones non conuolet. Quare non istorum, sed illorum exemplum vobis ad imitãdum debetis proponere.

Temporibus nostris quantam amiserit dignitatẽ concionandi munus.

Filij Addo prophetam. Addo, & Barachiam, prophetas fuisse Hieronymus, & Hebræi existimant. Addo autem existimat D. Hieronymus esse prophetam illum, qui missus est ad Ieroboam sacra idolis facientẽ: quod auctoritate Hieronymi defẽdi potest: cæterùm nulla coniectura ex sacris literis sumi potest: nam ille propheta proprio nomine non appellatur. Sed vt sententia Hieronymi probabiliter defendatur, filius pro nepote debet vsurpari: nam inter illum, & nostrum prophetam, plùs minùs quadringentorum quadraginta quatuor annorum spatium interiectum est. Fit etiam in Paralypomenis mentio Addo prophetę; qui an idem, qui hic sit, pro certo non habetur.

Addo quem prophetã Hieronymus esse putet.

3. Reg. 13. a

2. Paral. 12.
2. Paral. 13.

Posita prophetię inscriptione iam propheta verbis Dei loqui cum populo incipit. estque in Græca, & Hebræa editione, dicens, אמר *omer* λέγων, quod in vulgata non est, sed facilè intelligitur, quæ sequuntur à propheta dici. Quoniam verò in ędificãdo templo, & vrbe muris cingenda, nimis socordes, & negligentes erant, singuli suis ædibus construẽdis occupati; de qua re eos Aggæus verbis Dei obiurgat; alijs etiam criminibus, quæ ab Esdra narrãtur, erãt contaminati, quibus ab se Deum alienauerãt: primùm eis suadet, vt flagitia deponant, in Deique amicitiam redeát. Hãc enim animi culturam adhibere oportet, vt ex diuinis oraculis fructũ percipiamus: hac quidem diligentia illa terra paratur, quæ trigesimum fructũ, vel centesimum reddit. Ob eamque causam Deus Ieremiæ dicit, cùm ei munus prophetæ dedit; Ecce constitui te hodiè super gẽtes, & super regna, vt euellas, & destruas, disperdas, & dissipes, ædifices, & plãtes. Priùs enim vitia cõuellenda sunt, quàm virtutes plantandæ; & vt pulchrè in hoc loco Hieronymus notat; quater id, quod ad vitia extirpanda pertinet; posuit; vt euellas, & destruas, disperdas, dissipes; quæ eodem spectãt: bis autem modò posuit, quod attinet ad virtutem suadendam; vt ædifices; & plantes. Ex quo intelligitur, viris concionatoribus, maiorem operam in sceleribus arguendis, flagitijsq; increpandis esse ponẽdam, quàm in officijs & suadendis, & exponendis. Nam in exprobrãdis, reprehendendisque criminibus, exagitandisq; flagitiosis hominibus, tota ferè huius muneris difficultas, & magnitudo est: hinc offensionem, odium, inuidiam, maleuolẽtiã concionatores suscipiunt: hinc minæ iactantur, formidines opponũtur: hinc pericula, cædesque indignissimæ constantur. Hac de causa Zacharias filius Ioiadæ Rege iubente, à populi cõcursu lapidibus obrutus est. Hac de causa multi prophetæ, omnes ad vnum Apostoli, multique discipuli interfecti; Seruator denique ipse crudelissima

Aggæus. 1.

Matt. 13. a.
Luc. 8. a.
Ierem. 1. b.

Qua ratione parentur animi ut ex verbo Dei fructum capiãt.

Maiorẽ operam concionatori esse ponẽdam in flagitijs increpandis quàm in officijs suadendis.

In quo concionandi magnitudo sit.

2. Par. 24. c.

ma,& ignominiosissima morte multatus est. Quod verò de populo docendo dico, idem de sua vita ab vno quoque instituenda intelligi volo, vt priùs de vitijs conuellendis, quàm de virtute augenda cogitet: id quod docet Dauid Psalmo primo dicens; Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum. &c. Sed in lege Domini fuit voluntas. &c. priùs quod erat auferendum, quàm quod erat præstandum posuit. Vt igitur propheta noster populi animos ad Dei cultum à vitæ prauitate conuerteret, primò eis pœnas,& supplicia, quæ peccatores manent, proponit. Nulla enim salubrior medicina iniquis hominibus afferri potest; quàm supplicij cómemoratio. Est enim quasi quidam chirurgi gladius, quo putrida caro præciditur; qua non sublata, frustrà alia adhibentur remedia. Cùm enim apparentis boni cupiditate allecti libidinem sequantur; si malum latens cognouerint; se fortasse continebunt: ablactantur enim pueri, si re aliqua aut horrida, aut amara vbera inficiantur. Ait ergo vates.

Quæ medicina sit iniquis hominibus saluberrima.

Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. Verbum Hebræum est קצף *quezeph.* quod significat nimiũ irasci, feruere,& iracundia ferri. præter hoc, phrasis illa, irasci iracundia, Hebraica est, qua etiam ira nimia significatur: quam vt in Græcum conuerterent Septuaginta, posuũt ὠργίσθη ὀργὴν μεγάλην iratus est iracũdia magna. Videte (inquit) quas iras Dei Opti. Max. subière ob flagitia sua parentes vestri; & intelligite (credite mihi) easdem in vos esse inferendas, nisi peccata corrigatis: agri eorum vastati sunt, ciuitates deletæ, vrbs opulẽtissima,& frequentissima diruta, & solo æquata; templum excellentissimum corruit, quod sedes Dei erat, quam admirabatur orbis terrarum; in qua spem maximam subsidij sui maiores vestri ponebant dicẽtes, vt Ieremias narrat; Tẽplum domini, templum domini est. id est, Deus ipse nobiscũ habitat, domum suam apud nos habet; ipse ne domum suam hostes perdant, nos omnes defendet. animaduertite eos spe sua frustratos esse: nam & templum deiectum,& subuersum est mirabili opere fabricatum; vasa pretiosè cælata Babyloniam asportata: homines innumerabiles gladio, fame, peste necati sunt; aut captiui abducti, in hostiũ potestate per septuaginta annos detenti; Regum filij acerbissima sunt morte absumpti; Reges contumeliosissimè tractati alij de gradu deijciebãtur, alijs oculi eruebãtur, alij æternis tenebris vinculis mandabãtur. Siquidem nullæ spes firmæ, certæque sunt, nisi quę in bona,& studiosa vita cum Dei ope coniuncta collocantur. & ideo illis Ieremias dicit: Bonas facite vias vestras,& studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto; & nolite confidere in verbis mendacij dicentes, templum Domini, idest, nolite putare quod vestri tẽpli amore captus apud vos habito. Quid enim mihi domo vestra opus est, cùm cœlum mihi sedes sit, terra autem scabellum pedum meorũ? hac vna re me apud vos commorari quasi cogetis, si boni,& mei amantes fueritis. In eandemque sententiam propheta noster statim subiũgit; Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos. Cæterùm vt Hieronymus hoc loco adnotat, cùm propheta iracundiæ Dei mentionem facit (id quod in diuinis oraculis frequens est) minimè putare debetis, ijs humanis

Quas pœnas Hebræi ob scelera sua pępenderunt.

Iere. c. 7. 8.

Spem maximam subsidij in templo ponebant Hebræi.

Ieremiæ locus expositur.

Nullæ spes firmæ, nisi quæ in bona vita cum Dei ope coniunctæ ponuntur.

Iere. c. 7. 8.

Esa. 66. a.

Hieronymus.

humanis affectibus Deũ Opti. Max. perturbari. Non est Deus vt filius hominis vt mutetur, scribitur in Numeris: sed hæc illi attribuuntur, quemadmodum & oculi, & manus, non quòd corporis ipse particeps esse possit, qua ex parte Deus est; sed vt cum hominibus loquens, illorum dicendi ratione Deus vtatur: alioqui non intelligeretur. Et quia nos cùm hostem lædimus, & oppugnamus, irasci dicimur: sic cùm Deus infert mala, iræ nomen in eum trãsferimus. Illud etiam magnopere considerare oportet, quod omnia mala, quæ Chaldæi Iudæis intulerunt, iræ Dei adscribuntur, vt illud Amos. 3. constet. Si est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus: nihil est enim in orbe terrarum præter scelus, atque flagitium; quod Deo imprimis assignari non debeat. Omnia ipse arbitratu suo moderatur. Quare qui ærumnas, & calamitates timent, iucundam, tranquillamque vitam amant, nihil est, quòd Regum, Principum, & aliorum hominum gratiam tantopere sibi conciliare studeant: Si Deo grati, & amici sint, omnia tandem prosperè cadent. Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum ait Paulus. & in Prouerbijs scribitur; Cor regis in manu Domini, & quocunque voluerit, inclinat illud. Deus enim bonis viris vel negligentibus, & nihil simile cogitantibus, principes interdum, & optimates conciliat. Cuius rei ex Abraham, Isaac, & Ioseph licet exemplum sumere. Contrà verò reges ab eis alienare solet, qui eis obsequi, & inseruire toto pectore student; vt ex Aman Syro apud Ester intelligitur. Clitum etiam amicum optimè de se meritum Alexander interfecit; vt narrat Plutarchus in vita Alexandri. Nihil verò vnquam incommodè pijs, & sanctis hominibus accidit, quamuis rem cum fero, & immani hoste gerant. Ne verò in rebus asperis perturbentur; sed præsentis animi vtantur consilio, nec à ratione discedãt; illud eis ob oculos semper versari debet, quod Christus magna aduersariorũ procella agitatus Pilato dixit; Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Sic cum Semei sibilis, & conuitijs confectaretur Dauid, & lapides aduersus eũ mitteret, puluereq; spargeret; Dauid dixisse fertur; Dimitte eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit? Sed ad propositum redeamus. vult ergo noster auctor Hebræos docere, eas calamitates incredibiles, quas à Chaldæis acceperunt, nó vi hostium; sed Dei Opti. Max. volũtate esse conflatas, propter illorum scelera, atque flagitia. Nam Regius vates scribit; Si populus meus audisset me: Israel si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam. Quare si pacem agitare, & vitam cuperent tranquillam traducere, hanc vnam eis ostendit viam.

Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos ait Dominus exercituum. Non ab re propheta battologia vtitur, quater dicẽdo, Deum hanc sententiam protulisse. ita enim ad verbum propheta scribit.

Et dices ad eos, hæc dicit Dominus exercituum; conuertimini ad me, ait Dominus exercituum: & ego conuertar ad vos dicit Dominus exercituum. Est enim difficillima sententia tum Theolo-

Marginal notes:

Num. 23. c.

Qua ratione affectus humani in Deũ cadere intelligantur.

Cur mala quæ intulerunt Chaldæi iræ Dei adscribantur.

Amos. 3. b.

Quæ sit optima ratio auertendi incommoda.

Rom. 8. e.

Prou. 21. a.

Bonis viris negligentibus reges interdũ Deus conciliat: cõtrà verò eosdem ab iniquis alienat.

Ioan. 19. b.

Quare sæpius in aduersa fortuna consolentur.

2. Reg. 16. e

Calamitates populi non vi hostium, sed Dei fuerunt voluntate cõflata.

Psal. 80.

Propheta cur vtatur battologia.

Theologis, tum etiam improbis hominibus. Theologis magnum eius speculatio facessit negotium: improbis autem eius vsus: & hac de causa toties repetit propheta Dei oraculo esse editam, vt nullis relinquatur excusatio eam non amplectendi, quamuis minimè intelligatur. doctè verò atque copiosè persequitur eam Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio ad Valentinum monachum. c. 5.

Difficilis est illius sententia speculatio, conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Augustinus.

Difficultas in eo posita est, quòd conuersio hominis iniqui ad Deum, res est maior, quàm vt naturæ viribus geri possit. Quid igitur Deus postulat, quod præstare nemo potest? Deus ipse omnipotens hoc munus exequi debet, vt oues errantes in viam tanquã pastor reducat, vt extrema ægritudine laborantes, tanquam medicus curet; vt sceleribus astrictos, vt redemptor liberet: id nobis ab eo etiã atq; etiam precibus omnibus petendum, & obsecrandum est. ita regius propheta in psalmis orat: Deus virtutum conuerte nos, & Deus tu conuersus viuificabis nos. quo loco conuertens legit Augustinus, & in Hebræa editione, & septuaginta est actiua voce. & in eodem Psalmo: Cõuerte nos Deus salutaris noster. denique; seruator ipse ait. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. nobis igitur opus est ope sua immensa vt ad se nos non solùm alliciat, sed etiam trahat. Flagitia enim ipsa libidine nostra nixa, valde renitũtur. Quo pacto ergo hoc nostræ prophetæ, imo Dei nostri pronũtiatũ declarabimus? Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Tu Deus optimè vires nostras vel potiùs imbecillitatem nostram requiris? at ex immensa tua vi, & potestate pendemus, nisi tu nos excitaueris, in tenebris perpetuis temporibus iacebimus. Tanta huius loci difficultas est, vt Pelagium, & alios eius factionis in turpissimum, & perniciosissimum errorem impulerit, scilicet, gratiam Dei pro meritis nostris dari: hoc est, nos conuersione nostra mereri, vt nos Deus in gratiã suã recipiat: atque ex hoc nostræ prophetæ loco suam hæresim defendere nitebãtur. Nam si Deus ad nos conuerti nõ vult nisi nos vicissim ad ipsum conuertamur, propter cõuersionem nostram ipse cõuertitur. meretur ergo de illo conuersio nostra conuersionẽ suã in nos. Quæ iniqua expositio est nimis. quòd vniuersam gratiæ naturam tollat, teste Paulo; Si autẽ gratia iam non ex operibus, alioquin gratia, iam non est gratia. quam hæresim disertissimè confutat Augustinus hoc argumẽto. Apponitur nonnunquam multum gratiæ non benè de Deo, sed pessimè meritis; quibus si pro meritis gratia referenda esset, æternas pœnas à Deo perpetuò alienati persoluerẽt; quod Paulus testatur; Non sum dignus (inquit) vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei, sed gratia Dei sum id, quod sum. & in Epistola ad Titum; Eramus nos aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs, in malitia, & in inuidia agẽtes, odibiles, odientes inuicem: cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secũdum suam misericordiam saluos nos fecit: Tantum ergo errorem abijciamus, de quo nos pluribus egimus lib. nostro secundo de vera religione. c. 9. Hæc verò prophetæ sententia ita intelligenda est. Vt Deo nos à vitæ prauitate

Conuersio ad Deum natiua viribus geri non potest.

Psal. 79.
Psal. 84.

Ioan. 6.

Pelagius.

Pelagiani qua ratione ducti opinabantur gratiam Dei pro nostris meritis dari.

Rom. 11. a.

Augustinus.

Apponitur nonnunquam gratia pessime de Deo meritis.

1. Cor. 15.

Tit. 3. a.

Neminem inuitum Deus ad se trahit, & quo pacto ex nostra pendeat voluntate.

uitate abducente, ad seque trahente, non modò non recusemus, sed etiam pro parte nostra virili accurramus: quod ita necessarium est, siquidem inuitos núquam nos ad se alliciet, núquam in viam errantes reducet; nec infirmis medicinam afferet. nam hoc totum positum est in amicitia violata reconcilianda, quod nunquam nisi vtroque amico volente fit. Ita igitur Deus optimus ex nostra voluntate pendet, sicut medicus ex voluntate infirmi. Nam nullus medicus ægroto medicinam faciet, nisi ab eo ipse curari velit: salute verò, opera, & diligentia medici recuperata, nullus sanus homo eam voluntati suæ, sed medici peritiæ ascribet. Quoniam verò Deus vehementer nobis mederi, & in suam gratiam ponere cupit: nihil enim prætermisit vnquam, quod ad se attineret, quò minùs id fieret, sed per nos semper stat, qui voluntati eius proterui resistimus, & repugnamus: ideo ipse postulat, vt faciles nos in hac re præbeamus dicens; Conuertimini ad me, & ego cóuertar ad vos.

1. Paral. 28. Ita explicandum est illud. 1. Paralipomenôn, quo nos etiam aduersarij oppugnari arbitrantur: Tu Salomon fili mi cognosce, & serui ei in corde perfecto, & anima volente: quia omnia corda scrutatur Dominus, & omnes cogitationes mentium nouit. Si quæsieris eum, inuenietur tibi; & si dimiseris eum, repellet te in perpetuum. & illud. 2. Paralip.

2. Paral. 15. Dominus vobiscum, cùm vos estis cum eo, & si quæsieritis eum, inuenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Quibus sacræ scripturæ locis ita explicatis, Luterum conuincemus, qui licet in longè diuersa sententia à Pelagio sit, in errore non minùs turpi ver-

Luteri heresis.

satur. Nam gratiam sic gratis dari pútat, vt nobis vel inuitis, vel renitentibus detur: & ita in gratia ineunda liberum arbitrium superuacaneú esse; vt non tantùm nullum habeat vsum; sed etiam si quidpiam boni agere moliatur, id ipsum esse peccatum. Qui valde perniciosus error, pugnat omnino cum hoc nostri prophetæ dicto & cum ijs locis proximè citatis; quæ longiùs libro nostro secundo de vera religione. c. 10. persecuti sumus. Dixi quàm esset obscura, & quàm difficiles explicatus haberet huius loci speculatio. In eius verò vsu non minor est difficultas. Valde enim difficile est ei, qui à Deo alienatus est, ad eum rursus redire. Quare illud Ambrosij dictum; faciliùs inueni, qui innocentiam seruaret per totam vitam, quàm qui veram pœnitentiam ageret; meritò omnes Theologi amplectuntur. Nam facilè sibi persuadent ij, qui ab officio desciscunt, legemque Dei repudiant, inutile sibi esse virtutem colere, & Dei præcepta tenere: nec ita facilè hanc mentem abijciunt. Contrà verò amentes ferè, & rationis impotes facti, ex turpi, & iniqua vita non exiguos fructus ferre arbitrantur. Id quod Deus ipse apud Malachiam testatur dicens; Dixistis, vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius? & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem. Quam stultorum, & profligatorum hominem opinionem Socrates non solùm nefariam (vt ait Cicero) & turpissimam iudicauit, verum etiam eos exe crabatur Philosophos qui cùm vtilitas, & honestas natura cohæreát, opinione

Valde difficile est hominí à Deo alienato ad eum redire.

Amb. lib. 2. de pœnitentia. c. 10.

Iniqui inutile esse putant virtutem colere.

Malac. 4. d.

Socrates.

Cicero officiorum lib. 3. Socrates nolebat honestatem vllo modo ab vtilitate distrahi

Stoicis idem utile & honestum. *Panetius.*

nione ea distraxerint. Cui ita assensi sunt Stoici, vt etiã quicquid honestũ esset, id vtile esse censerent: nec vtile quicquã, quod nõ honestũ. Eosdẽ Panetius secutus est; negatq; vllã pestẽ maiorẽ in vitam hominum inualisse, quàm eorũ opinionẽ, qui hæc distraxerint. Idẽ Ciceroni probatur: tãtùm addit esse nõnulla, quæ speciẽ vtilitatis habere videantur, quamuis turpia sint. Sed hãc hominũ insipiẽtium opinionẽ, Isocrates elegãter & disertè cõfutat oratione de pace, qua suadet sociale bellũ esse dimittẽdũ. Verba autẽ ei⁹ vehemẽter qdẽ hęc notãda sunt.

Isocrates oratione de pace.

εἰς τοῦτο γάρ τινες ἀνοίας ἐληλύθασιν, ὥσθ' ὑπειλήφασι τὴν μὲν ἀδικίαν ἐπονείδιστον μὲν εἶναι, κερδαλέαν δὲ καὶ πρὸς τὸν βίον τὸν καθ' ἡμέραν συμφέρουσαν· τὴν δὲ δικαιοσύνην ἔνδοξον μὲν, ἀλυσιτελῆ δὲ, καὶ μᾶλλον δυναμένην τοὺς ἄλλους ὠφελεῖν, ἢ τοὺς ἔχοντας αὐτήν. κακῶς εἰδότες, ὡς οὔτε πρὸς χρηματισμὸν οὔτε πρὸς ἃ δεῖ πράττειν, οὔθ' ὅλως πρὸς εὐδαιμονίαν οὐδὲν ἂν συμβάλοιτο τηλικαύτην δύναμιν, ὅσηνπερ ἀρετὴ καὶ τὰ μέρη ταύτης. τοῖς γὰρ ἀγαθοῖς οἷς ἔχομεν ἐν τῇ ψυχῇ, τούτοις κτώμεθα καὶ τὰς ὠφελείας ἃς δεόμενοι τυγχάνομεν. ὥσθ' οἱ τῆς αὑτῶν διανοίας ὀλιγωροῦντες, λελήθασι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῦ τε φρονεῖν ἄμεινον καὶ τοῦ βέλτιον τῶν ἄλλων πράττειν ὀλιγωροῦντες. θαυμάζω δ' εἴ τις οἴεται τοὺς τὴν εὐσέβειαν καὶ τὴν δικαιοσύνην ἀσκοῦντας καρτερεῖν καὶ μένειν ἐν τούτοις, ἐλπίζοντας ἔλαττον ἕξειν τῶν πονηρῶν, ἀλλ' οὐχ ἡγουμένους καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρὰ ἀνθρώποις πλέον οἴσεσθαι τῶν ἄλλων. ἐγὼ μὲν γὰρ πέπεισμαι τούτους μόνους ὧν δεῖ πλεονεκτεῖν, τοὺς δ' ἄλλους ὧν οὐ βέλτιόν ἐστιν. ὁρῶ μὲν γὰρ τοὺς μὲν ἀδικίαν προτιμῶντας καὶ τὸ λαβεῖν τι τῶν ἀλλοτρίων μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι νομίζοντας, ὅμοια πάσχοντας τοῖς δελεαζομένοις τῶν ζῴων, καὶ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀπολαύοντας ὧν ἂν λάβωσιν, ὀλίγῳ δ' ὕστερον ἐν τοῖς μεγίστοις κακοῖς ὄντας· τοὺς δὲ μετ' εὐσεβείας καὶ δικαιοσύνης ζῶντας ἔν τε τοῖς παροῦσι χρόνοις ἀσφαλῶς διάγοντας, καὶ περὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχοντας. καὶ ταῦτ' εἰ μὴ κατὰ πάντα οὕτως εἴθισται συμβαίνειν, ἀλλὰ τό γ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦτον γίγνεται τὸν τρόπον. χρὴ δὲ τοὺς εὖ φρονοῦντας, ἐπειδὴ τὸ μέλλον ἀεὶ συνοίσειν οὐ καθορῶμεν, τὸ πολλάκις ὠφελοῦν τοῦτο φαίνεσθαι προαιρουμένους. πάντων δ' ἀλογώτατον πεπόνθασιν, ὅσοι κάλλιον μὲν ἐπιτήδευμα νομίζουσιν εἶναι, καὶ θεοφιλέστερον τὴν δικαιοσύνην τῆς ἀδικίας, χεῖρον δ' οἴονται βιώσεσθαι τοὺς ταύτῃ χρωμένους. Id est; Quidã enĩ eò demẽtiæ venerũt, vt existimẽt iniustitiã probrosam quidẽ esse, sed afferre lucrũ, & in quotidiana vita cùm primis esse cõducibilẽ. Iustitiã verò etsi laudari soleat, nihil emolumẽti parere, & alijs vtiliorẽ esse, quàm ijs, qui ea præditi sunt. Verùm illi nõ intelligũt, neq; ad parãdas opes, nec ad res rectè gerẽdas, neq; deniq; ad felicitatẽ adipiscẽdã, tãtã esse vim in iniustitia, quãta est in virtute, & eius partibus. Nã ijs bonis, quę animo insunt, etiã cæteras vtilitates, quibus opus est, paramus. Quare qui mẽtem suã negligũt, hi nõ animaduertunt se id negligere, vt alijs neque rectiùs sentiãt, neq; meliori fortuna vtãtur. atq; adeò mihi mirùm videtur, esse qui putẽt eos, qui in ꝓposito, & cõstãtia colẽdæ pietatis, & iustitiæ labores suscipiãt, & pericula adeãt, deteriore conditione fore quàm improbos: nec in maiore quàm alios tã Deorũ, quã hominũ gratia futuros. Ego verò persuasum habeo, solos hos ijs rebus antecellere, quę veras vtilitates pariãt; reliquos falsa quadã, & inani specie boni gloriari. Nam qui iniustitiæ palmã deferũt & summum bonũ in eo ponũt, vt alienis opibus per iniuriã potiãtur, eos similes esse video feris, quæ inescãtur, ac initiò quidem ijs, quæ prehẽderint, cũ voluptate frui, sed paulò pòst in maximis esse malis. Eos aũt qui pietatẽ, & iustitiã colunt, & perpetuò in tuto esse, & de reliquo cui spatio vniuerso spẽ habere meliorẽ. Quasi nõ in omnibus ita euenire consueuerũt; at plerũq; hoc modo fiunt. Est autẽ cordatorũ hominũ officiũ, qm̃ quid profuturum sit, semper nõ perspicimus, quod frequentiùs ꝓdest, id amplecti. Quid autẽ est eorum opinione absurdiùs, qui honestiorẽ, & Deo gratiorẽ existimant iustitiã iniuria? eorũ autẽ, qui illa vtũtur, vitã fore miseriorẽ cẽsent, quàm eorũ, qui se im̃probitati mãcipàrũt. Hactenus Isocrates. Et Deus ipse per Ieremiam queritur de huiusmodi impijs, qui hac opinione ducti,

Magna vires iniustitiæ ad parandas opes, & aliam felicitatem.

Qui iniustitiam sequuntur similes feris sunt quæ inescantur.

in gratiā suā reduci nolunt. Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? quare ergo dixit populus meus, Recessimus, nō veniemus vltrà ad te? id est, repetat populus meus superiorū tēporū memoriā, animaduertatq; an nihil fructus ex me tulerit, sicut ex deserto, & inculto agro? anne fructus quispiam est, quòd eos ex acerba seruitute, in tutā, & tranquillā libertatem asserui? quòd leges eis, & rationē pulcherrimā administrādæ reip. suppeditaui? quòd eos in deserto miris modis alui? quòd eorum hostes profligaui? quòd patriā, quòd regnū amœnissimum eis tribui? quòd denique; alia innumerabilia beneficia cōtuli? si nulli fructus, nullæ vtilitates hæ sunt, dicat tum populus meus, recessimus, nō veniemus vltrà ad te. Sin autē fructus vberrimi, & vtilitates maximę habētur hæ; quare ergo dicit populus meus, recessimus, nō veniemus vltrà ad te? me præsertim dicēte, Cōuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Hoc pacto nūc conuincere, & subsannare possumus homines impios, qui maius cōmodū ex impietate, quàm ex pietate reportaturos se putant; longè maiora redemptionis nostræ beneficia commemorantes, quæ huiusmodi sunt, vt vel saxea pectora commouere debeant. Quare nulli grauis videri debet huius loci vsus atq; [illegible], Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

Ierem. 2. f.

Quam vtilis Deus sit amicis suis.

Qua ratione subsannabimus eos, qui vtiliorem impietatem quàm honestatē ducunt.

4 *Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores dicentes; Hæc dicit dominus exercituū, cōuertimini, de vijs vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis. &c.* Quoniā homines vel præmio ad virtutē allici, vel pœna à vitijs deterreri solent, proposito prēmio qui dē magno, si ad Deū cōuertātur, nimirùm quòd ipse ad eos cōuerteretur: in quo tota boni vis posita est ad quod Deus ipse significauit, cùm sacerdoti bona populo precaturo dicere iussit, Ostēdat Dñs faciē suā tibi; & misereatur tui: cōuertat Dñs vultū suū ad te. Iam pœnæ mētionē facit, vt omnē lapidē moueat ad eos persuadēdos. Ne sitis (inquit) sicut patres, &c. id est, ne imitemini parētes vestros pertinaces, atque proteruos, qui prophetas monētes non audiebāt, increpantes subsannabant: videte quantas proteruitatis suæ pœnas dederunt. ideo dicit; Patres vestri vbi sunt? quasi dicat; nōne partim gladio, partim fame, ac peste periēre? partim acerbissimum exiliū pertulēre? animaduertite, vtrùm

In quo tota boni vis posita sit.

Num. 6. d.

Verba mea, & statuta mea quæ mādaui. Minas, & decreta, atq; statuta Dei intelligere videtur. id est, cōsiderate an inanes illæ formidines erant, quas opponebāt prophetę, cùm tēplū diruēdū, vrbē solo æquādā esse enūciabāt; per vias passim mulieres, ac pueros esse trucidandos: magnā hominū vim peste, fameq; interiturā, exilio sedes esse commutādas, quæ ipsi irridētes dicebāt; Veniat dies Dñi: quia prophetæ tēpus, quo has pœnas ab illis Deus repetiturus erat, sæpè diē Dñi appellabāt: vt Esa. 13. Dies Dñi venit crudelis. & Ierem. Dies autē ille Dñi Dei exercituū, dies vltionis, quē diē ipsi cōtemnētes, quod supra posui dicebāt: quod significat Amos dicēs; Væ desiderantibus diē Dñi, ad quid eam vobis? dies Dñi ista tenebræ, & nō lux, id est, quid optatis, quod nō lætū, non iucundū erit, sed angoris, calamitatisq; plenū? Sed hæc est hominum extrema demētia, qui mala, quibus Deus impios minatur, contemnūt, aut certè nō timent, quousq; repēte opprimātur, & nihil sit relictū remedij. Sapiētis autē hominis est

Quibus verbis populus irridebat prophetas.

Esa. 13. a.

Iere. 46. c.

Amos. 5. c.

Iniqui nihil mala, quibus Deus eos minatur, timet, quousque repente opprimantur.

Prou.14.b.

nis est ea antè, quàm vrgeát, méte, & cogitatione ꝑsentiédo cauere. Sapiés timet, & declinat à malo: stultus trási bit, & confidit, ait Salomó in Prouerbijs. cui rei vsui maximè est, si ob oculos nobis versentur, quas poenas olim impij sustinuerint. Ea eñ de causa vel in hoc æuo magna Deus inhibuit impijs supplicia, vt statueret exéplũ, quátę poenę sint hominibus eiusmodi cóparatę: ob eáq́; ré postquá pertinaciá, & insolentiá Core, Dathá, & Abiron, horribili supplicio coërcuit, iussit Eleazaro, vt laminas ex eorũ thuribulis factas affigeret in altari, vt cernát ea ꝓ signo (inquit) & moniméto filij Israel. Nunquá eñ memoriá debemus deponere eorũ exéplorum, & cruciatuũ, qui in impios editi sunt, semper timétes, ne si eorum scelera admiseri mus, in easdé poenas incurramus. Felix qué faciũt aliena pericula cautum pro prouerbio dici solet. Idcirco núc Deus per prophetá nostrũ, vt Iudæos terreat, parétũ eis memoriá repræsentat, qui cùm antea amétes nimis cófiderét, nihilq́; prophetis crederét Dei magná irá impédere præsagientibus, postea tamé dixerũt (vt noster ait vates.) *Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, & secundum adinuentiones nostras fecit nobis.*

Memores esse nos oportere suppliciorum quibus confecti fuerint iniqui.

Num.16.

Cùm vero propheta dicit verbis Dei.
5 *Prophetæ nũquid in sempiternũ viuẽt?*
6 *Veruntamen verba mea, & legitima*
mea quæ mãdaui seruis meis prophetis, nun
quid nõ cõprehenderũt patres vestros? Om
nia occidere, & interire; at verbũ Dei in æternũ permanere significare videtur, sicut Dauid ait in generatione, & generatione veritas eius. sententia tamé vel ad veros, vel ad falsos ꝓphetas referri potest. Si ad veros, quod magis cóuenit cũ superiore & interiore parte capitis, quibus de veris loquutus est; ad illud pertinere videtur, quod supra diximus de verbo Dñi: quasi dicat; nihil erat ꝙ aduersus ꝓphetas stomacharemini, ꝙ mala vobis obnũtiabát futura, ac illis (vt testatur Amos,) mãdaretis, ne prophetetis: non eñ de suo illa dicebát; ná minimè ipsa ꝑstarét; siquidé nó in sempiternũ vixêre.

Psal.118.h.

Amos.2.d.

At illa quæ mãdaui seruis meis prophetis, nũquid non cõprehenderũt? id est; videte ꝙ nó minatiùs illa dicta sunt, quàm facta. Ex quo intelligere debetis, verba illa nó hominũ, sed Dei esse, à quo exprópta sunt. neq; ꝓphetæ possunt nó loqui, quæ Deus iubet vt loquantur. Quia nó faciet Dñs verbũ, nisi reuelauerit ad seruos suos prophetas secretũ suũ. Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis nó ꝓphetabit? ait Amos. Vehemés quidé locus ad eos arguédos, qui ęgrè ferũt cócionatores eorũ vitia increpátes. Aut de falsis ꝓphetis (vt placet Hieronymo) loquitur. tũ significat, vbi sunt illi prophetę, qui vobis omnia prosperè casura, & tutá, tráquilláq́; pacé vobis pollicebátur? videte ꝙ médaces, deceptores, & sycophantę fuerũt. Quare cauete posthac ne cuiquá, nisi Dei prophetæ fidem habeatis: reijcite falsos prophetas, ne patefaciatis aures illis: non enim docere, sed adulari: non sanare, sed blanditijs inseruire cupiũt. In eandem sententiam Ieremias loquitur. Vbi sunt prophetæ vestræ, qui prophetabát vobis, & dicebant, Non veniet rex Babylõnis super vos, & super terram hanc. Cæterùm in Græco est πλὴν τοὺς λόγους μου, καὶ τὰ νόμιμα δέχεσθε, ὅσα ἐγὼ ἐντέλλομαι ἐν πνεύματί μου τοῖς δούλοις μου τοῖς προφήταις, οἳ κατελάβοσαν τοὺς πατέρας. Veruntamé sermones meos, & legitima mea suscipite, quæ ego pręcipio in spi

Vehemens locus ad arguẽdos eos, qui ęgrè ferunt concionatores eorum vitia increpantes.

Amos.3.b.

Cur falsi prophetæ cauendi.

Iere.37.d.

ritu

ritu meo, seruis meis pro prophetis
qui cóprehenderűt patres vestros, &
respóderűt, &c. id est; habete fidé ver
bis, institutis, ac minis meis, quæ ego
præcipio: & núquã eorű memoriam
deponatis, videte q̃ vt minatus sum,
ita in patres vestros exprompsi.
7 *In die vicesima & quarta vndecimi mẽ*
sis Sabat, &c. Id est, Ianuarij, tribus mẽ
sibus post primam visioné. Sabat no-
men est Chaldaicum: diximus enim
Hebræos mensiű nominibus carere.
8 *Vidi per noctem, & ecce vir ascẽdens*
super equum rufum, & ipse stabat inter
myrteta quæ erant in profundo, & post
eum equi rufi varij. Difficilis sanè pro-
phetia omniű interpretű tam Latino
rű, quàm Hebræorű senté̃tia. Et quẽ-
admodű qui in caliginoso loco ver-
santur, in quo nulla appareat meta,
Locus Zachariæ difficillimus. nullus sit ꝓpositus finis, diuersi ad di-
uersa tédűt: sic obscurus hic locus va
rijs modis ab interpretibus tractatur:
ita tamé à me explicabitur, vt si quæ
dixero, æstimet nó inuidus, & proter
uus, sed bonus, & syncerus vir, fortas-
se nonnihil luminis me attulisse puta
bit. Vt igitur vatis nostri visio pla-
nior fiat, cósideremus quo tépore, &
qué ad finé ei obiecta fuerit. Tempus
autem eiusmodi erat, quo magnus ti-
mor iniectus erat populo Israelitico:
cessauerãt enim in studio, & opere vr
bis, & tépli restituédi, edicto seuerissi
mo prohibente rege Assuero quò mi
nùs vltrà ædificiű progrederetur: vo-
xabãt enim eos, & varijs contumelijs
appetebãt homines vicini, & nomina
eorű detulerűt apud Regé, q̃ vrbs illa
valde olim rebellis fuerit, multaque
bella gesserit: quapropter iussu, & au
ctoritate regis opus eos vi, & armis
intermittere coegerunt: quod narra-
1. Esd. 4. tur. 1. Esdræ. c. 4. Tempus igitur istius
modi erat. Ad húc verò finé vaticina-
ti sunt Zacharias, & Aggæus nomine
Dei Opt. Max. quò animos Iudæis fa-
cerét, & ad opus repetendű vrgerent
per quatuordecim annos intermis-
sum, quod. 1. Esdrę. c. 5. significatur, & *Esd. 5. c.*
ex illorű prophetia cognoscitur. Ani
maduertédű etiã est, quod Zacharias
quàm primùm incepit vaticinari, di-
xerat; Iratus est dominus super patres
vestros iracũdia, &c. Cóuertimini ad
me ait Dñs exercituum, & ego cóuer
tar ad vos. hoc est, irã meã sedabo, in
meã vos gratiam recipiés; & calamita
tes, quas iratus intuli depellens, ac ma
lis medebor omnibus, quæ inuexi: ne
q; erit posthac, si vobis ego opé ferã,
q̃ Regé magnű Persarum timeatis: si-
quidem ego sum Dñs exercituű; ac
proinde possum meis copijs quécũq;
hostem propulsare. Quod vt planiùs *Ostendit uo-*
fiat, maiorq; Iudæis animus accedat; *to Deus exer-*
ostédit núc Deus Opt. Max. exercitű, *citum suum*
& copias suas vati nostro, eadé propè *ut Iudæis me-*
forma, qua olim famulo Elisæi timéti *tu perculsis*
exercitű Syrorű, Dei præsidiű, quod *animum adde-*
aderat Eliseo, demóstratű est, vt scribi *ret.*
tur. 4. Reg. c. 6. Aperuit Dñs (ait) ocu- *4. Reg. 6. d.*
los pueri, & vidit, & ecce mós plenus
equorű, & curruű igneorű in circui-
tu Elisęi. Eodé ergo modo vt populű
metu perculsum propheta excitaret;
Vidit per noctẽ, &c. Nocte verò q̃ eo *Cur nocte ob-*
tépore metus magis vrgere solet, & *lata fuerit*
vt status populi significaretur, qui *prophetæ vi-*
magna calamitate, & angustia preme *sio.*
batur, quæ tenebrarum nomine in
scriptura significari solet. Aspicie-
mus in terram, & ecce tenebrę tribu-
lationis, & lux obtenebrata est in cali
gine eius, ait Esaias. Nec respuo quod *Esai. 5. g.*
Hebræi dicunt, nocte imaginem, &
speciem hanc fuisse obiectam, non
die: vt obiecta fuit Esaiæ ea, quam
capite

capite sexto se vidisse narrat: vt intelligamus, nō ita planè, & apertè sicut antè, sed obscuriùs, atq; cōfusiùs Deum tunc voluisse responsa dare. Equites hi erant Angeli Dei, qui ob eam rem equis vectos se ostendunt, vt speciem exercitus, & hominū paratorum ad auxilium ferendum præseferant; vt narratur accidisse loco iam citato: tū vt celeritatem significēt, qua Dei iussa exequuntur. Nam is, qui vir hoc loco vocatur, paulò pòst vocatur Angelus. erant igitur Angeli. Ascendebat (ait) super equum rufum. Hebraicè אדם *adom*, significat rubrum. vt Esaiæ sexagesimo tertio. Cur אדם. id est rubrum est vestimētum tuum: in equis autem est color fuluus, Hispanè *alazan*, & post eum equi rufi Hispan. *alazanes*, & varij, Heb. שְׂרֻקִּים *seruquim*, cuius significationem nonnulli Hebræi se ignorare fatētur. alij exponūt pectinatos: sed melior est nostri interpretis versio, magisq; placet peritioribus Hebręis, varij inquā: & ita vertūt septuaginta ποικίλοι, id est, varijs coloribus, & maculis fuluis albis, atq; nigris Hisp. *Overos remendados*. alij equi erant albi. Equi autem ponuntur pro ijs, qui in equis sedebant: vt colligitur ex clausula inferiùs posita, in qua dicitur respondisse Angelo, qui stabat inter myrteta. Hi verò diuersi colores varia munia significāt, quibus funguntur Angeli: dum hominū commoda procurāt: neq; oportet accuratiùs singulos colores ad diuersa officij munera referre, ne dū nimis subtiles videri volumus, puerilē explanationē faciamus; non enim oportet (vt ait Chrisostomus) omnia in parabolis quadrare. Equi igitur hi stabant inter myrteta, id est, in locis myrtis cōsitis myrti Hispan. *arayan*, fideles, bonos, ac pios

Cur Angeli equis se vectos ostendāt.

Esa. 63. a.

Cur myrti bonos viros significent.

viros significant. vt enim myrti perpetuò viuūt, neq; arescūt vnquā, nec folia amittunt: ita in bonis viris quādiu tales sunt, nō arescit charitas, sed viro re semper gratiæ decorātur. Vt enim Esaias significet homines Deo gratissimos orituros Christi tēporibus, dicit; Orietur viror calami, & iunci. De iusto etiā scribit Dauid in Psalmo. Et foliū eius non defluet. asserunt etiam myrti flores amœnissimos, maximoq; odore fragrātes. De viris verò iustitia, & virtute præditis dicit Esaias; Florebit quasi liliū. & Paulus ait; Dei bonus odor sumus. Significāt igitur myrti viros probos: suntque Angeli inter myrteta, hoc est, inter bonos viros versantur: vt eos seruent. Angelis suis Deus mādauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. ait Dauid. Sed illud animaduertere debemus, quod dicit huiusmodi myrteta esse in profundo. Primò alludit ad myrtorū naturā, quę loca amant aquosa, atq; demissa: ob eāq; rem in oris maritimis myrti syluestres frequētes nascūtur. Amantes litora myrta. ait Vergilius. Cæterū nomine profundi, Babylonē intelligit, in qua multi iusti captiui fuerūt; Qui dico profundo, desolare, Esaias scribit: quod historicè, & literaliter Vatablus, & multi Hebræi de Babylonia interpretātur. Quādo igitur myrti, id est, iusti sunt Babyloniæ, id est, aduersa, & calamitosa fortuna cōflictantur, incōmodis omnibus, angustijs, & detrimētis afficiuntur, nemo putet à Deo hominū libidini esse relictos, sed maximo potiùs tū Angelorū præsidio muniūtur, neq; vllo tēpore magis boni viri opē diuinā experiūtur, quàm cùm sint hominū auxilio destituti. Cùm infirmor, tunc potens sum ait Paulus: Dauid etiam ait; Iuxta

Esa. 35. e.
Psal. 1.
Esa. 35. e.
Psal. 9.

Cur propheta dicat myrteta in profundo esse.

Esa. 44. d.

Babylonia profundū vocatur.

Boni viri aduersa fortuna conflictantes maximo Dei præsidio muniuntur.

1. Cor. 12. d
Psal. 33

est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde. Ita tribus pueris in fornacem ignis cõiectis, apparuit Angelus Dei. Agar vidit Angelũ sibi ope ferentẽ, cùm extremam sitim passa est, ita vt suę, & pueri vitæ desperaret. Quæ cõsolatio viros sanctos in maximis calamitatibus vehementer sustentat. Ita Christus ait; Venit hora vt me solũ relinquatis, & nõ sum solus, quia pater mecũ est. Idẽ etiã sibi polliceri potest vnusquisq; pius, cũ amicis, & cognatis in angustia positus, se destitui viderit, ac secũ meditari, quod hic noster propheta narrat, magnã Angelorum multitudinẽ stare inter myrteta, quæ erãt in profundo. Sed הַֽהֲדַסִּים *hadasim* Hebręis nõ loca myrtis cõsita significant, sed myrtos. Hieronymus verò loca myrtis consita interpretatur, vt versionẽ septuaginta comprehẽdat, vt duos scilicet montes, quos illi vertunt, loca illa myrtis cõsita declaret: in Græco enim est *ἀναμέσον δύο τῶν ὀρέων, τῶν κατασκίων*, id est, inter duos montes vmbrosos. quod in eandem sententiam recidit: mons enim caliginosus, Babylonicum Imperium apud Esaiã literaliter, & historicè nũcupatur. Super montẽ caliginosum leuate signũ, id est, vexillum quo milites ad capiendam Babyloniam cõueniant, vel quò capta esse significetur. Duos autẽ noster propheta esse dicit, quòd per id temporis, quo Iudæi Babyloniæ fuerunt, Persę expulerũt Chaldęos. Quare duo imperia sustinuerũt; quæ duobus illis montibus significãtur: inter quos sunt Angeli: quia Deus suis nunquam deest, quamuis magna hominum mole circunuenti videantur. Hoc modo mihi videtur hæc difficillima visio plana fieri. Non respuo tamen aliorum doctissimorũ virorum explanationes. Quibusdã enim quatuor illis differentijs equorum, regna significari videntur, quæ diuersis modis Iudęos acceperunt; Chaldęorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum. Equum Rufum, cui vir ille insidebat, significare Imperiũ Nabuchodonosoris: sicut per caput aureum apud Danielem. fuluus enim color in equis, auri nitorem imitatur: & deinceps reliqui tres colores, tria illa regna, quæ reliqua sunt; quibus Angeli insident, quòd etiam Angeli præsint prouincijs, & imperijs, quò Dei iussa in illis exequantur. quam interpretationem pleriq; Hebræorum sequuntur, & imprimis placet Hieronymo. Alij virum illum in equo rufo sedentem, Christum referre dicunt; sicut in Ioãnis Apocalypsi equo albo vectus apparuit: at nunc rufo vel rubro potius: id enim propriè significat verbũ Hebræum אדם *adom*, propter futurã sacrosancti sui sanguinis effusionem, reliqui verò equi, Apostolos, Martyres, atq; Virgines, qui per orbem terrarum dispersi sunt, vt alios verbo, vel exemplo docerent: quam expositionem Liranus maximè probat, & Hieronymus non improbat: eam tamen refellit Gregorius Moral. lib. 28. ca. 6. Sed illam primam à me positã, aptiùs in hũc locum propter rationes dictas cadere puto. Sed per me liceat vnicuiq; amplecti quam voluerit. Sequitur in Propheta.

9 *Et dixi, Qui sunt isti domine mi?* Idest, quid sibi volunt? quã ratione ita parati veniunt? mirum ergo nõ est, quòd nobis huiusmodi visio difficilis, & obscura videatur, si vel ab ipso propheta sanctissimo viro, qui Deo tam familiariter vtebatur statim nõ intellecta fuit, sed ex Deo, vel Angelo significa-

Dan. 3. c.
Gen. 16. g.
Ioan. 16. d.
Cur septuaginta vertãt inter duos montes vmbrosos.
Esa. 13. a.
Cap. 13. a.
Zacharia locus variè expositus ab eius interpretibus.
Apoc. 3. & 6. a.

Quo pacto sacris literis dare operam debeamus. gnificationē quæsiuit: ita nos cum sa
cris literis operam dederimus, non in
genio, industria, & diligentia nostra
contenti simus; sed Deum precibus
assiduis oremus, & obsecremus, Vir-
ginis sacrosanctę, Angelorum, & alio
rũ sanctorũ patrociniũ imploremus,
vt ingeniũ, & mētem nostrã illustret,
Luc. 24. g. & sensum (vt Apostolis) aperiat, ad sa
crosanctas scripturas piè, & catholi-
cè, vt Romana postulat religio, intel-
Dan. 2. ligēdas. Ita Daniel, fecit ad explicādã
illam Nabuchodonosoris difficili-
mam quæstionem. Hac ratione fide-
les in tractandis diuinis oraculis re-
periemur, & eum spiritũ in hoc nego
tio gerēdo imbibemus, quem pietas
christiana requirit. Sequitur enim.
*Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur
in me.* Doctissimè, & acutissimè sa-
nè ex hoc loco effici putat Augusti-
nus in Enchiridio. c. 19. & Gregorius
lib. Moral. 28. c. 6. Angelum, qui cum
propheta loquebatur, non extra eius
animum fuisse, sed intra habitu cor-
poris pulsu imaginum in phantasia,
eius speciem vidisse: nam dicitur lo-
Angeli ad interiores sensus penetrare possunt. quebatur in me. Angeli enim prop-
pter eorum subtilitatem ad interio-
res sensus penetrare possunt.
Respondit & dixit: Hebraismus à latino & græca editione sæpe usurpatus. 10 *Et respondit vir qui stabat iuxta myr-
teta, & dixit.* Hebraismus est, respon-
dit, & dixit, pro dixit. vt illud Deute.
Et loqueris in conspectũ domini Dei
Deut. 26. a. tui: in Hebræo est. ועָנית ואמרת *ve
hanitha veamartha.* Respondebis, & di
ces. quæ dicendi ratio in latinam, &
græcam editionem plerunq; irrepsit,
non solùm in veteri, sed etiam in no-
Matt. 11. d. uo instrumento: vt apud Matthęum;
Respondens Iesus dixit, Confitebor
Matt. 17. a. tibi Pater. &c. & alio loco; Respon-
dens Petrus dixit; Domine faciamus
hîc tria tabernacula. & ita etiam ha-
betur in Græco.

*Isti sunt quos misit Dominus, vt peram
bulent terram.* Ex quo intelligitur, cu-
ram tuendorum hominum apud san Curam tuendorum hominũ apud sanctos Angelos excubare.
ctos Angelos excubare, esseq; à Deo
tanquam in præsidio orbis terrarum
collocatos. Ita illud Deuteronomij. Deut. 32. a.
Quando diuidebat altissimus gentes,
quando separabat filios Adam, con-
stituit terminos populorũ iuxta nu-
merum filiorum Israel. Septuaginta
vertunt ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν ἀγγέ-
λων θεοῦ, id est, statuit terminos gen-
tium iuxta numerũ Angelorum Dei
hoc est, terræ partes Deus distribuit,
& vnamquamque eius partem singu
lari Angelo, qui eius rationes, & ne-
gotia procuraret, commisit: ac tot or
bis terrarum partes esse voluit, quot
erant Angeli, quos illarum curam at-
tingebat. Quemadmodum Romani
plures regiones bello subactas in pro
uincias redegerunt, ad quas admini-
strandas præfectos mittebāt: ita Deus
Opti. orbem redegisse putādum est.
Sic in Daniele mētio fit duorum An- Dan. 10. c. d.
gelorum, quorum vnus princeps erat
Persarum, alter princeps Græcorum;
qui magno studio suarum prouincia
rum rationes, & negotia apud Deum
procurabāt. Quare dubium non est, Quantam obseruantiã ad versus sanctos Angelos habere debeamus, quamq; benè ipsi de nobis meriti sint.
quin magnorum commodorum in
prouincia sua vnusquisque Angelus
causa sit. Magnam ergo obseruantiã,
magnam reuerentiam aduersus san-
ctos Angelos de nobis tam benè meri
tos habere debemus: magnaque à no
bis pietate, nisi ingrati simus, colendi
sunt. Præsertim quòd preces nostras,
ad Deum solicitè deferant: atq; adeò
vicissim ipsi pro nobis precātur, & sæ
pe quod ex re nostra est, à Deo impe-
trāt. Id quod locus proximè sequens
declarat.

11 *Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, & dixerũt.* Idẽ Hebraismus qui antea, pro locuti sunt.

Perambulauimus terram, & ecce vniuersa terra habitatur, & quiescit. Fuit enim maxima pax sub Dario.

12 *Et respondit Angelus Domini, & dixit, Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es, iste iam septuagesimus annus est?* Verba sunt Angeli precantis pro populo Israelitico. Rationibus autem, & argumentis Dei misericordiam captare nititur. quare prudenter cùm à Deo precibus aliquid contendimus, non solùm precando, sed argumentando eius misericordiã implorabimus: non vt Deo, qui omnia scit, rationes pateant, cur æquum sit id nobis concedi; sed vt non temerè, aut petulanter quidquam à Deo petamus: vel potiùs vt ea faciamus, quibus maximè Dei misericordia cõmoueatur. Ita Christus docens nos orare, ac veniam peccatorum petere, illam rationem afferre docuit; Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ita Moyses quum iram Dei populum ob adoratum vitulum atrocissimè minantis, orando placare nitebatur, multas in precibus afferebat rationes, cur fas esset, quod precabatur, impetrare. Huiusmodi enim rationes, quòd spem maiorem subministrant, vehemẽter precantis animum incendunt: quod multum valet in precibus. Prima igitur ratio quã tangere in precatione sua videtur Angelus, deduci videtur ex eo, quod cæteri Angeli dixerũt, vniuersum orbem terrarum pacem agitare. æquum ergo est, vel Dei erga suos charitatẽ maximè decet, quod alienis, & idololatris populis tribuitur, suo populo nõ denegari. Eodem argumento Christus in Psalmo, patris opem implorabat. In te sperauerunt (inquit) Patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos. Ad te clamauerũt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Aliud argumẽtum quo vtitur Angelus est.

Prudenter nõ solùm precando, sed etiam argumentã in Dei misericordiã implorabimus.

Exod. 32.

Psal. 22.

Vsquequo. &c. Iste iam septuagesimus annus est. Hoc est, facilè Deus iracundia tua sedari patientia, & dimissione solet: at hæc in septuagesimum annum producta est. vel, iam ille annus septuagesimus actus est, per quẽ calamitates populi tui duraturas Ieremiæ prædixisti. At soles de constituta pœna remittere, non autem longiùs producere. Sicut pœna, quæ Dauidi pro peccato recensionis populi imposita est; cùm tres dies principiò pestis in populo essent cõstituti, vnã diem modò à manè vsq; ad vesperam propter Dei clementiã illam plagam sustinuit. Eodem argumento Iob vtitur dicens; Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me? Siquidem quod ira Dei in impios nũquam mitigetur, sed perpetuo apud inferos cruciatu conficiantur. mirum non esse debet, Nam æquum est eos, qui infinitam non verentur lædere maiestatem, infinito supplicio cõstringi. At mirum certè est; iram Dei in eos durare, qui humili, & demisso animo ad ipsius clementiam confugiũt. Idcirco non temerè quærit Iob, vsquequo nõ parcis mihi? Quamobrem non sine magno Dei consilio accidisse credẽdum est, quandocunque huiusmodi quid quam cõtigerit, neq; in ea re incommodum se dimisse gerentis, sed commodũ quæri. quod ex Chananæa apud Matth. intelligitur, & ex Iobo etiam, qui lõgè maiorem propter iras, quas subiere

Facile Dei iracundia sedari patientia, & dimissione solet.

Solet Deus de pœna constituta remittere.

Ierem. 29.

2. Reg. 24.

Cur mirum non sit perpetuo apud inferos cruciatu impios torqueri.

Mirum est in pios viros Dei iram durare.

Iob. 13 d.

Matth. 15.

De quo septuagesimo anno Zacharias loquatur.

subiere, misericordiam adepti sunt. Cæterùm quod hic dicitur;

Iste iam septuagesimus annus est. Cùm Ierusalem euersa, & solo æquata est, intelligi oportet: non autem ille est annus septagesimus, ad quem

Ierem. 29.

vsque Ieremias. c. 29. vaticinatus est, eos in potestate Babylonici regis detinendos. nam isti septuaginta anni completi sunt, simul atque Chaldæis Babylonicum imperium detractum est: quod accidit regnante Balsasare. vt auctor est Daniel. Siquidem Ieremiæ locus sic habet. Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istú. Id est, cùm anni septuaginta regni Babylonici fuerint completi. quod ita factum est.

Dan. 5. g. Iere. 29. b.

Quomodo numerandi sint septuaginta anni Ieremia prædicti.

Nam Nabuchodonosor, & filius eius Euilmedorac, & nepos eius Balsasar tenuerunt septuaginta annos imperium. Nabuchodonor. 45. Euilmedorac. 23. Balsasar vero. 3. vltimus vero annus Balsasaris non numeratur, eò quòd non fuerit perfectus. eo enim anno necatus est. Fuit ergo desolatio Ierusalem æqualis regni Chaldæorum. Nam vicit Nabuchodonosor anno primo regni sui Ioacim: quo anno cœpit desolatio Ierusalem. Sed annus iste septuagesimus, de quo hic vates loquitur, numerandus est ab eo anno, quo Ierusalem omnino subuersa est, qui fuit decimus nonus Nabuchodonosoris, & vndecimus Sedechiæ Regis Ierusalem, vt videre est Regum vltimò capite. Anni autem decem & nouem, qui detrahuntur summæ illi priori, quam fecimus septuaginta annorum, sic explentur. Post Balsasarem Regnum obtinuit Cyrus per tres annos: post eum Assuerus, per quatuordecim, ac tandem secutus est Darius, cuius secundo anno hæc visio Zachariæ proposita est. Rectè ergo dicit Angelus septuagesimú iam agi annum cùm multa Iudæi incomoda sustinent. Nam quamuis eos Cyrus libertate donauit, reuertendiq; in patriam facultatem fecit; tres tantùm annos, quibus modò regnauit Cyrus, ex tantis miserijs, & angustijs se recrearunt: & primo anno Assueri literæ illæ criminosæ, atque odiosæ ab inimicis Iudæorum ad regem dabantur, quarum causa rex interdixit, ne vrbis munitio, & templi ædificatio longiùs progrederentur.

Desolatio Ierusalem fuit æqualis omnino regni Chaldeorum. 4. Reg. 24.

A quo tempore numerandus sit septuagesimus annus de quo Zacharias loquitur.

Interim tamen considerare debetis, quòd nihil de pœna, atque supplicio, quod in Iudęos ob scelera eorum Deus constituit, remisit, neque condonauit. Septuaginta annos præsagiuit Ieremias eos in hostium potestate futuros, & septuaginta anni fuerunt, ac vix ira Dei contenta est. Et intelligite; quod licet nullum peccatum, nulla crimina, tam multa, & atrocia sint, quæ pœnitentia, & lachrymis expungi non possint, dicente Deo apud Ezechielem; Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, omnium iniquitatum eius, quás operatus est, non recordabor: sunt tamen nihilominùs eiusmodi peccata, quæ ex hoc seculo Deus inulta abire non patitur, neque vllis lachrymis, neque vlla pœnitentia flectitur, ità vt quidquam supplicij, atque pœnę in hac vita soluendæ ignoscat. quod facilè intelligitur ex adulterio illo nefario à Dauide admisso: cuius tametsi lachrymis, & pœnitentia veniam impetrauit, omnes tamen ad vnam pœnas in se ob tantum scelus à Deo constitutas pependit.

Nulla crimina sunt quæ pœnitētia nō expungātur.

Ezech. 18. e

Nonnulla crimina sunt quæ ex hoc seculo Deus inulta abire nō patitur.

dit. Notate locum. Quamobrem (inquit verbis Dei propheta Nathan) nó

2.Reg.12.c

recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum. &c. quas omnes pœnas vel Abſalon filius eius ad vnum exprompſit, quum Amon interfecit, & omnes Dauid vxores ſpectante populo conſtuprauit, & ſeditionem in eum concitauit, ignominioſiſsimèq; ex vrbe exire coegit: atque adeò filij adulterini vitam nullis precibus, nullis lachrymis impetrare potuit. Ita quamuis Moyſi peccatum pepercit, pœnam tamen non cernendi hæreditatem promiſſam non condonauit. idem accidit Aaron. Et ſic intelligitur optime caput. 1. & 2. Amos; Super tribus ſceleribus Damaſci, Gazę, Tyri, filiorum Amon, Moab, Iudæ, & ſuper quatuor nó conuertam eum; ſubaudite; ad veniam meam. ita vt ſupplicium, quod ſtatui ſumere huiuſmodi vrbes euertendo, nó remittam.

Amos locus accuratè explicatur.

Amos.1. & 2.

Nam illa expoſitio Vatabli non admodùm mihi videtur apta; ſuper tribus & quatuor, id eſt ſuper ſeptem. Septenarius autem numerus pro infinito vſurpari ſolet in ſacris literis. Quia ergo non faciunt peccandi finem, non parcam eis. Nam ſi hoc ſignificaret, non ſingularia peccata ſubijceret, vt ſubijcit. Significat ergo propheta pœnam conſtitutá euertendarum vrbium ob eorum flagitia non remittendam, eò quòd illa peccata ſæuitiæ plena admiſerunt: protinuſque pœnam ſubijcit. Quare valde timere debent homines flagitioſi, qui huius vitę felicitatem ardenter amát, ne ita ſceleribus implicentur, vt huius ſeculi miſerias, & anguſtias effugere nullo pacto poſsint. Sequitur in propheta.

Vatablus reprehenditur.

13 *Et reſpondit Dominus Angelo qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria.* In Hebręo eſt נִחֻמִים *nehumim*, à verbo נחם *naham*, quod & conſolari, & pœnitere ſignificat. ita נִחֻמִים *nehumim*, conſolationes, & pœnitudines declarat: vtraque verò ſignificatio optimè hoc loco quadrat. Verba igitur conſolatoria dominus locutus eſt, hoc eſt, quæ populo fracto, & afflicto calamitate, conſolationem afferrent. quæ verba mox ponuntur. Facilè precibus humilium, atque lugentium placatur Deus, & iram coercet. Non enim vt perdat ſuos iraſcitur, ſed vt corrigat. Copioſè verò ipſe apud Eſaiam explicat rationem iræ ſuæ; cuius verba hunc locum explanare videntur. Nam de hoc eodem tempore loquitur, quo noſter propheta vaticinatus eſt, quo (inquam) eos ſeruitute Babylonica liberauít, & in patriam poſtliminio reduxit. Et dicam (ait) viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei. Quia hæc dicit excelſus; non in perpetuum litigabo, nec vſque ad finem iraſcar: quia ſpiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus ſum, & percuſsi eum: abſcondi à te faciem meam, & indignatus ſum: & abijt vagus in via cordis ſui. Vias eius vidi, & ſanaui eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius. & eſt eadé vox נחמים *nehumim*, cóſolationes. Sicut enim Deus nimis formidabilis, ac terribilis valde eſt cùm iraſcitur: ita valde amabilis, benignus, ac ſuauis eſt cùm cóſolatur. nullus tantus dolor, nulla tantá afflictio, ac rerum omniú deſperatio eſt, quæ eius conſolatione non ſolùm non leuetur, ſed etiam omnino non abſtergeatur.

Cur facile precibus lugentium placetur Deus.

Eſai.57. d.

Perfectè Deus placatus omnia incommoda ſanat.

Psal. 93. d. gentur. Secundùm multitudiné dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam, ait Dauid. Pulchra etiã est an-
Prou. 19. b. tithesis illa Salomonis in Prouerbijs, qua Dei, & seueritatem, & humanitatem exponit. Sicut fremitus leonis; ita & Regis ira: & sicut ros super herbam; ita & hilaritas eius. Idcirco Reges irati vehementer terrent, & hilares, vehementer delectant; quia multùm & nocere, & prodesse possunt. Quid autem dicam de Dei in vtramque partem infinita, & immensa vi? Quare magnam, & gratissimam consolationem habuerunt illa Dei verba, quæ vates consolatoria fuisse dicit. Si verò נחמים *nehumim*, pœnititudines interpretemur; nam id etiam significare diximus, sicut explicat Hie-
Oseæ. 11. c. ronymus illud Oseæ, Pariter cõturbata est נִחֻמָי *nehumai*, pœnitudo mea: etiam aptissimè cadit. verba ergo Angelo dixit pœnitudinis, id est, quæ Deum pœnitere significabant, quòd tam grauiter Israelitas fuisset vltus:
Iere. 18. a. iuxta illud Ieremiæ. Si pœnitentiam ègerit gens illa à malo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. quæ sententia aptissimè connectitur cum verbis, quæ Angelus Deum dixisse narrat; Ira magna irascor, &c. nam verba esse videntur eius, quem pœniteat quòd populum suum immanium, & truculentarum gentium libidini permiserit. Minimè verò intelligamus Deum vllo pacto pœnitentiam attingere posse, sed de se ea phrasi loquitur, qua nos de illo, qui factum, aut dictum reuocat: nam facti aut dicti pœnitere dicimus: ita Deus nostris ignoscens flagitijs, pœnasque remittens, videtur sui consilij pœnitere, quo in nos animaduertere decreuerat. Deinceps verba hæc consolatoria videamus.

Deum pœnitere nunquam illati supplicij, & quomodo id intelligendum sit.

14 *Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me dicens: Hæc dicit Dominus exercituum, Zelatus sum Ierusalem, & Sion, Zelo magno, & ira magna irascor super gentes opulentas; quia ego iratus sum parùm, ipsæ verò adiuuerũt in malum.* קנא *cana*, Hebræis zelare significat, id est, iracundia ferri ab amore ducta, cùm alius eius rei potitus est, quã ego habere cupio. Deut. 32. Et ipsi קִנְאוּנִי *quenuni* prouocauerunt me in eo, quod non erat Deus. id est fecerunt, vt irascerer; quòd obsequium, & reuerentiam, quam mihi dari cupiebam, alteri qui non erat Deus, tribuerent. quæ significatio verbi statim declaratur addẽdo כִּעֲסוּנִי *ci haçuni*, irritauerunt me, fecerunt, vt irascerer in vanitatibus suis, id est, ob idola sua אַקְנִיאֵם *aqeniem* irritabo eos in eo, qui non est populus, id est faciam, vt irascantur cùm videant ea beneficia, quæ ipsi à me habere cupiebant, alteri me populo præstare, qui modò nõ est populus meus. interpretaturq; id rursus addẽs אַכְעִיסֵם *acihicem*, in gente stulta irritabo illos. [illegible]cus est insignis ad explicãdã vim verbi קנא quę multis in locis nonnullã difficultaté parit, & multis verbis explicatur ab Hebræis, quibus & valde ambiguum fit, & non plenè vis eius explanatur. hac verò nostra interpretatione, omnia sacræ scripturæ loca, in quibus reperiatur, plana fiunt. vt illud; Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. primo loco est חרר *harar*, quod ardere significat, id est, ne ardeas iracundia ob iniquos homines. Quod planiùs secũdo loco exponitur verbo קנא *cana*, id est ne ira efferaris

Zelare quid propriè Hebræis significet.

Psal. 36. Psalmi locus declaratur.

raris ob diuitiarum, & opum amorem, quòd earum iniquos homines potiri videas. Ad nostrum ergo prophetam redeundo, facilè ex dictis locus eius explicabitur. Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno, hoc est, vehementer irascor, quòd hostes potiantur eius vrbis, quam ego vehementer amo. quod statim etiam declarat adiungens: Et ira magna irascor super gentes opulentas, verbum Hebræum est קצף *quezeph*, quod in principio capitis iram significare diximus. Valde optandum est quod hoc zelo erga nos Deus affectus sit: est enim in illo magna amoris significatio, quem Esaias populi magna iactati procella personam agens vehementer requirit dicens: Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua? Est etiam iræ grauissimæ in nos indicium, si res longè ab ipso alienas, id est scelera, atque flagitia nos amemus, nihilque ipse curet, nulloq; zelo moueatur. Ita cū Israelitico populo, tanquā cum sponsa verba faciens, eius nefaria crimina ita vindicaturus minatur; Et auferetur zelus meus à te, & quiescā, nec irascar ampliùs. Sequitur in propheta.

Valde optandum esse zelo erga nos Deum affectum esse.

Esai. 63. d.

Ezech. 16. e

15 *Et ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.* Difficilis est locus hic; cuius plenam explicationem ab optimo quoque interprete tam latino, quàm Hebræo desideraui. Quomodo nunc parum Deus se iratum fuisse dicit, cùm in principio huius capitis iracundia magna elatum fuisse verbis eius vates enunciâris: id enim significari illa ratione loquendi superiùs dicta, ex sententia septuaginta exposuimus. Iam verò nulla maiora damna hôstes dare potuerunt, quàm quæ per Deum ipsum illis inferre licebat; ita vt omnis, quam fecerunt Iudæi iactura, iræ, & voluntati Dei assignanda sit, vt pluribus suprà declarauimus. Nam illa huius loci Vatabli declaratio, omnino mihi non placet: hoc est, grauiùs (inquit ille) afflixerunt, quàm volebam. Nam cùm duplicem rationem diuinæ voluntatis Theologi distinguāt, vnam signi, qua aliquid fieri præcipit, vel consulit: aliam beneplaciti, qua aliquid fieri permittit: neutra voluntatum harum Vatabli explicatio defendi potest. Nam si ad voluntatem signi id referatur, non solùm grauiùs afflixerūt, quàm Deus volebat: verum etiam ne parum quidem eos Deus lædi volebat. Non enim dubiū est, quin Chaldæi in culpa sint totius iacturæ Iudęorum, quòd pręceptum de proximo diligendo multis modis violauerint. Si verò hæc detrimenta grauiora ad voluntatem beneplaciti referantur, non sunt, neque possunt esse grauiora, quàm Deus permittit. Quare hæc explanatio mihi non probatur. Ita ergo locus hic germanè explicabitur. Deus parū irascitur, quòd nō odio, sed amore ductus punit, neque malum eius, quem coercet, sed bonum spectat. Flagellat quidem vt pater cupiens filium corrigere. At ij vehementer irascuntur, qui odio incitati, damna, & detrimēta inferunt, nec commodum afflicti, sed incommodum spectant; cuiusmodi Chaldæi fuerunt. Deus enim vrbem expilari, & euerti permisit, quò Deum offendere, & eius imperium contemnere timerēt Iudæi. Qui certè timor magis è re ipsorum erat, quàm opes vniuersæ, quas amiserunt. at Chaldei non hac de causa ciuitatem expilârunt; sed vt ipsi ditarentur opibus alienis:

Difficilis Zacharie locus.

Vatablus reprehenditur.

Deus cur parum irascatur.

Cur homines multum irasci dicantur. alienis: nec tot homines occiderunt, vt reliquos emendarent, sed vt tanquam hostes delerent. quare meritò tantorum malorum culpam suscepe runt. Itaque Deus nimis irasci dicitur, sicut patrem, qui filium acriter verberat ob graue admissum scelus, nimiùm etiam irasci dicimus. At si hæc eius ira cum capitalis hostis iracundia comparetur, leuissima iudicabitur. Ita ira Dei cùm funditùs Ierusalem euerteret, magna fuit si cum alijs eius in eam iris comparetur: nun quã enim tã graui eam supplicio affe cerat: at si hostiũ iræ cõferatur, leuissima iudicabitur. Deus enim sanare, illi perdere (vt dixi) volebant. At rectè hoc modo hic locus cũ capitis principio conciliabitur, & satis planus fiet. *Ira magna irascor super gentes opulentas.* Ex quo efficitur, omnia incommoda, quæ Iudæi susceperunt, in magno, Quādo Deus nimis irasci dicatur. & nefario crimine Babylonijs esse ponenda, & ira magna Deus in illos accensus est: in Iudæos verò parua; quia hos vt filios, illos vt hostes coercuit: hos restituit, illos funditus deleuit, vt Esa. 13. d. Esaias narrat. Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham; non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem, & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestiæ, & replebũtur domus eorum draconibus. Huc accedit quòd idololatrę illi ęternis vinculis in tartarum mãdati sunt: at Israelitæ fideles, multi fortè graui illo supplicio resipuerunt, & eos flagitiorum pœnituit. Quare valde sibi ti- Cur valde sibi timere debeant qui alios vexant. mere debent, qui alios vexant, ac labe factant. Sunt enim quasi quidam carnifices, & quasi quædam instrumẽta ad iram Dei exprõmẽdam, quod vilissimum, miserrimum, & diabolicum est. Ex quo fit, vt postquam similium hominum opera Deus vsus fuerit, omnis in eos furor eius conuertatur, atque eos diris omnibus execretur, quòd eum, vt hic noster vates ait, *Adiuuerunt in malum.* Sicut qui gladio, aut cuspide, vel carnem sui corporis putridam ad viuum resecat, vel tumorem putri materia plenum aperit, qui acerbissimo, & intolerabili affectus dolore, ad terram cuspidem, siue gladium magno impetu abijcit. Ita Deus opera hominis inuidi, atque maleuoli punit nonnunquam, aut exercet sui corporis mẽbrum, id est, pium, & sibi charum hominẽ, quem non minùs amat, quàm nos vnumquodq; corporis nostri membrum: cui cùm bona ex animo cupiat, ægrè fert eum incommodis, licet necessarijs affici: ob eamq; rem statim in tanti mali instrumentum inuehitur. quę omnia cumulatissimè docet Esaias. Væ Assur (ait verbis Dei) virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionẽ gentium non paucarum. Videte quomodo eãdem differentiam inter Dei, & hominum iram vates ponat, quam nos suprà posuimus. Ad Ierusalem igitur, cui vt amicam non ex animo incommodauit, mitigata iam ira, grato, & benigno vultu conuertitur dicens. Esa. 10. b.

Maius bonũ adipiscitur quàm ante habebat is, quem Deus emẽdationis aut probationis causa punit.

Iob.42.c.

Quare tranquillo pij debent esse animo in rebus aduersis.

16 *Reuertar ad Ierusalem in misericordijs, domus mea ædificabitur in ea.* Ex hoc intelligitur non incommodum, sed commodum (vt sæpè dixi) Deum euertenda Ierusalem spectasse. Siquidem maius bonũ adepta fuit, quàm antea habebat: quod semper euenire puto, quando Deus quempiam emendationis, aut probationis causa punit. Ita accidit Iob, de quo libro eius narratur. Dominus benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius. Ideo magno, & tranquillo animo homines pij in ærumnis, & calamitatibus esse debent, semper meliora sperantes, nunquam animum despondentes, neque timentes vt procella, atque adeo graui iactati obruãtur; sedabuntur fluctus: commutabitur tempestas; dissipabuntur nubes, & sereno cœlo prospero cursu in portum ex alto inueheritur. Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico, ait Dauid, id est, quamuis acres perferas calamitates, non abijcias innocentem, & immaculatam vitam, sed cole pietatem, nolique putare actum esse de te: aliquid enim boni reliquum est, quod te manet. In eandem sententiam Deus apud Esaiã cùm Ierusalem loquens ait. In momento indignationis abscondi faciẽ meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Pro leui iræ Dei, id est angustiæ, & afflictionis momento, tempus sempiternum misericordiæ, hoc est, pacis, & trãquillitatis promittit. Has ergò misericordias, quibus Ierusalem post ærumnas, & calamitates amplexus est, in vate nostro videamus.

Psal.36.e. *Psalmo locus exponitur.*

Cap.54.c.

17 *Domus mea ædificabitur in ea: ait dominus exercituum.* Id est, templum mihi dicatum restituetur. Magna quidem misericordia, & benignitas Dei erga populum suum, quòd tanta familiaritate, & humanitate apud eum morari voluerit, vt ædes in eo sibi dicatas habuerit is, quem cœli, & terræ ambitus non comprehendunt: quò nihil aliud significabatur, nisi quanta comitate, ac facilitate eos amplectatur, qui eum ex animo quærunt: tamque facilem ad eum patere aditum, quàm ad domum cuiusque ciuis. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. ait Dauid. Hanc domum ipse reliquit ob magna populi flagitia, cùm eam Chaldæis diruere permisit. Reliqui domũ meã, dimisi hæreditatem meam per Ieremiam ait; vt declararet nunquam se apud illos habitaturum, neque vllam ei cum illis communicationem futuram, qui se sceleribus contaminauerint. Quis ascendet in montem Domini; aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, &c. Dauid dicit: & alio loco; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, &c. Dum tabernaculũ dicit, Dauid ad domũ ei in terris dicatã alludit: vt illã cœlestẽ innuat, & hac de causa homines immũdi tanto studio lege veteri domo Dei prohibebantur: mundis verò iam Iudæis, ac tanta calamitate, tãquam igne de sceleribus purgatis, promittit nũc Deus se apud eos domum habiturũ. Cùm verò addit. *Ait Dominus exercituum*; declarat, quod licet inter hostes habitent, qui templum ædificare non sinunt; quamuis in potestate, ac ditione Regis Babyloniæ teneantur nemo tamen vi, & armis eorum

Quid Deus significabat cum domum Ierosolymis habere voluit.

Psal.144.d.

Iere.12.b.

Cur domum suam Deus euerti permisit.

Psal.23.a.

Psal.14.a.

Cur homines immũdi domo Dei prohibebantur.

ædificium

ædificium disturbare, vel impedire poterit. Non enim tantas vnquam Babyloniæ Rex copias comparabit, quæ in aciem, dimicationemq; cum tanto, quem vati ostendit exercitu venire audeant. At huius exercitus Imperator templum ædificare, & vrbem munire iubet. quare bono animo se ad opus debent accingere. Septuaginta vertunt παντοκράτωρ omnipotés: quare nemo in eos valebit, quibus ipse adsit.

Perpendiculum extendetur super Ierusalem. Hebraicè est קוה *cau*, quod regulam, siue funem significat, ad quã regulam lapidum ordines diriguntur, vt rectà deducantur. significat ergo Ierusalem ædificabitur; idque pedetentim, & otiosè, vt ij ædificare solent, quorum res pacatę, & tutę sunt.
Eccle. 3. Venit iam ædificandi tempus à Deo
Psal. 111. præscriptum, qui ruinas implet. Neque ijs tantùm ipse contétus est: quippe qui vt multa mala iratus inuehit; sic beneuolus non vno, aut altero beneficio afficit, sed pluribus, & maioribus donis, & ornamétis auget, quam quisquam cogitaret. Quare

Vt Deus iratus infert mala, sic beneuolus incredibilibus auget ornamentis.

17 *Adhuc clama dicens; Hæc dicit Dominus exercituum, Adhuc affluent ciuitates meæ bonis.* Hebraicè est עוד תפוצנה ערי מטוב *hod tepuzena harai mitob.* At verò פוצ *puz*, dispergere significat. ita vertit vulgatus.
Zach. 13. Zachar. 13. Percute pastorem ותפוצֶינָה *vetepuzena*, & dispergentur oues. Significat ergo tantam futuram bonorum multitudinem, vt eam vrbes capere non possint. Ex quo eueniet illud, quod vasis euenire videmus, quæ non capiunt immissa, vt dispergantur: ideo vertunt septuaginta διαχυθήσονται diffundentur.

Et consolabitur adhuc Dominus Sion. Septuaginta vertunt ἐλεήσει miserebitur, sed idem est. nam eisdem rebus Deus Opt. Max. & misericordiæ, & consolationis significationem facit, & incommoda tollendo, & beneficia dando. Sed fidem, quam modò Deus pro sua benignitate dat, tanta se præstaturum beneficia; tametsi aliquantulum temporibus Zorobabel, & Nehemiæ soluta est: at non plenè, atque perfectè ad tépora vsque Christi. quo tempore tantis hominum genus cumulauit bonis, vt túc demum perfectè fidem suam liberasse censeatur. Ita censet Hieronymus, & plerique christiani interpretes. Tum vera Ierusalem ædificata est, id est Ecclesia, quæ veros continet Israelitas. Perpendiculum auté, siue regula ad quã illa exacta est, & eius lapides dispositi sunt, Euangelium Christi fuit, quo lapides viui dirigũtur. ita Dauid ait,

Quodnam fuerit perpendiculum ad quod exacta & ædificata sunt Ecclesia.

In omnem terram exiuit sonus eorũ. Psal. 18. a.
quod Paulus de Apostolis Euangelium promulgãtibus interpretatur. Rom. 10. d.
& in Hebræo loco soni est hæc eadé vox קו *cau*, quam hic nostrum prophetam ponere diximus. Itaq; idem Paulo est sonus Apostolorum, & linea, siue perpendiculum illorum. Quare ex eius sententia, perpendiculum hoc Euangelium Christi est, ad quod Ecclesia (vt dixi) exacta ædificatur: apteque, & eleganter locus hic cùm verbis Pauli, & Dauidis conuenit. Tum illud fuit, quando dispersæ sunt ciuitates præ bonorum multitudine: bona enim ciuitatum ciues sunt, qui si multùm augeantur, aliquãdo eos vrbes capere nó possunt: cætera bona bene capiunt vrbes. At quando id Ierusalé vidit, nisi cùm tot homines, tot vrbes, tot prouintię, tot regna, & imperia ad Ecclesiã conflue-

Quãtum fuerit Ecclesia amplificata.

bant, sic vt non exiguis illis Palæstinæ terminis vt antea contineretur: sed per vniuersum orbem se longè latèque diffunderet, & dilataret: quod

Esa.54.a.

Esaias clariùs multò antè præuidit; Dilata locum (ait) tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas; longos fac funiculos tuos, & clauos tuos cósolida: ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis. Cùm monet ergò propheta, vt clauos consolidet, idem declarat quod noster propheta dicens; Dispergentur ciuitates pr bonis: nam tanta erit multitudo se in Ecclesiam recipientium, vt arctus locus esse videatur, clauosq; tẽtorij, si nó bene firmi sint, vt se dilatẽt, conuellant. Illud autem;

Quantam cõsolationem Christus attulerit Ecclesiæ.
Esa.61.a.

Consolabitur Dominus Sion. Quando perinde præstitum est, ac quando è cœlo delapsus est ille verus Deus, & homo Christus Iesus? qui per Esaiam dicit; Spiritus Domini misit me, vt consolarer omnes lugentes, vt ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronã pro cinere, oleũ gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: qui etiam Spiritum sanctum paracletum misit. Ita verò elegit Ecclesiam, vt eam nunquam repudiaret.

18 *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua, &c.*

19 *Et dixi ad angelum qui loquebatur in me, Quid sunt hæc? & dixit ad me; Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem.*

Quid cornu auctoribus sacrosanctis significet.

Cornu auctoribus sacrosanctis robur, & vires significat, quibus & nos defendimus, & alios lædimus: metaphora ducta ab ijs animalibus, quibus cornua sunt à natura data; illis enim eorum præcipua vis ad alia oppugnanda continetur. Sic Dauid in Psalmo dicit; Et om-

Psal.74.b.

nia cornua peccatorum confringã & exaltabũtur cornua iusti, id est vires, & robur peccatorum labefactabo; vires verò iustorum confirmabo. quasi dicat, validiores, & potentiores erunt iusti, quàm impij. & alio Psalmo. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Et quoniam prouinciæ siue nationis vires, atq; potentia in regno posita sunt, hinc factum est, vt cornu pro regno vsurpetur. Vt in 1. Reg. secũdo capite; Dominus iudicabit fines terræ, & dabit Imperiũ Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. quod de regno Messiæ Chaldaicus paraphrastes interpretatur: cui respondet illud Lucæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui, id est, regnũ Messiæ, quod nobis salutem allaturum erat, stabiliuit in domo Dauid. Quare non dubiũ est; quin quatuor ista cornua, quæ ostensa sunt vati nostro, significent quatuor regna, quæ infestissima fuerunt Ecclesiæ, & ob eam causam dicit.

Psal.43.a.
1.Reg.2.
Chaldaicus interpres.
Luc.1.g.
Quatuor cornua significant quatuor regna.

Quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem, & nemo leuauit caput suũ. Quò grauissima oppressio significatur. Primum regnum fuit Chaldæorum, à quo regnante Nabuchodonosor regnum Iudæ vastatum fuit. Alterum Persarum, quod regnante Assuero nimis Ierusalem perturbauit, ædificium vrbis, & templi impediuit. Tertium Græcorum, quod regnante Antiocho Epiphane catholicã rempublicã obruit, & ferè deleuit. Quartum Romanorum, quod quantum Ecclesiam agitauerit, quantum vastauerit, sexcentæ narrant historiæ. Sex enim minimùm Imperatorum, Neronis, Traiani, Maximiani, Diocletiani, Maxentij, Decij nefarijs, & iniquis

4.Reg.25.
1.Esd.4.
1.Mach.1.

iniquis edictis omnes Christiani per orbem terrarum interfici iussi sunt. Hos ergo visio nostra prophetæ præsagit: ita Chaldæo interpreti visum fuit, qui interpretatione sua quatuor expressè regna reddit, ita plerique interpretes Latini, & Hebræi censent: quæ explicatio maximè conuenit cũ alijs sacrosanctæ scripturæ locis. Nam quatuor regna (interprete ipso Daniele) ostẽsa sunt Nabuchodonosori in figura illius statuæ, partim aureæ, partim argenteæ, partim æreæ, partim ferreæ; quæ tanquam inimica cõfringenda erant à lapide illo abscisso sine manibus de mõte Christo Iesu. Item quatuor ista regna Daniel præuidit in figura quatuor bestiarum. Ita Angelo ipso, qui Danieli loquebatur, interpretante. Ex quo intellegetis, non ita bene cohærere, si quatuor illæ equorum differentiæ in prima visionis parte propositæ, quatuor hæc regna, (vt placet auctoribus grauissimis) significẽt. Nihil enim erat quòd eadem res iterum atque iterum, nulla re alia interiecta prophetæ monstraretur: præsertim quòd hæ duæ visiones non videntur temporis interuallo separatæ, sed eadem fortè nocte repræsentatæ. Deinceps igitur vates ait.

Chaldæus interpres.

Dan. 2.

Dan. 7.

Quatuor fabri quid significent.

20 *Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros.* Hieronymo, & alijs placet hos fabros esse quatuor Angelos, à quibus hæc quatuor regna conuulsa, atque deleta sunt. Quidam Hebræus magni nominis inter Hebræos, vult hos quatuor fabros esse, quatuor reges, qui regna illa infregerunt; ita vt faber qui deiecit cornu Chaldæorum, fuerit Cyrus Persa; qui verò cornu Persarum conuellit, fuit Alexander Græcus, qui cornu Græcorum: Scipio Asiaticus, qui cùm consul Romanus esset, superauit Antiochum: item alij Imperatores Romanorum, qui Græcos in potestatem suam redegerunt. Faber ad præcidendum cornu Romanorum fuit Attila, vel Totila, & alij, qui Romanum Imperium labefactarunt. quæ explicatio mihi nõ displicet; sed si magis priori sententiæ assentiamur, fateri saltẽ debemus hos Reges secures, siue malleos fuisse, quibus Angeli ad illa cornua amputanda, aut confringenda vsi sunt. Quod verò vbi nos habemus terrere, in Hebræo est לְהַחֲרִיד *lehacharid*, quod propriè est terrefacere, vt vertit vulgatus: sed septuaginta viri interpretantur ὀξῦναι, quod exacuere significat. quod nonnullos ita cõturbat, vt aliã longè diuersam expositionem amplectantur: quos Hieronymus refutat, & dicit, Exacuere pro terrere accipiendum esse, quod auctoritate Hieronymi defendi potest, ita vt exacuere sit exterminare, atque imminuere potestatem illorum imperiorum, quæ reuehementer terrerẽtur. Item illud vt deijciat, in Hebræo est: לְיַדּוֹת *leiadot*, quod his punctis ad deijciendum significat, vt vertit vulgatus à verbo יָדָה *iada*, sed septuaginta interpretes reddunt in manus eorum, & ita totum locũ interpretantur acuere ea in manus eorũ ideo quòd יָדוֹת *iadot*, plurale etiam est nominis יָד *iad*, quod manus significat. ita ergo locum in septuaginta explicabimus: veniunt fabri manibus terrefacere ista cornua. manus verò Angelorum, Reges illos significabũt, quibus cornua hæc (vt diximus) amputata sunt. Deinde septuaginta subijciunt τὰ τέσσαρα κέρατα τὰ ἔθνη τὰ ἐπαιρόμενα κέρας ἐπὶ τὴν γῆν id est, quatuor cornua, quatuor gentes sunt, quæ cornu leuauerunt in terram, &c.

Nullas esse vires quibus quisque se & res suas firmare possit.

quod magis superiori nostræ expositioni fauet. Illud autem in hoc loco nobiscum meditari debemus, ad vitam nostram dirigendam, & cum vera pietate colendam, nullas esse opes, nullas vires, quibus se quisquam munire, aut res suas certis præsidijs firmare posit. Corruerunt quatuor regna & imperia post hominũ memoriam florentissima, atque firmissima, quæ terrori fuerunt orbi terrarum. quis ergo fortunæ confidet? imo quò erectior, & sublimior eius status videtur eò propiùs impendet ruina. id arbor illa tam vasta, & ampla, & quæ tantas radices egerat, quæ Nabuchodonosori per insomnia apparuit, vt Daniel interpretatus est, declarauit. Cũ enim robustior esse videbatur, mandatum est cuidam Angelo, vt illam conuelleret. Cum maiori confidentia, & securitate fretus Balsasar conuiuia agitabat, illa ei manus repræsentata est, quæ in pariete eum esse interficiendum scripsit, ipsaque eadem nocte, & ciuitas à Cyro capta, & ipse necatus est. Quocirca rectissimum illud præceptum est Ieremiæ. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me, quia ego sum dominus, qui facio misericordiam, & iudicium in terra: hæc enim placent mihi ait dominus. Nec copijs vnquam, & viribus ad aliorum damnum & incommodum abutamur, scientes fabrum esse à domino cõstitutum ad huiusmodi cornua excidenda, & se summissè gerentium erigẽda, & exacuenda, quibus hostes suos dissipent, & omnia cornua peccatorum confringant, & exaltabũtur cornua iusti, ait

Dan. 3.

Ierem. 9. f.

Neminem de viribus suis gloriari debere.

Ne viribus ad alij damnum inferendum abutamur.

David & Esaias, Quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo, id est eorum, qui sibi robur, & potentiam arrogant, neque intelligunt vsum sibi ad tempus esse permissum, proprietatẽ verò penes Deum ita esse, vt quoties, & quandocunq; ipse voluerit, eam vni detrahere, & alteri cócedere posit. aduersus eos qui de copijs, & facultatibus, quas habent non ita iudicant, scitote iam inde à mundi principio bellum à Deo acerbissimũ indictum esse. idcirco salutare illud est sapientis consiliũ Quãtò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiã quoniam magna potentia Dei solius. Et vt finem faciam, illud pro certo habeatur, vt qui se non humiliauerit (quod felicitatẽ præstat) à Deo humiliabitur, quod ad extremam detrudit miseriam. Quod vt sibi quisq; persuadeat, horũ, & cæterorũ potentissimorũ regnorũ exemplũ satis esse debet.

Psal. 74. b. Esai. 13.

Eccle. 30.

Qui se nõ humiliauerit à Deo humiliabitur.

CAPVT. II.

1 *ET leuaui oculos meos, & vidi* A
& ecce vir, & in manu eius fu
niculus mensorum.
2 *Et dixi, quò tu vadis? Et dixit ad*
me, Vt metiar Ierusalem, & videam
quanta sit latitudo eius, & quanta
longitudo eius.
3 *Et ecce Angelus qui loquebatur*
in me, egrediebatur, & Angelus alius
egrediebatur in occursum eius.
4 *Et dixi ad eum, Curre, loquere ad*
puerum istum, dicens, Absq; muro ha
bitabitur Ierusalem præ multitudine
hominũ & iumentorũ in medio eius,

5 *Et*

B 5 *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero*
in medio eius.
6 *O, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus.*
7 *O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.*
C 8 *Quia hæc dicit Dominus exercituum, Post gloriam misit me ad gentes quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillã oculi mei.*
9 *Quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui seruiebant sibi: & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.*
10 *Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.*
11 *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio*
D *tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.*
12 *Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem.*
13 *Sileat omnis caro à facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.*

1 *ET leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir & in manu eius funiculus mensorum.* Postquã propheta vaticinatus est futuram quatuor illorũ regnorũ euersionẽ: Ierusalẽ deinde, & Ecclesiam ædificandam vaticinatur, vt intelligamus interitu impiorũ muniri viam ad felicitate bonorum: nec posse viros sanctos tutam, tranquillamque pacem trahere, superstite impio, qui bellum eis assiduum infert. Ita Dauid ait, Expecta dominum & custodi viam eius, & exaltabit te: vt hæreditate capias terram: quum perierint peccatores videbis. ita Dauid regni sibi promissi potitus nõ est quoad Saul inimicus eius mortuus fuit. Christus, & mater eius sanctissima ex AEgypto in patriam suam nõ rediere, quousque Herodes vita defunctus est: neq; iustorum animæ tanta gloria fruẽtes, corpora charissima in sordibus, & puluere iacentia excitant, quousque funditus impij è mundo deleantur. Quare angi minimè debent viri virtute prædi, si nihil boni, nihil quod expectent adipiscãtur, dũ homines iniqui rerum potiantur; sciẽtes ita sanctis omnibus vsu venisse. ait igitur propheta.

Interitu impiorum via munitur ad felicitatẽ bonorum.

Psal. 36.

Mat. 2.

Et leuaui oculos meos. Ex quo intelligitur eos, qui cum Deo loqui, & ab eo erudiri cupiunt, oculos à terra abducere oportere, & altè cœlum contueri; curas rerum humanarum pro virili abijcere, & omne studium in rebus cœlestibus, & diuinis ponere. Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis, Dauid ait. & Paulus monet quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. contra verò de flagitiosis hominibus Dauid ait, oculos suos statuerunt declinare in terram. & Paulus, qui terrena sapiunt.

Qui à Deo erudiri cupiunt, curas humanas debẽt abijcere.

Psal. 120.

Coloss. 3.

Psal. 16. c.

Phil. 3.

Et ecce vir & in manu eius funiculus mensorum. In eadem figura Ezechieli Angelus ostensus est, qui formam vrbis, & templi futuri monstrauit. Hic verò Angelus eo habitu veniebat, vt significaret etiam vrbem esse restituen-

Ezech. 39.

Quid habitus Angeli funiculum ferentis significaret.

tuendam: neq; rex magnus, neque nationes circumuicinas eis impedimento futuras; quoniam Angelorum auxilio, ædificium prouehendum erat.

3. *Et ecce Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & Angelus alius qui egrediebatur in occursum eius.*

4. *Et dixit ad eum, curre, & loquere ad puerum istum, dicens.* Colligit ex hoc loco Gregorius homilia 34. ordinem Angelorum ex doctrina Dionysij ita esse dispositum, primùm, vt alij quasi forás ad nos mittuntur, ita vt nunquam à diuina contemplatione discedant; alij verò nunquam mitti, sed semper Deo adesse præsentes, iuxta illud Danielis, Millia millium ministrabāt ei, & decies millies cētena millia assistebant ei. Ministrare est forás ad nos cum mādatis mitti. Assistere est Deo semper adesse. Itemq; alios Angelos, alios mittere, vt hoc loco vates noster ait. *Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eum; curre, & loquere ad puerum istum.* Quare inferiores sunt ij, qui mittūtur eis, qui mittunt. Hic etiam considerare, & admirari est, quanto studio Angeli hominum negotia tractent. nam primùm tres Angelorum species in hac visione obiectæ sunt; is, qui funiculum ferebat, & is, qui cum vate loquebatur, & alius qui huic ad vatem mandata dedit. Item cùm vnus alteri obuiàm venisse dicitur, eique mandasse vt curreret, ac vati renuntiaret; magnæ Angelorum lætitiæ significatio est: nam tripudium agere Angeli videntur, ac saltare pre gaudio, quòd Ierusalē multis partibus melior, quā antea restituenda erat. Vt enim magna cura, & diligentia res nostras procurāt; ita quòd faustè, & feliciter eueniant, magna afficiuntur lętitia. Hinc magna illa alacritas, & exultatio extitit, qua Angeli choros ducentes ad canendum excitati sunt nascente Seruatore nostro: cùm si regem ipsum dominumque suum spectarent, luctus potiùs quàm gaudij occasionē præbere videretur. Iacebat enim in vilis stabuli sordibus magno vigente frigore, ita vt fortè cùm illi canebāt, gestiebantque præ gaudio, ipse lugebat, & gestiebat præ luctu. Angelorū etiam Regina Virgo mater Dei nimis anxia, & solicita erat, quòd non solùm crepundijs ad tantum, tamq; sibi charum filium ornandum carebat; sed etiam fortè linteolis, fasciolis, & vestibus necessarijs ad illum fouendum egebat: tamē Angeli eorum ministri has res cernētes gaudio exultant. Non igitur in regis sui, sed in orbis lætitia; & felicitate lætebantur, quòd dux, & assertor noster aderat: adeò sunt erga nos, & res nostras amāti animo! Hinc etiam illud est, quod Christus ait; Gaudium est in cœlo super vnum peccatorē pœnitentiam agētem. ex quo intelligere debemus, quā bene de nobis meriti sint. iā ergo quæ Angelus hic, qui egrediebatur, vati nostro mandata det, videamus.

Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius. Quæ ad Christi tempora peritioribus Hebræis assentientibus omnium latinorum interpretum sententia historicè, & literaliter pertinent. tantum differt inter christianos, & Hebræos; quòd illi de vera Ierusalem, id est de Ecclesia dici cēsent: isti verò adhuc carnales de vrbe Ierosolymitana; quā Messiæ temporibus amplissimam fore arbitrantur. Quod autem dicit, præ multitudine homi-

Gregorius.
Dionysius.
Quo pacto ordo sit Angelorum dispositus.
Dan. 7.
Quid ministrare, quid assistere ad Angelos relatum significet.
Quanto studio Angeli hominum negotia tractēt.
Angeli vehementer lætantur quòd res nostræ feliciter eueniant.
Luc. 2.
Cur Angeli nato Christo tantam lætitiæ significationem fecerint.
Luc. 15.
Ierusalem Ecclesiam literaliter significat.

hominum & iumentorum. homines vocat (vt auctor est D. Hieronymus) sapientes, theologos, & sacrarum literarum peritos: iumenta verò simplicissimos quosque. iuxta illud Dauidis; Homines, & iumenta saluabis.

Psal. 35.

Absque muro. Quòd tanta ciuium erit copia, vt nullis muris comprehédi posśint. quod ita gestum esse videmus; cùm tot fideles non vno certo loco contineantur: sed per orbem terrarum sparsi diuersis locis commorentur. Quod luculenter Esaias persequitur per totum sexagesimum caput, aitque inter multa. Et aperientur portę tuę iugiter die ac nocte nó claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducátur. Gens enim, & regnum quod non seruiet tibi, peribit: & gentes solitudine vastabuntur. Hinc summa Dei benignitas intelligi potest. Populus tantùm solicitus erat de Ierusalem illa materiali ædificanda, atque munienda: at Deus non solum illam instaurandam promittit, sed etiam Ierusalem spiritualem (Ecclesiam inquam) quod multò magis ex re populi erat. Ita etiam cùm Daniel obnixè Deum precaretur, vt populum assereret in libertatem, quandoquidem illi septuaginta anni à Ieremia prædicti captiuitatis populi iamiam complebátur, ita precibus suis Deus optimus motus est, vt non solùm ei populum Babylonica seruitute se liberaturú promiserit, sed etiam vniuersum hominum genus in libertatem certo, & statuto tempore assertyrum. Abrahamo vnum filiú anxiè cupienti; Deum que poscenti, infinitam ex eo sobolem propagandam, atque adeò Christum ex eo genus ducturum promisit. Salomonem sapientiá ad regnum

Quàm multi ad Ecclesiam confluent.

Esai. 60.

Quanta benignitate Deus oratis respõdeat.

Dan. 9.

administrandum postulantem, omnium sapientisśimum fecit; vt illud Pauli ad Titum constet. Qui præstat nobis omnia abúdè. Cæterum quòd prophetam puerum apellet; vel ideo est (vt Vatablus quendam Hebræum sequens ait) ꝙ adolescens Zacharias vaticinari cœpit: vel quia minister alterius prophetæ fuit; vt Iosue ꝙ seruiebat Moysi, puer vocatur. Sed meliùs est, vt puerú ab angelis nominari putemus; ꝙ eorú esset discipulus. Ita Christus discipulos suos apud Esaiá nominauit; Ego, & pueri mei, quos dedit mihi dominus in signum. &c. Illud etiam in hac prophetæ visione animaduertendum est, quod Angelus, qui veterem Ierusalem instaurandam nuntiabat, funiculum afferebat ad eius latitudinem, & longitudinem metiendam. At Angelus qui veræ, & nouæ Ierusalem ædificationem prædixit, id fieri prohibuit, quòd absque muro (ait) habitabitur Ierusalem. Ita vetus illa lex, quę quasi funiculus quidam erat, quo & Iudęi obligabantur, & ad quem eorum pietas, & iustitiá exigebatur, in certis, & definitis terminis inclusa erat: quippe quia solus populus Israeliticus astrictus fuit: at nullo opus erat funiculo ad veram Ierusalem metiendam: nam eisdem, quibus orbis terrarum terminis, & regionibus circunscribitur. Vniuersum enim hominum genus lege, & Euangelio Christi tenetur. Non enim est aliud nomé datum sub cœlo; in quo oporteat nos saluos fieri ait Petrus in Actis. Et Esai. 60. Gens enim, & regnú quæ non seruierit tibi, peribit; & gentes solitudine vastabuntur. Sequitur in propheta.

Tit. 6.

Cur Zacharias puer ab Angelo vocetur.

Vatablus.

Esai. 8. d.

Quid inter veterem & nouam legẽ differat.

Acto. 4.

Esa. 60.

5 *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Id est quamuis muros non sit

sit habitura, non patebit hostium incursibus: ego enim ei ero pro muro, adeoque firmo, vt non sit fossa aquæ plena, vt cæteri muri solent, sed igne circundata; vt hostes, & alienos homines longè reppellat, nullisque machinis dirui, neque expugnari posit. Hac huius loci expositione omnes interpretes contenti sunt; quæ quamuis facilis, & plana sit, loci tamen difficultatem non exhaurit. nam adhuc mens scire auet; quid illa tam insolita ratione dicendi significetur; Præsertim quòd ignis ciuitatem cingens, non solùm hostibus, sed etiam ciuibus detrimentum afferret. Quare operæpretium est intelligere, quæ huius ignis ratio futura sit. Ac primùm, qui non sit sacrarum literarum insolens, cognoscet hanc dicendi rationem alijs locis esse vsurpatam, ex quibus is, quem tractamus, planus fiet. Nam Christus ipse à
[*Luc. 12. g.*] quo hæc vrbs, de qua propheta loquitur, id est Ecclesia per orbem stabilienda est, dicit; Ignem veni mittere in
[*Quid ignis nonunquam in scriptura sacra significet.*] terram, & quid volo nisi vt accendatur. Is igitur ignis ille est, quo sepiendam esse vrbem noster propheta dicit. Qui nihil est aliud, quàm vehemens quidam amor rerum spiritualium, quo mens hominis à terrenis rapitur ad cœlestia: ex quo ingens rerum humanarum contemptio oritur, spiritu ad
[*Quanta vis sit diuini amoris.*] se nos totos reuocante; ex quo fit, vt copias, facultates, voluptates, amicos, parentes, cognatos, corporis cruciatus pro nihilo ducamus, dum Christum, & spirituales diuitias adipiscamur; & vt res acerbas tam forti, & constanti animo perferamus, vt nulli neque homini, neque perturbationi animi, neque fortunæ succumbamus. hoc igni Ecclesia, noua Ierusalem circundatur, & ita roboratur, vt nulli neque reges, neque immanes tyranni,
[*Matt. 16.*] neque denique portæ, & inferorum acies eam superarint, neque vnquam superare poterunt. Ex hoc intelligitur illud, quod Ioannes Baptista dixit.
[*Matt. 3. c.*] Ego quidem baptizo vos in aqua, ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igni, idest, ardentissimum amorem rerum spiritualium, & magnum rerum humanarum contemptum excitabit. Hoc igni bene tactus esse videbatur Paulus cùm Rom. scriberet. Quis nos se-
[*Rom. 8. g.*] parabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum enim quia nec mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Ab ijs ducibus Ec-
[*Quo igne Ecclesia circumdata fuerit.*] clesia defensa, hoc igni, & animi ardore inflammati milites tutissimo muniuntur præsidio: & ideo dicit vates noster; *Ego ero murus ignis.* nam ipsemet Spiritus sanctus est ignis ille, qui inflammat fideles; ipse in figura ignis super Apostolos in die Pentecostes
[*Matt. 3.*] est è cœlo delapsus; ipso (vt Ioannes ait) baptizantur fideles. Ergo qui res
[*Quo pacto nos res nostras in tuto collocabimus.*] suas in tuto cupit collocari, hoc igne accendatur, se totum à corpore, & à rebus externis ad mentem, & spiritum auocet: nihil magnopere amandum, & expetendum existimet, nisi quod mentem, & spiritum perpetuò duraturum attingat: quo nullo maiori præsidio se, suaque omnia firmare vnquam valebit; quod ipse Christus monet.
[*Matt. 6. c.*] Nolite (inquit) thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures fodiunt, & furantur;

rantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt: neque furantur. Cum igitur ex hac Christi Seruatoris sententia, nihil in hoc orbis terrarum domicilio tutum, nihil insidijs vacuum sit, quo se tutum hic quisquã arbitratur præsidio, nisi domicilium, & habitationem mutet, in cœloque se, suaque omnia collocet? Hac ergo de causa Ecclesia tam firmũ habet præsidium, quòd tota igni illo ęthereo cingitur, atque sepitur, tota cœlestis est, nullis bonis, nisi cœlestibus innititur: cœlestium modò facultatum cupiditate ducitur. Quare qui intra eam claudi, & contra hominum, & Dæmonum insidias muniri optat, eam pro virili parte debet imitari. Sequitur in propheta.

Cur Ecclesia tam firmum habeat præsidium.

Et in gloria ero in medio eius. Verbum Hebræum est כָּבוֹד *cabod*, quod Hebræi dicunt significare gloriam, honorem, & animam; quòd sit corporis gloria. & ita intelligitur illud Psalmi. 29. Vt cantet tibi gloria mea; & non compungar, id est, anima mea laudet te. & illud Psalmi. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultabit lingua mea. in Hebręo est כְּבוֹדִי *quebodi*, gloria mea, id est, anima mea exultabit. Sed ne tam ambiguè exponatur, meliùs est vt significare dicamus, totius rei pondus, atque momentum, id quòd affert decus totum, & ornamentum, qua significatione, & translatione latini vsurpant hoc nomen pondus: & ita dicunt, res magni ponderis; & epistola habens pondus, id est, de rebus magnis, & grauibus scripta. & ita rectè illos Dauidis versus exponemus, id est quidquid in me ponderis est atque momenti, laudabit te: tibi enim acceptũ refero. quòd ideo ita rectiùs mihi nomen hoc videtur declarari: quia ipsi Hebræi fatentur nomen כָּבֵד *cabed*, & כֶּבֶד *quebed*, à quo manat, idẽ quod grauis propriè significare, & verbũ כָּבַד *cabad*, grauare, vel aggrauare. & si exponamus hoc modo, aptissimè sine tanta ambiguitate in omnia loca vbi reperiatur, quadrabit. Ita illud Iudicũ. 18. Qui cùm pergerent, & anteire fecissent paruulos, & iuméta כְּבוּדָּה *quebuda*, quod Hieronymus vertit; & omne quod erat pretiosum. Targus interpretatur קִנְיָנָא *quiniana*, id est, substantiam, id est, quidquid ponderis, & momenti erat; Hispanè *todo el ser de la casa*. ita illud Genesis. 45. Nuntiate patri meo vniuersam gloriam meam, id est, *todo mi ser*, totum pondus, quod habeo. His habitis facilè nostri prophetæ locus plenè intelligitur.

Psalm. 29.

Psalm. 15. b

כָּבוֹד quid propriè Hebræis significet.

Iud. 18.

Gen. 45.

Et in gloria ero in medio eius. Id est non solùm tanquam murus eam vndique circũdabo, sed etiam ero quidquid intùs ponderis, & momenti habebit, id est, me tantùm quęret, in me omnis eius gloria, honos, copiæ, facultates; quidquid expetendum fuerit, continebitur. quod ita fieri videmus: nullas enim opes (vt iam diximus) nullas facultates Ecclesia per se, vique sua requirit, nisi cœlestes. Superioribus tẽporibus quidquid præmij proponebatur tenentibus præcepta Dei, id narratur Leuit. vigesimo sexto. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. &c. Itaque huius seculi etiam diuitias tum Ecclesia quęrebat: quandoquidem ei tan-

Quidquid ponderis atque momenti habet Ecclesia, & quidquid ipsa quærit, Deus est, vel Dei est.

Leuit. 26.

tanquam præmium etiam erant propositæ: at nostræ Ecclesiæ institutores, & administratores Apostoli, diuitias omnes huius æui cōtempserunt:

1.Tim.6.b

& Paulus monet: Habentes alimēta, & quibus tegamur ijs contēti simus. & alio loco: Si verè diuites esse cupitis, veras diuitias amate. Quare quidquid per se, vique sua nunc Ecclesia postulat, quidquid quærit, & æstimat, Deus est. Quocirca rectè ꝓpheta dicit; Ego ero gloria in medio eius, id est totum pondus eius, & quasi anima eius, vt totam nominis vim amplectamur.

Vt anima totam corporis dignitatem continet, ita Deus Ecclesiæ.

Estque pulchra similitudo ad hoc intelligendum. Vt enim anima tota corporis dignitas continetur: ita in Deo vniuersam dignitatem, & amplitudinem suam Ecclesia positam habet.

Esai.60.d.

quod Esaias etiam luculenter vaticinatus est, cum Ierusalem loquens: Non erit tibi ampliùs Sol ad lucēdum per diem, neq; splendor Lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam. Quibus verbis apertè propheta declarat, hāc vrbem non materialem, sed spiritualem esse, cui nihil Sole, & Luna materiali opus sit; sed ita totā ex Deo pēdere, vt ipse sit ei pro Sole, & pro Luna. Ac deniq; omnis erit gloria eius, id est, totum bonum eius (vt exposuimus) quidquid ponderis, & momenti habebit, non Solis, non Lunę, ne dum aliarum rerum subsidio indigebit: sed omnia à me habebit. Certè huius vrbis legitimus ciuis erat Dauid, cùm dixit:

Psalm.3.a.

Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea, exaltans caput meum. Cæterùm cùm noster propheta ait; Et in gloria ero in medio eius: ad illud alludere videtur, quod Deus Israëli se daturum spopondit, si legem eius seruarent; Ponam tabernaculum meum in medio vestri.

Leuit.26.b

quod de tabernaculo, in quo erat arca dicitur; quæ gloria Dei appellatur, vt. 1. Reg. 4.

1.Reg.4.d.

Trāslata est gloria Dñi de Israel; quia capta esset arca Dei. Videtur igitur propheta dicere, ego ero pro arca in medio vestri. Deinceps ꝓpheta dicit.

6 *O, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus; quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus omnipotens.* Et Ierusalem materialem, & spiritualem ædificādam esse paucis propheta prædixit: eisdem iam verbis, & materiales, & veros Israëlitas ad opus vtriusque vrbis repetendum vrget: & acutissimè vtrisque quid faciendum sit, declarat, vt vrbe sua fruantur. ait igitur, O, ô fugite de terra Aquilonis, id est, deserite Babyloniam, quæ ab Ierusalem spectata pertinet ad Aquilonē: & adhuc nōnulli Iudæi Babyloniæ detinebantur, ad quos hæc pertinet adhortatio, O, ô. in Hebræo est הוי *hoi*, quod & vocantis aduerbiū est, & dolentis interiectio. vt Esai.55. הוי *hoi*, idest, ô omnis sitiens venite ad aquas.

Esai.55.a.

& illud. 3.Reg. 13. Et planxerūt eum, heu mi frater.

3.Reg.13.a

Hebraicè הוי & vtraque significatio aptè in hunc locum cadit, vt sit aduerbium reuocātis eos Babylonia, & interiectio dolentis qui adhuc Babyloniæ commorabantur.

Quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos. In Hebræo est vox כי *qui*, quæ & quoniam, & quāuis significat, & vtraque significatio quadrat. id est, ea de causa voco vos, quoniam dispersi vos in varias orbis partes; quas omnes vt comprehendat, nominat quatuor præcipuas, id est Orientem, Occidētem, Septentrionem, & Meridiē: quas quatuor vētos appellat; quia ex illis distinguūtur. quadrat etiā si quā-

Septuaginta interpretum editio differre videtur ab Hebræa, & vulgata editione, & conciliatur cum illis.

uis significet: Volo vt Sion conueniatis, quamuis in varias vos mundi plagas disperserim. Sed facessit negotiũ quòd Septuaginta aliter, quàm est in Hebræo, & in vulgato nostro hũc extremum articulum reddunt: habent enim, διότι ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων τοῦ οὐρανοῦ συνάξω ὑμᾶς. id est, quoniã è quatuor ventis cœli congregabo vos. quæ sententia rectè cũ superiori cohæret, & cũ ea, quæ proximè sequitur. Sed verbũ פָּרַשׂ *paras*, non congregare, sed dispergere, & expãdere significat, vt vertit noster interpres. quare Septuaginta nõ tam verba, quàm mentem prophetæ reddiderunt. Ea enim de causa eos Deus Babylonia reuocat, vt eos, qui dispersi erant, ad Sionem ædificandam, & propugnandam venirẽt. & eadem ratione conciliatur versio sequentis sententiæ.

7 *O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.* Quibus verbis declarat, quod antè dixerat; O, ô fugite de terra Aquilonis. Sed in Hebræo est הִמָּלְטִי *himmaleti*, seruare; & in alijs libris editionis vulgatæ est fuge. & ita legitur in cõmentarijs Hieronymi, ex quo vulgata nostra in prophetis sumpta esse videtur: sed hæc modica differentia est; maior esse videtur in septuaginta; qui ita vertunt εἰς Σιὼν ἀνασώζεσθε οἱ κατοικοῦντες θυγατέρα Βαβυλῶνος, in Siõ saluabimini qui habitatis apud filiam Babylonis. sed notio hæc esse videtur prophetæ potiùs quàm verba: volebat enim vt ij, qui pertinent ad Sion, ex Chaldæa fugerent, in qua idola colebantur, & Sion conuenirent, quæ verum Deũ colebat. & ideo quod propheta dicit, ô Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis; quia in vrbem Siõ oportebat cõfugere, Septuaginta verterunt; in Sion saluabimini, qui habitatis apud filiã Babylonis. Sed hæc aliquo modo Ierusalẽ attingunt materialẽ, ad quã ædificandã Zacharias, vt est in Esdra, hortabatur: & videtur candẽ prope sententiã declarare hæc verba Dei iussu à vate prædicta, quã illa iussu Cyri Regis per præconẽ prædicata, quæ narratur ab Esdra. 1. li. c. 1. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Dominus illius cũ ipso; ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum domini Dei Israel; ipse est Deus qui est in Ierusalẽ. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicunq; habitant, adiuuent eum viri de loco suo, argento, & auro, & substantia, & pecoribus. Perfectè tamẽ nostri prophetæ verba ad vrbem spectant spiritualẽ, de qua proximè dixerat: & explicat acutissimè quid nos facere oporteat, vt tantorum ornamentorũ, & beneficiorum, quibus Ecclesiã augẽdam esse prædixerat, participes esse possimus. Semper enim illa primò posita sententia persistit; Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Non enim nos ad tanta beneficia, & ornamenta capienda, tanquam lapides, & ligna esse vult, quæ artificis solùm opera dolãtur, & sculpuntur: sed non nihil etiam in tãto negotio nos habemus gerere, atq; iuuare, vt nõnihil saltẽ gloriæ, atq; laudis ex opere tam mirifico reportemus. Animaduertamus ergo quid propheta nobis præcipiat. *O ô, fugite de terra Aquilonis.* Aquilo ventus est à Septentrione flans; & hac de causa est reliquorum ventorum frigidissimus: ex quo factum est, vt vitia, atque peccata in Sacra scriptura significet, quæ charitatis ardorem extinguunt, & faciũt vt homines in pietate colẽda frigescant. Aëris deniq; huius naturã describit Eccl. c. 43.

1. Esd. 1.

1. Esd. 5.

Cadunt prophetæ verba in Ierusalem materialem sed perfectius in spiritualem.

Quid nos agere oporteat vt ornamentorũ Ecclesiæ participes simus.

Zach. 1.

Aquilo quòd omnium ventorũ sit frigidissimus, vitia atque peccata in scriptura significat.

Eccl. 43.

Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua, & super omnem cōgregationem aquarū requiescet, & sicut lorica induet se aquis, & deuorabit montes, & exuret desertum, & extinguet viride, sicut ignē. Similem rigorem, & ad officia torporem, dedecus, & turpitudinem in animum vitia inducunt. Quare qui in vrbem igne (vt exposuimus) septam intraturi sunt, oportet vt frigus excutiant, vt caleant. & non frigeāt in officio fungendo: alioqui viui in hac vrbe manere non possunt. Non enim ad eam vrbem, quam vndique flammæ circundant, frigidus vllus aër penetrare potest. Quamobrem eos, qui huius vrbis cupiditate ducūtur, rectè propheta monet; *O ô, fugite de terra Aquilonis*, emendate sceleratam consuetudinem, abijcite vitia, deponite scelera, & pœnitentiæ lachrymis abstergite. Et hac de causa in Canticis sponsa optat dicēs; Surge Aquilo, veni Auster, persla hortum meum, & fluēt aromata illius. Auster enim, qui aër est calidus à meridie perflans, medicinā affert ijs, quæ aquilo frigore vastauit. Vt Ecclesiasticus loco citato post ea, quæ antè dixi, ait; Medicina omnium in festinatione nebulę, & ros obuians ab ardore venienti humilem effecit eum. Ita si lachrymis ab ardore charitatis allatis, vitijs atq; peccatis occurramus, omnia delebimus, & frigidum Aquilonis impetū comprimemus.

Qualis dedecus in animā vitia inducunt.

Qui viui in Ecclesia manere nō possint.

Cant. 4. d.

Auster quid significet in scriptura.

Eccle. 43.

Quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos. Vel quamuis, vt exposuimus, idest, quāuis de terra Aquilonis fugere hortor, non eos solos me ad vrbē meā vocare putetis, qui ad Aquilonē ad illam relati habitāt: omnes voco quotquot sunt per orbē terrarū: non enim solum aditus patebit ijs, qui ad Aquilonē spectāt; sed illis etiā, qui reliquos tres ventos attingunt: nā dispersi per orbem multos veros Israelitas, quos omnes ad Ecclesiam confugere volo. quam explicationē vehementer illustrat Septuaginta, (quam suprà diximus) versio: E quatuor vētis cœli congregabo vos. Iuxta Esaiæ vaticinium. Noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. dicā Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

Omnes homines vult deus ad Ecclesiā venire.

Esai. 43. a.

O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babel. Sed quò confugiet? in quē locū se recipiet, nisi in vrbem Sion? quare locum etiā hunc illustrat versio septuaginta interpretum, quam suprà posui mus: in Sion saluabimini, qui habitatis apud filiam Babylonis. Ecclesia est (vt explanabimus) tutissimus ad se quemq; recipiendum locus: quippe quę igne tota circūdata est, atq; adeo Deus ipse murus eius. Est enim Ecclesia Dei arca illa Noe, in quam omnes qui nō intrauerūt, aquis diluuij obruti sunt. & eam sic vocat Esaias. Vrbs fortitudinis nostrę Sion saluator (ait) ponetur in ea murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iusta custodiens veritatem.

Ecclesia est arca Noe.

Esai. 26. a.

8 *Quia hæc dicit Dominus exercituum, Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos.* Hæc verba non nisi in Christū cadūt ipsis Hebręis assentientibus, qui sic hūc locū explanāt. Postquā Romani adepti fuerint imperiū totius orbis, veniet Messias. quare velint nolint sua sentētia conuincūtur. Quādo enim Christus seruator apparuit, tū primùm Romani adepti fuerūt totius orbis imperiū: nūquā enim

populus Romanus tantam pacem, quãtam temporibus Augusti traxit. de cuius edicto vniuersus orbis (vt au-
Luc. 2. ctor est diuus Lucas) nomina dedit: quo tẽpore Christus seruator in Betlehẽ natus est. Planiùs tamen interpretatur, post gloriã: si nõ ad Romanorũ gloriã, de qua nulla mentio facta est: sed ad gloriã, de qua antè propheta dixit, referatur, id est, prӕterquã ꝙ gloria ero Sion; veniã prӕterea ipse missus à Deo patre, vt eius dux sim: nõ solùm murus ignis ero Sion, non solùm eius gloria, totũq; põdus, ac momentũ; sed etiã dux, & imperator ero eius aduersus gentes eas, quę dissipauerũt illam. Christum verò à patre fuisse
Ioan. 16. missum, vbiq; ipse (vt Ioãnes scribit) testatur. Sicut misit me pater, & ego mitto vos: & alio loco. Sicut misit me viuẽs pater, & ego viuo propter pa-
Ioan. 3. trẽ. rursus. Sic Deus dilexit mundũ, vt filiũ suũ vnigenitũ daret. quӕ omnia eò spectant, quò omnes homines hortetur, vt ad Ecclesiã perfugiant tanto pręsidio munitã, tanta gloria abũdantem, tãto Imperatore decoratã: & vt eius aduersarios terreat, & illos omnes, qui aduersus huius vrbis ciuẽ virum iustũ, atq; probum pugnant, aut inimicitias gerunt; quibus omnibus notũ sit, se aduersus Deũ Opti. Max. omnipotẽtẽ, & Dominum exercituũ bellum suscepisse; qui tam vnicè huiusmodi ciues amat, vt dicat. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Ex quo palàm fit eos, qui virũ insontem aut lӕdunt, aut ignominia afficiunt longè magis Deũ, quantũ in se est, & offendere, & ignominijs appetere. Nam cùm Deus bonorũ patrociniũ, & tutelam susceperit, qui eis detrimẽtum afferre conatur, re probare molitur, neq; securũ eos patrociniũ habere, neq; in tutum prӕsidiũ cõfugisse. quod quidem in Deũ nimis iniuriosum, & contumeliosum est: cùm de nulla re magis glorietur, quàm quòd eos, qui ad se confugiunt, securos ab omni reddat periculo: vt Dauid ait;
Psal. 90. Altissimum posuisti refugium tuũ: non accedet ad te malum, & flagellũ nõ appropinquabit tabernaculo tuo.
Deut. 32. & in Deutero. Videte quòd ego sim solus, & non sit alius prӕter me. ego occidam, & viuere faciã, percutiã, & ego sanabo: id est, ego solus bona, & mala recõdita habeo, ita vt nemo neque bonis frui, neq; mala inferre, nisi me volẽte poterit. Quare stultissimus est, qui eum, quem Deus defendẽdũ susceperit, incommodis afficere moliatur. Cùm verò propheta dicit, *Tangit pupillam oculi mei;* ad illud alludere videtur, quod est in Deutero. de cura
Deu. 32. b. Dei erga populũ dictũ: Circunduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sed in Hebrӕo est tangit pupillã oculi sui: & ita vertũt Septuaginta viri: ac est in cõmẽtarijs Diui Hieronymi, tangit pupillam oculi eius; & Plãtinus testatur, duo se vulgatӕ editionis exempla vidisse, in quibus erat, oculi sui. quare vtroque modo potèst legi. Quod si hoc secundo modo legatur, magnum etiã timorem verba vatis iniuriosis in proximos, & contumeliosis hominibus inijciunt. Scire enim debẽt, se longè maius damnum reportare, quàm inferant. Vӕ impio in malum; retributio enim manuum eius fiet ei, Esa. inquit.
Esa. 3. b. quod de illis dicitur, qui alios lӕdũt; quibus longè maior gratia referenda est: & ob eam rem propheta dicit; Vę impio, &c. quӕ interiectio ingentis cuiusdam vltionis significationẽ habet. Sequitur in propheta.

Christus fuit à Deo missus vt dux esset Ecclesiӕ.

Quantũ eos propheta terreat, qui aduersus Ecclesiam, vel virum iustum bellũ gerũt.

Qui virũ iustum ignominia afficit, magis quantum in se est, Deum appetit ignominia.

Iniuriosi in proximos maius damnum reportant, quam inferunt.

9 *Quia ecce ego leuo manum meā super eos, & erunt prædæ ijs qui seruiebant sibi.* Leuo manum meam, habitus prælian tis est, & hostes ferientis: vt illud Iere

Iere.21.

miæ.21. Et debellabo ego vos in manu extēta, & brachio forti. Sed iam videamus quo pacto sit noster imperator clarissimus sanctæ Ecclesiæ inimi

Ecclesia redi get in seruitutē eos, quorum est perpessa seruitutem.

cos vlturus. Et erūt prædæ (ait) ijs, qui seruiebāt sibi, hoc est, seruitutem seruient eis, quos antè dura seruitute opprimebāt. id est, Ecclesia eos ducet captiuos, quorū antè seruitutē perpessa est. Imperator Romanus oppugnabat Ecclesiā; at postea Ecclesiæ cessit, & in eius potestatē veniēs Ecclesiæ factus est Imperator. Eodē modo Rex Galliæ, Rex Hispaniæ, Rex AEthiopiæ, & alij reges potentissimi, duces, principes, & optimates, quos Ecclesia in potestatē redegit, cùm antè ab eis aut labefactata, aut cōtēpta esset. Sed quæ tam magna truculētissimorū hostiū vltio hæc est, vt Ecclesiæ obtēperent, & in alijs eius ciuibus numerentur, & æquo iure cum eis viuant; atq; adeò nō Ecclesiæ serui, sed filij cēseantur? cur eius vltionis hic mētio nulla fit, qua multi Ecclesiæ hostes æternis cruciatibus apud inferos cōficiētur?

Quā eximia fuerit Christi hostiū suorū victoria.

At nūquā planior, & illustrior victoria fit, quàm cū hostis manus dat, & qui antè de victoria decertabat, victū se fateatur, supplexq; ad pedes iaceat victoris: nam hoste necato, nō ita eminet, & apparet victoria: solet enim dici, occisus, & nō victus est. Et Ecclesia meritò gloriatur de martyrū suorū victoria, tametsi fuerint miserabiliter cæsi. Illa tamē omniū clarissima, & excellētissima victoria est, qua nulla maior excogitari potest, cùm non solùm hostis cedit, manusq; dat, sed etiā eū vsq; eò illati belli pœniteat, adeoque pro eo quē ante ducebat hostē, ex animo pugnet, vt seipsum vlciscatur, maximisq; pœnis multet, atque adeò si fas esset, se interficeret, quòd eius hostis fuerit, quem admirabili bonitate prædictū cognoscit. Quæ victoria tāta est, vt nemo neq; Angelorū, neq; hominū, nisi solus Deus, de hoste vnquā cōsecutus sit. Hāc Deus passim victoriā prædicat, de hac vi sua, & infinita potentia gloriatur, quòd eos, qui vrbi, & Ecclesiæ suæ infestissimi erant, Ecclesiæ ex animo, libentissimeq; seruire coegit. Sic Dauid canit; Et inimici eius ter

Psal.71.

ram lingent, id est, humilitatem, & dimissionē summā profitētes, ei palmā concedēt: ita in Esaia dicit, ab spiritu

Esa.61.a.

Dei, à quo vnctus est, se missum esse vt prædicarē (inquit) annū placabilē Dño, & diē vltionis Deo nostro. cuius vltionis modū postea declarās ait; Et stabūt alieni, & pascent pecora vestra, & filij peregrinorū agricolę, & vinitores vestri erunt: vos autē sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis. fortitudinē gentiū comedetis, & in gloria eorū superbietis: pro cōfusione vestra duplici, & rubore laudabūt partem eorū. Cùm alienos pastores, vinitores, agricolas futuros dicit, alienas à fide gētes, & inimicas Ecclesiæ intelligit, quas Episcopos, præfectos, vicarios denique Apostolorū futuras esse præsagit, neq; huiusmodi munia se indigna iudicabūt: nec veluti mancipia se ijs muneribus, licet vilia videātur, addictos putabūt; sed plurimi hūc gradū facient illi, qui vos antè irridebāt, & indignos vsu, & consuetudine sua iudicabant. Magna certè vltio, ac tā pręclaro Imperatore dignissima! At illa non tam præclara hostium suorum victoria est, si illos in tartari carcerem cōijciat. Nō enim

tam

tam præclarè cum istis agitur, vt se victos cognoscant: perpetuò enim se Dei inimicos profitentur, ac regno suo, si possent, illum vellent spoliare. idcirco non hæc, sed illa victoria proponitur, quæ planiùs, & excellentiùs Dei summam, & immensam virtuté declarat. Quid enim mirùm, si Deus omnipotens inimicos perpetuò duraturos, æternis tenebris, vinculisq; mã det, cùm passim videamus vel homines imbecillos in vinculis inimicos suos quamdiu vixissent, retinuisse: at illud quod ego sciam post hominum memoriam nemo vidit, vt tam ex animo quisquam ab inimicis suis diligatur, quàm Deus optimus ab eis, qui antea ei erant inimici, dilectus, & amatus est. & ideo additur.

Et cognoscetis, quia dominus misit me. Quod vel ad Christum, vel ad vatem referri potest. Si ad vatem, hanc habet sententiam: cùm hæc fieri videritis, cognoscetis me verum fuisse prophetam. Sed meliùs est ad Christum referri: nam parte antecedente, ac cõsequente capitis, quasi Christi personam gerens loquitur vates. Quare significat, quod ex tam admirabili victoria Dei filius esse intelligetur. Est enim summũ diuinitatis Christi argumentum, non quòd hostes suos euerterit, sed ꝙ conuerterit: nõ ꝙ graues poenas hostes ab eo pertulerint, sed quòd grauissimas ipse pro eis pertulit. Cùm exaltaueritis filium hominis (ait ipse) tunc cognoscetis quia ego sum. quod de exaltatione illa miserabili, quãdo in crucem actus est, intelligit. Christus enim crucifixus ipsis vocatis Iudæis, atq; Græcis Dei virtus atq; sapiẽtia est, vt Paulus scribit: declarat enim tã admirabilis vincendi modus infinitã eius potẽtiã cũ summa sapiẽtia cõiũctã.

Ioan. 8. d.

Nimis Christi diuinitatẽ declarauit eximius eius vincendi modus.

1. Cor. 1. d.

Sequitur in propheta. 10. *Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.* Totius huius capitis oratio est quidẽ alta, admirabilis, & ad cõsolandum suprà quàm dici, aut imaginari potest accõmodata; quæ grauissimis ingressa sentẽtijs, tot ac tãta habet incremẽta, vt nullũ tantũ sit acumen ingenij, quod illã non solùm cõplecti intelligẽdo, verumetiã neq; admirando persequi possit. Est enim tanta luce, & diuina claritate perfusa, vt nisi diuino auxilio acies humanæ mentis roboretur, eam planè perstringat. Vt Deus populũ iacentẽ excitaret, anxiũ consolaretur, & ad opus vrbis stimularet; primùm promisit vrbe instaurãdam: deinde tam amplã futuram, vt nullis muris cõprehẽdi posset: tertiò, muro ignis circundandã; quartò, tanta gloria insignẽ futuram, quãtus est ipse Deus. nam ipse gloria eius futurus est. quintò, Deũ ipsum imperatorem aduersus omnes eius hostes futurũ; quò nihil maius accedere posse videbatur. Sed tãta fit accessio, vt quod ante non fecit propheta cùm lætissima nũciaret, nunc faciat, vt eam canere, & lætari iubeat, & quasi εὐαγγέλια postulare videatur. Nihil est filia Siõ, quod moerore cõficiaris; debes moestitiã pellere, lætari vehemẽter, & triũphare præ gaudio: quia ecce ego ad te venio, & habito in medio tui. quod quãuis nonnulli Hebræorũ (vt refert Hieronymus) stultè tẽporibus Zorobabel aliqua ex parte præstitũ esse putent: alij tamẽ, quos ego vidi, ad Messiæ tẽpora omnino referendum asseuerant: christiani tamen omnes ad vnum, quod ego sciam, Messiæ, Christiq; tẽporibus sine dubio impletum esse censent. quod vel ipse contextus aper-

Quam admirabilis oratione fuerit Zacharias vsus.

Non potest Zacharias locus nisi de Christo accipi.

apertiſsimè docet. Nam poſtquam
Deum murum, gloriam, imperatoré-
que Ieruſalem futurum eſſe dixerat;
quid attinebat vltimo loco lõge ma-
iore verborũ pondere quàm antea, &
quaſi Euangelia (vt dixi) petendo ad-
dere, Ecce ego venio, & habito in me
dio tui? Si ad Zorobabel, aut Nehe-
miam id ſpectaret; quæ tam magna,
& præclara ſponſio erat, quòd Zoro
babel, aut Dei templum futurũ erat
in Hieruſalem, ſi cum illis, quas dixi,
conferatur, vt ob talem nuncium fi-
liã Sion lætari, & canere iuberet. Qua
re pro explorato, & comperto habea
tur, tum primùm ſe Deum hac ſpon
ſione liberaſſe, cùm filius Dei homo
Baruc. 3. d. factus eſt, iuxta illud Baruc. Poſt hæc
in terris viſus eſt, & cum hominibus
cõuerſatus eſt. Cùm dicit propheta;
Chriſti quanta humanitas, & æquitas fuerit. *Habito in medio tui.* & Chriſti æqui-
tatem, & humanitaté ſignificat, quã
inter nos habitans erga omnes homi-
nes vſus eſt. Æquitas in eo cernetur,
quòd ius æquale omnibus dicet, ne-
que Reges, Principes, & optimates
verebitur, neque pauperum clamore
flectetur, ſed in medio tanquam per
pendiculum ſtans, in neutram extre-
mam partem inclinabit: ſed vnũ ius,
Eſa. 16. b. ac verum ſpectabit, vt eſt ab Eſaia præ
dictum. Et præparabitur in miſericor
dia ſoliũ eius, & ſedebit ſuper eũ in ve
ritate, in tabernaculo Dauid iudicãs,
& quærẽs iudicium, & velociter red
dens, quod iuſtum eſt. In medio etiã
pro magna ſua humanitate poſitus
erat, quòd æquè omnibus ad ſe pate-
bat aditus, neminem ſuo colloquio
Mat. 11. arcebat; imo ipſe prædicabat, Venite
ad me omnes, qui laboratis, & onera-
ti eſtis; & ego reficiam vos. & alio lo
Mat. 19. b. co; Sinite paruulos venire ad me, quia
ipſorum eſt regnum cœlorum. Nec

vero putandum eſt hoc beneficium
Eccleſiæ præſtitiſſe eo tẽpore ſolùm,
quo inter homines verſabatur, ſed
ſemper, ait ipſe, vobiſcum ſum vſque
ad conſummationem ſeculi. Eſt Chri Mat. 28.
ſtus Eccleſiæ tanquam lignum illud *Chriſtus lignum vitæ quod erat in medio Paradiſi.*
vitæ, quod erat in medio Paradiſi; Et
in medio plateæ eius ex vtraque par-
te fluminis lignum vitæ. vt ait Ioan- Gen. 2. b.
nes in Apocalypſi. Apoc. 22. a.

11 *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui.* Vaticiniũ
eſt, quo prædicitur nõ ſolùm Iudæos,
ſed etiam homines alios omne genus
in Eccleſiam ſe recepturos: quod in
ipſis nouæ Eccleſiæ principijs, genti- *In Eccleſiæ principijs voluit de admirabile fuit gentiles participes Euangelij fieri.*
les ſcilicet non excludi, ſed Dei volũ
tate admitti, participeſq; eſſe Euange
lij fuit valde mirabile vel diſcipulis,
& Apoſtolis ipſis à Chriſto, & Spiri-
tu ſancto de omnibus rebus inſtru-
ctis, vt cognoſcitur ex Actis Apoſto- Act. 10. c.
lorum, quãdo diuino oraculo Petro
iuſſum eſt, vt gentibus etiam expone
ret Euangelium. Et obſtupuerunt (vt
ibi narratur) ex circunciſione fideles,
qui venerãt cum Petro, quia & in na-
tiones gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.
Et expoſtulabant cum illo alij fratres Act. 11. a.
de cõmunicatione cum hominibus
præputium habẽtibus. & Paulus ait. Ephe. 3. a.
Quod alijs generationibus non eſt
agnitum filijs hominum, ſicuti nunc
reuelatũ eſt ſanctis Apoſtolis, & eius
prophetis in ſpiritu, gentes eſſe cohæ
redes, & cõcorporales, & compartici
pes promiſsionis in Chriſto Ieſu per
Euangeliũ. Et ita vt prophetæ noſtro,
reuelatũ etiã fuit Dauidi, qui ait: Re- Pſal. 71.
ges Tharſis, & Inſulę munera offerẽt;
Reges Arabum, & Saba dona addu- *Quomodo ſtudio gẽtes ad Chriſtum effluxerint.*
cent: & adorabũt eum omnes Reges,
omnes gẽtes ſeruient ei. Studiũ verò
magnum

magnũ, & ardorẽ ingentẽ, quo gẽtes applicabuntur ad Christum (vt noster propheta dicit) luculenter exponit Esaias. Leua in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, & venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filij tui de latere surgẽt. Tũc videbis, & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, & fortitudo gentium venerit tibi: inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madiam & Epha: omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes & laudem domino annuntiantes. Et magnam quidem consolationem Ecclesiæ attulerunt tot, tam egregijque viri ad eam confluentes. Quod verò dicit.

Esa.60.a.

Habitabo in medio tui. Id est, Deus ero vniuerso populo ex Iudæis, & Gẽtibus congregato; vt ipse dixit, Alias oues habeo, quę non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Cæterùm septuaginta interpretes vertũt. Habitabunt in medio tui, id est, Ierusalem, quæ est Ecclesia, & fidelibus annumerabuntur.

Et sciet, quia Dominus exercituum, misit me ad te. Id est, cùm tot nationes, atque prouincias bello subactas videris, intelliges me duce, & Imperatore factum fuisse. Nam vt cætera taceam, magno quidem argumẽto est, fidem, religionemque nostram non esse hominum commẽtum; sed à Deo traditam fuisse; quòd tenues, & egeni homines nullis armis, nullis copijs adiuti, omni hominum præsidio destituti atque adeo nullis humanis disciplinis, & scientijs antè imbuti; sed ex retibus, & telonio delecti, & à Christo

Magnum argumẽtum ad intelligẽdum religionẽ nostram à Deo fuisse traditam.

vocati, tot Regibus, optimatibus, & philosophis repugnantibus, bellumque aduersus eos acerbissimum gerentibus, Ecclesiam, quæ res intellectu difficilimas profitetur, in orbe terrarũ firmissimè constituerunt, ac tot reges, & sapientes homines in ditionem eius redegerunt.

12 *Possidebit Dominus Iudam partem suã in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem.* Iuda pro Ecclesia hic vsurpatur sicut antea filia Sion, & Ierusalem; id est pars quæ in orbe terrarum Dei esse dicetur, erit Ecclesia. Alludere videtur ad illud Deut. Pars autem domini, populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius. Ex quo intelligi licet, quòd tametsi vniuersum hominum genus à Deo imprimis sit effectum, & omnes eius creaturæ simus; solos tamen viros bonos suos appellari vult: itaque cæteri sunt alieni censendi, & dæmoni iniquo domino addicendi. Misera quidẽ creaturæ cõditio, quæ ab eo alienatur, à quo tota pendet, & bonum manat vniuersum! Vsq; adeò autem populos, & nationes omnes, quæ ad Ecclesiam non pertinẽt, Deus alienas ducit, vt dicat (teste Amos) Vos tantùm cognoui ex omnibus cognationibus terræ. Quare qui in Dei possessionem venire cupiunt, debent eius præcepta tenere; secus eum patrem, aut dominum suum appellare vereantur. Nam & qui non obediũt ei, Deus satis ignominiosè conuincit apud Malach. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? & Christus apud Ioannem. Vos ex patre diabolo estis, cùm improbis loquens dicit.

Deut.32.

Solos bonos viros Deus suos appellari vult.

Amos.3.a.

Eos qui non obediunt ei, Deus satis ignominiosè cõuincit.

Malac.1.b.

Ioan.8.

13 *Sileat omnis caro à facie Domini: quia cõsurrexit de habitaculo sancto suo.* Phra

Sileat omnis caro phrasis hebraa.

sis Hebręa est, sileat omnis caro: qua summa subiectio significatur; ducta metaphora à seruis, qui dominis obiurgantibus loqui non audent, neq; pro se respondere, quamuis sceleris arguantur: & ita de Alexandro dicitur; (1. Mac. 1. a.) Cepit spolia multitudinis gentium: & siluit terra in conspectu eius: id est, nemo ei potuit resistere.

Consurrexit de habitaculo suo phrasis Hebraa.

Rursus phrasis est illa Hebræa; Dominus consurrexit de habitaculo: quo significatur, ipsum velle iam inimicos suos vlcisci, vt Dauid ait: (Psal. 67. a.) Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius; & fugiant, qui oderunt eum à facie eius. Videtur enim Deus quiescere, & quasi sedere, dum impios, & sceleratos patitur: contrà verò cùm eos punit, dissipat, & euertit, quasi surgere videtur, vt maiori vi percutiat, & feriat. Quare dubium non est, quin locus nostri prophetæ ad id temporis pertineat, cùm Christus vocaturus est in iudicium omnem carnem, id est, omnes homines: quo tempore ei vniuersus orbis perfectè subiectus erit, ac positus (vt ait Dauid) (Psal. 110.) scabellum pedum eius. Et tūc exurget ille, qui ad id vsque tempus sedet à dextris Dei, vt ipse etiam Dauid testatur.

Quādiu mundus durat, tacet Deus, & impij loquuntur: in die tamen iudicij è contrario accidet.

Ex quo orbis conditus est, vsque ad tempus illud, liberè loquitur, & effreni lingua mundus in Deū, & sanctos eius blaterat, blasphemijs, hæresibus, & alijs multis fœdis indignisq; modis Deum incessere audet, sanctos iniurijs lacessere, contumelijs, & ignominijs afficere minimè dubitat: at tacet Deus pro clementia sua, & animi magnitudine, quòd tantas impietates non coercet; aggregat tamen iras, quas omnes tunc vno impetu effundet, vt ipse ait per Esaiam. (Esai. 42. b.) Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum; vociferabitur, & clamabit, super inimicos suos cōfortabitur. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens, loquar: dissipabo, & absorbebo simul. Tū silebit mūdus, qui hactenus tam petulanter locutus est: subijciet se inuitus Deo, qui tam rebellis antea, contumaxque fuit; neque valebit vllo modo Dei iracundiā reprimere, qui libidinem suam contempsit cohibere: obmutescet denique sicut seruus ille, qui ad regiam mensam sedere ausus est, non habēs vestem nuptialem; nec exterioribus tenebris, & vinculis æternis mandatus, sententiam recusare, aut vllo modo potuit subterfugere. (Matt. 22. b.) Huius silentij imaginem, quod Deus orbi terrarum impositurus est, describit Sopho. dicens; (Sopho. 1. b.) Silete à facie domini, iuxta est dies Domini: quia pręparauit Dominus hostiā, & sanctificauit vocatos suos. Et erit: in die hostię Domini visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina (sicut homo ille de quo proximè dixi.) Cōticuit omnis populus Chanaam, disperierunt omnes inuoluti argento.

Totum Ecclesiæ progressum describit Zacharias.

Tum denique erit, cùm lapis abscissus de monte sine manibus, confringat statuam ex auro, argento, ære, & ferro conflatam, id est, vniuersa orbis regna, & imperia. Quòd verò vulgatus, & Hebræus habet. Surrexit de habitaculo sancto suo, Septuaginta viri vertunt. ἐξήγερται ἐκ νεφελῶν ἁγίων αὐτοῦ, id est surrexit è nubibus sanctis suis. quod idem est: nam sicut cœlum vocatur ab Esaia, Sedes Dei; ita apud Ecclesiasticum. 24. Sapientia ipsa Dei dicit: Thronus meus in colūna nubis. cohęretque maximè versio hæc cum illa Christi sentētia, qua se apud Marcum. c. 13. & apud Lucam. 21. ad iudi- (Ma. c. 13. Luc. 21.)

candum

candum venientem describit; Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna. Quare hoc caput totum Ecclesiæ progressum mirabili breuitate, & artificio describit. Primùm Ierusalem, id est, synagogam esse ædificandam certis terminis, certaque magnitudine, id est, quæ populum modò Israeliticum amplecteretur: deinde Ecclesiã nullis terminis comprehensam esse stabiliendam, tanto præsidio munitam, tantaque gloria abundantem, vt Deus ipse, & murus, & gloria eius esset, eoque duce, & gentes & nationes innumerabiles esse domandas, & in Ecclesiæ ditionem redigẽdas. Deum denique ipsum inter homines habitaturũ, & in iudicium omnes mortales, qui iam inde à mundi principio fuerũt, vocaturum, & grauiter in impios animaduersurũ. Quocirca caput valde notãdum est, quippe quod rerum amplissimarum, & artificio singulari dispositarum plenius sit, sic vt eius simile nullum fortè in diuinis oraculis reperire possitis.

Caput valde notandum.

CAPVT. III.

A 1 *ET ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini: & satan stabat à dexteris eius, vt aduersaretur ei.*

2 *Et dixit Dominus ad satan, Increpet Dominus in te satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem: nunquid non iste torris est, erutus de igne?*

3 *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis: & stabat ante faciem Angeli.*

4 *Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se dicens, Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum* B *Ecce, abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.*

5 *Et dixit; Ponite cidarim mũdam super caput eius. Et posuerunt cidarim mundam super caput eius, & induerunt eum vestibus: & Angelus Domini stabat.*

6 *Et contestabatur Angelus Domini Iesum, dicens.*

7 *Hæc dicit Dominus exercituum, Si in vijs meis ambulaueris, & custo-* C *diam meam custodieris: tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt.*

8 *Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui qui habitant coram te, quia viri portendẽtes sunt. ecce enim ego ADDVCAM SERVVM MEVM ORIENTEM.*

9 *Quia ecce lapis quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt. ecce ego cælabo sculptu-* D *ram eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.*

10 *In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum.*


T ostendit mihi Dominus sacerdotem magnum stantem. &c. Hoc caput vt à 1
nobis commodiùs exponatur,

natur, in duas partes oportet diuidere; vna erit, quę attinet ad Iesum sacerdotem magnum; altera, quæ ad seruum Dei Orientē. Primæ partis duas

Hieronymus. affert D. Hieronymus expositiones Vnam Hebręorum, alteram Christianorum. Hebræi Iesum sacerdotem magnum, Iesum filium Iosedec esse intelligunt: at christiani filium Dei interpretantur, in eumque omnia, quæ hic dicuntur, quadrare asseuerāt. neutram tamen expositionem improbat Hieronymus; tantùm dicit eam, quæ christianorum est, difficiliores habere explicatus in ijs verbis, quæ Iesu sacerdoti dicuntur, quæ non ita aptè in Christum conueniunt; quorum ipse vnam partem applicat, aliam missam facit. difficillimumque esse dicit in Christum quadrare. Quare Hebræorum expositionem, quòd planior, & facilior sit, libentiùs ipse persequitur. Quem tantum virū nos imitabimur, qui facilitatem, cohærentiam, & perspicuitatem in sacris literis declarandis imprimis quærimus. Nam illam

Cōtextus maximè in explicanda figura spectādus est. huius loci expositionem, quam Rupertus Abbas docet; vt Iesum sacerdotem, Christum explicet; verba tamen, quæ Iesu sacerdoti fiunt, non Christo, sed filio Iosedec fieri dicat, omnino mihi non probatur. Nam contextum, & cohærentiam negligere, quæ in exponenda figura maximè spectāda est, incommodum arbitror. Quare Iesum sacerdotē, Iesum filiū Iosedec esse declaremus, qui vnà cū Zorobabel populo præfuit, vt narra-

Esd.3.a. tur apud Esdram. Totus autem pro-

Peccata malorum causa. pheta noster in eo vertitur, vt populum à peccatis auocet, docens eam causam omnium præteritorum malorum fuisse: quare facilè si resipiscāt incommoda non modò Deum sanaturum, sed etiam lōgè maiora, quàm antea beneficia collaturum. De qua re vt Deus plenè prophetam doceret, quò ipse postea populū informaret, ei de nocte ostendit exercitum Angelorum, ad opem contra inimicorum impetum ferendam paratorum: quo

Cōtextus prophetiæ declaratur. rum opera cornua illa populo infesta secabantur, vt capite primo narratur: quo impedimento detracto, capite secundo innumera ei beneficia declarantur, quibus dominus est populum affecturus. Iam verò, quoniam Angelus ille, qui pro populo (vt dictū est) capite primo, precabatur, precando dixit; Quòusque tu non misereberis Ierusalem, & vrbiū Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est. Nunc prophetę causa obijciuntur, quæ declarent, cur, quamuis eos libertate regnante Cyro donauit adhuc per quindecim annos, quibus ædificium intermissum est, ira Dei in populum desæuiat: cuius mali culpa in ipsis Iudæis hærebat, quòd multis adhuc sceleribus erant inquinati: illo

Scelus populi causa fuit cur non templi ædificium progrederetur. imprimis flagitio, quòd filias hominum alienorum, & infidelium vxores duxissent: quod ne fieret, lege seuerissima à Deo cautum erat: in qua culpa non solùm infimæ sortis hominès erant, sed ipsi etiam Principes, & Sacerdotes, & Leuitæ, vt narratur Es- *1.Esd.10.*

drae.10. quod crimen admiserant filij Iosue sacerdotis magni ipso conniuēte, & dissimulante, vt narratur in Esdra. Et inuenti sunt (inquit) de filijs sacerdotum, qui duxerāt vxores alienigenas, de filijs Iosue, filij Iosedec, & fratres eius. Hæc igitur impedimento fuerunt, quò minùs Deus iracūdiam suam cohiberet. quod lōga oratione Esdras cap.9. persequitur. Postquam verò negotiū datum est certis hominibus,

Quibus peccatis populus erat contaminatus. *1.Esd.10.* *Esd.9.*

nibus,qui curarét omnes vxores alie-
nigenas reijciendas: hoc officio Deus
placatus, prophetæ rei imagine pro-
posita declarat, se hostium conatus
compressurum, ita vt eos ab ædificio
prohibere nó poſsint. Iam facilia om
nia,& expedita erunt.

1 *Et ostendit mihi Iesum sacerdotem ma-
gnum* (hoc est, Iesum filium Iosedec)
stantem coram Angelo Domini. Quasi
in iudicium vocatum: secũdum eam
Rom.14.b. dicẽdi rationem, qua Paulus vsus est;
Omnes stabimus ante tribunal Chri-
Michael Angelus. sti. Hunc Angelum Michaelem fuis-
se, qui Ecclesiæ præest, plerique arbi-
trantur.

*Et satan stabat à dextris eius vt aduer-
saretur ei.* Chaldaicus paraphrastes
hoc ita reddidit; Et peccatum eius
dextræ astabat, vt aduersaretur ei.
quæ aptiſsima mihi videtur explana-
Peccatũ aduersarius noster est. tio. Nam verè peccatum aduersaba-
tur ei: erat enim & suis, & populi, quẽ
gubernabat, commodis (vt exposui-
mus) obsistens. Peccati enim causa irã
tus Deus calamitates eorum non le-
Psal.50. uabat; Et peccatum meum contra me
Esai.59. est semper, ait regius vates. & Esaias;
Iniquitates vestræ diuiserũt inter vos
& Deum vestrum, & peccata vestra
absconderunt faciẽ eius à vobis. Hũc
vnum aduersarium vir iustus timere
debet; is tantùm ei obesse, atque no-
cere potest; huius ictus tantùm decli
nare, & nefarios conatus reprimere
curet; cætera Dei benignitati cõmit-
tat, qui sine dubio eum ab omni peri
Quid sit à dextris stare. culo securum reddet. A dextris verò
stabat peccatũ: quia eo peccato tene-
batur; rem enim illã, quã plurimi faci
mus, in dextera collocamus. ita pater
æternus Christo dixit; Sede à dextris
meis, id est, mecum æquo iure regna.
Quare qui à Deo ad peccatum defi-
cit, pluris peccatum, quàm Deum fa-
cit, peccatoque regnum defert, & ob
sequium profitetur: & ob eam rem
Paulus monet; Non regnet pecca- Rom.8.
tum in vestro mortali corpore.
*Stabat ergo satan à dextris vt aduersaretur
ei.* Ne Deus (inquã) in eum benignus
esset miserias eius leuando. Dirum &
iniquum regẽ, qui nihil nisi damnũ
infert, & omnia emolumenta tollit.

2 *Et dixit Dominus ad satan.* Id est, An-
gelus ille, ante quem stabat Iesus. In Angelus nomine Tetragrammatõn appellatur.
quo maximè est notandum, quod
Angelus nomine Tetragrãmatõn ap
pellatur: quod Dei proprium existi-
mant Hebræi; saltem Dei naturam, vt
in superioribus diximus, maximè ex-
plicat: fortè quòd Dei personam iu-
dicando sustinebat, ita appellatur. cu
ius similis locus, aut nullus, aut certè
pauci reperiuntur.

*Increpet Dominus in te satan: & incre
pet Dominus in te, qui elegit Ierusalem.*
Verbum Hebræũ est גער *gahar*, quod
perdere verbis significat גָּעַרְתָּ *ga-
harta.* Perdidisti gentes, & perijt im- Psal.9.
pius, nomen eorum delesti in æter- Increpare quid propriè Hebræis significet.
num, & in seculum seculi. sed cum
construitur cum ב præpositione, non
omninò, sed aliqua ex parte perdere
significat, ne ambiguè, vt Hebræi fa
ciunt, exponatur: aptè tamen explica
tur hoc verbo latino increpare, ob-
iurgare, verbis cohibere יִגְעַר בְּיַם סוּף
ighar be iam çuph, Et increpuit mare ru Psal.105.b.
brum, & exsiccatum est, id est, verbis
cohibuit mare ne obrueret filios Is-
raël: loquitur enim de via, quã Deus
populo per mare muniuit. & Nahum Nahum.4.
גוער בים *goher*, increpans mare. ea-
dem phrasi Lucas, de Christo dicit. Luc.8.d.
Increpauit ventum, & tempestatem.
ita hoc loco cũ ב cõstruitur, id est, co
hibuit, deterruit ne Iesus emolumen
ta im-

ta impediret; minimè tamen omninò perdidit: quia quamdiu in hoc seculo sumus, in potestatem peccati venire possumus. Hoc verò facto significauit peccatum Iesu esse remissum. Nam Deum increpare peccatum, est parcere. Increpet igitur Dominus in te, qui elegit Ierusalem, id est, suam di ci vult, multisque eam modis illustra re decreuit, ita vt nihil ampliùs bonis eam prohibere possis.

Nunquid non iste est torris, erutus de igne? Captiuitatem Babylonicam vocat ignem, qua Iesus liberatus fuit. Cùm ergo Dei ope tantū incendium effugerit, ijs etiā calamitatibus, quas modò patitur quę ita magnę nō sunt, eodē subueniēte leuabitur, neq; vllo pacto vrbis ædificationem impediet.

3 *Et Iesus indutus erat vestibus sordidis: & stabat ante faciem Angeli.* Vestes sordidas Vatablus Hebręos sequēs, peccata Iesus interpretatur; quòd facilè patiebatur filios suos vxores alienigenas habere: sed non aptè hæc interpretatio cohæret: nam non expellitur Satan vt dæmonem (sicut ipse vult) significet, nisi peccatum priùs tollatur quod est eius domicilium. Cùm ergo Angeli increpatione Dæmon fuerit propulsus, & quasi causa ceciderit; non ita bene conuenit, vt eo eiecto aliquid peccati relinquatur, sed meliùs est, vt vestibus sordidis miserias, & incommoda, in quibus versabatur & luctum, atque squalorem vitæ significari dicamus: quę meritò ob peccata perferebat. quam explicationem tangit Hieronymus. Vestes autem sordidæ in sacris literis luctus, & mœroris indicium esse solent. ita. 2. Reg. dicitur de Miphiboseth, quod vestes suas nō lauerat à die, qua egressus fuerat rex, vsq; ad diem reuersionis eius in pace. Et qui attulit nuncium Heli arcam esse captam, scissa veste, & con spersus puluere veniebat.

Vestes sordidæ Iesu sacerdotis quid significent.

Vestes sordidæ in sacris literis luctus & mœroris indicium esse solent.

2. Reg. 19. c

1. Reg. 4. c.

4 *Qui respondit, & ait ad eos, qui stabāt coram se.* Id est, ad inferiores Angelos, qui etiā Zacharię in visione repræsentati sunt: & fortè eūdē vidit Angelorū exercitum, quē in priore visione, de qua egimus in primo capite,

Dicens; Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum, Ecce, abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs. Hac rerū imagine declaratū fuit, velle iam Deum Opti. Max. populum calamitate, & afflictione liberare, commodisque multis, & ornamentis augere, vt magno se omnes, & erecto animo operi accingerent: nam hæc vestium mutatio gaudium, & lætitiam significat. ita. 4. Reg. narratur, quòd cùm eduxisset Euilmerodach Ioachim regem Israel de carcere, mutauit vestes eius, quas habebat in carcere. idem de Ioseph narratur in Genesi. Et Esaias fausta, feliciaque nuntiās Ierusalem ait: Induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem. Mutatoriæ vestes dicuntur vestes, quibus diebus festis vti solemus, quæ meliores, & pretiosiores esse solent. Quod verò dicitur.

Vestium mutatio gaudiū & lætitiam significat.

4. Reg. 25 g

Gen. c. 41. Esai. 52. a.

Quæ nominentur mutatoriæ vestes.

Ecce abstuli à te iniquitatem tuam. In Hebręo est עון *havon*, quod verbum nō solùm iniquitatem, sed etiam pœnam iniquitatis Hebræis significat: vt illud. 4. Reg. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare vsq; manè, sceleris arguemur: in Hebræo est, inueniet nos עון iniquitas, id est, pœna iniquitatis ita illud Psal. 69. Appone iniquitatē super iniquitatem eorū, id est, pœnā iniquitatis super iniquitates eorum. Ita etiā pleriq; explicant illud Geneséos. Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, id est, nōdum com-

4. Reg 7. c.

Iniquitas pœnam etiam iniquitatis Hebræis significat.

Psal. 69.

Gen. 15. d.

completũ est tēpus ad eos puniēdos: vel nondũ cõpletæ sunt pœnæ, quas mihi daturi sunt: quia nondũ ea esse-cerunt scelera, quæ à me vno eodēq; tēpore vindicāda sunt. Iam facilè locus in quo versamur, intelligitur; *Ecce, abstuli iniquitatē tuā.* id est, pœnā iniquitatis tuę, hoc est luctũ, & squalorē depuli, in quo propter peccata eras; faciã vt bono animo sis, & vt magno studio opus intermissum repetas.

5 *Et dixit, Ponite cidarim mundā super caput eius. Et posuerunt, &c.* Quo significabatur, liberè iam eũ, ab hostibusq; securũ sacerdotio functurũ. Ex quo intelligitur, quàm facilè Deus lāguores sanet, & è malis eripiat. Verè omnia in manu eius sunt; vereq; de illo canit Anna; Dñs pauperē facit, & ditat, humiliat, & subleuat. Illud etiam hic animaduertendũ est, quàm proximè peccatorũ remissionē sequatur felicitas. Qua de causa qui voluerit ab sese calamitatē deprecari, veniā primùm peccatorũ impetret. ita Niniuitæ tantam Dei imminentē irā mitigārunt.

Quam facile Deus lāguores sanet.

1.Reg.2.

Quam proxime peccatorum remissionem sequatur felicitas.

6 *Et contestabatur Angelus Domini Iesum.* Id est, tanquā testibus adhibitis cõtestabatur; vt Moyses; Testes inuoco hodie cœlũ, & terrā. vel iureiurando cõtestabatur: vt in Genesi. Denuntiauit nobis vir ille sub attestatione iurisiurandi dicens. Estque idem verbum in Hebræo quod hic יעד iahad;

Deut.4.

Gene.43.a.

7 *Dicens; Si in vijs meis ambulaueris, & custodiam meā custodieris.* Ambulat in vijs Dei, qui tenet præcepta eius: per huiusmodi enim vias & Deũ exquirimus, & ad Deũ peruenimus. ab ijs vijs cupiebat nũquā deerrare Dauid, qui ita orabat; Vias tuas Dñe demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. & cuiusmodi sint hæ viæ exposuit dicens; Beati immaculati in via, qui ambulāt in lege Dñi. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eũ: nõ enim qui operātur iniquitatē in vijs eius ambulauerũt. Viæ itaq; Dei sunt præcepta, iussa, & cõsilia eius. *Et custodiā meā custodieris.* In Hebræo est מִשְׁמֶרֶת *mismereth*, quæ vox quāuis cũstodiā ꝓpriè significet, ferè tamē semper ad sacerdotes, & Leuitas refertur, quibus munia tabernaculi, & cultus Dei mādabantur. itaq; ferè semper significat munus cultus Dei, vt videre est in Num.3. quo filijs Aaron, & reliquis Leuitis datur administratio sacrorũ: in quo frequēs est huius vocis vsus, vt ver.28. Omnes generis masculini ab vno mēse & suprà habebũt excubias sanctuarij. Hebr. custodientes משמרת *mismereth*, id est, custodiā sanctitatis. idē verbũ est vers.38. Moyses, & Aarõ cũ filijs suis habētes custodiā sanctuarij in medio filiorũ Israel. idē etiā apertiùs declaratur. 2. Paral.3. Sacerdotes aũt stabāt in officijs suis. Hebraicè est in custodijs suis. & 2. Paral. 31. vers.16. Quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atq; obseruationibus suis iuxta diuisiones suas. Heb. atque in custodijs suis. Significatur ergo his verbis. *Si custodiā meam custodieris.* Id est, si ꝓ dignitate munere sacerdotis functus fueris. Itaq; sacerdotes, & ij quos attingit Dei cultus, nõ solũ tenere debent cætera ꝓcepta, quæ ad vulgus hominũ pertinēt, quæ viæ (vt diximus) Dei sunt, sed etiā sollicitè munus suũ præstare: quod si præstēt, meritò dicit Paulus; Qui bene pręsunt presbyteri, duplici honore digni habētur, maximè q laborāt in verbo; sicut ipsi duplicē legē seruant, & quæ ad christianũ, & quę ad sacerdotē spectat. Contrà verò magna præter alios homines afficiendi sunt ignominia, si leges, quibus tenentur violent. vt Malac.2.c. dicitur; Labia sacerdotis custo-

Quis ambulet in vijs Dei.

Psal.118.a.

Custodia quid Hebraeis significet.

Num.3.

2.Paral.3.

2.Paral. 31.

Sacerdotes praeter alia communia mandata, debent quae ad munus suum spectant praestare.

1.Timo.5.

Sacerdotes magna afficiendi sunt ignominia, si leges, quibus tenentur, violent.

Malach. 2.

dient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, scandalizastis plurimos: in lege irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos cōtemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut conseruastis vias meas. Et hac de causa Iesus ijs sordidis vestibus indutus erat, vt eius ignominiam & contemptum declararent. Sequitur in propheta.

Tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de ijs, qui nunc hîc assistunt. Docuit Angelus officia, quæ in Iesu Deus requirit: iam illorũ pręmiũ, & mercedẽ proponit: non enim pro sua magna liberalitate, & benignitate vult, vt gratis ei seruiamus; tametsi omnia ei debeamus: sed gratiã cumulatissimè referre, cẽtupluq; reddere, & vitã præterea ęternã pręstare solet. Merces mea

Apoc.22.c. mecũ est dare vnicuiq; secũdum opera sua, ait ipse: quæ nullo certò numero cõprehẽdi potest. Proponit igitur

Non vult Deus vt gratis ei inseruiamus.

mercedẽ & tẽporalẽ, & æternã. *Iudicabis domum meam.* id est, domui meæ præeris, summũ inquã sacerdotiũ obtinebis: præsertim quod post captiuitatẽ Babylonicam sacerdotiũ fuit cũ regno cõiunctũ; vt cognosci licet ex libris Machabæorũ & Iudith; in quibus nulla Regis, sed tantùm sacerdotis populum administrãtis mẽtio fit.

Proponit Deus mercedem temporalem & æternam.

Et custodies atria mea. id est, templi mei cura apud te excubabit, & arbitratu tuo gubernabitur. quæ omnia temporalia præmia sunt: ijs tamen Deus non est contentus, sed adiungit; *Et dabo tibi ambulantes de ijs, qui nunc hîc assistunt.* Ita vertit Hieronymus, & ipse ita declarat; Succedẽt muneri tuo homines, sicut Angeli isti. quod propter Apostolos dici putat, & alios sanctos Episcopos, qui perpetuò virginitatẽ conseruárunt; qua nimirum Angelos imitantur. Vel aliter, vt exponit Liranus; Dabo tibi Angelos, qui tibi in munere exequẽdo subsidio sint. Sed voci latinæ, ambulãtes, in Hebræo respõdit מַהְלְכִים *malecum*, significat vero vias, trãsitus, deambulatioñẽ. Ezec. 42. vers. 4. Et ante gazophylacia מַהֲלַךְ Ezec.42.a.
maalac, decẽ cubitorũ, id est, ambulatio decem cubitorũ. ita vertit ibi vulgatus. Et Ionæ. c. 3. versi. 3. Niniue erat ciuitas magna, מהלך *mahalac*, trium dierũ, id est, itinere. ita vertit ipse Hieronymus. & vers. sequenti; Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius. Heb. מהלך *mahalac*. Quare hęc sententia ex Hebræo ita etiam reddi potest; Dabo tibi vias inter stantes istos, id est, faciam tibi potestatem incedẽdi, & versandi inter Angelos, vt post præmium temporale, ponat etiã vitam æternã pro præmio; sicut ipse Christus dixit discipulis; Centuplum accipiet, & vitam æternã possidebit. Septuaginta ita vertunt [illegible]; dabo tibi conuersantes in medio stantium istorum, quod ad explicationem suprà positam Hieronymi pertinet.

8 *Audi Iesu sacerdos magne, tu, & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt.* Quoniam de rebus magnis dicturus est, eum priùs facit attẽtum. q dicit; Amici tui; sacerdotes, & prophetas intelligit. Quidã autẽ Hebræus dicit intelligere Ananiã, Azariam, & Misaelem, qui ex captiuitate Babylonica cum Zorobabel, & Iesu redierunt. *Quia viri portendentes sunt.* idest, viri idonei, qui per vos prodigia, & miracula fiant: & nũtiũ accipiatis de aduentu Christi. in Hebræo est
[illegible] viri

viri prodigij, ad illã dicẽdi formã, qua Daniel. ca. 9. vocatur vir desideriorũ, id est, vir amabilis, & desiderabilis.

Dan. 9.

Ecce enim ego adducam seruum meum Orientem. Explicauimus primam huius capitis partem; de secunda differamus: in cuius explicatione differt etiã inter nos, & nonnullos Hebræos. Hebræi eam in Zorobabel, & eius tẽpora conferunt: christiani ad Christum totam pertinere dicunt. quos nos sequemur: quoniam multò planior, & facilior explicatio est, & in eam nonnulli Hebręi volentes nolẽtes trahuntur, in magnasq; difficultates cæteri incidunt. Nam quid attinet, quod angelus tam attentè audire petat, quod Deus populo Zorobabel præstiturus erat, quem iam præstiterat? quid attinet etiam ipsum, & amicos eius, viros prodigiorum appellare, si rem nullã eximiam, nullum prodigium declarãdum erat? Sicut igitur propheta superiori cap. Ierusalem primùm materialem, deinde spiritualẽ, in quã Christus habitaturus erat, ædificandam dixit: ita hoc cap. primùm sacerdotium temporale Iesu pollicetur; deinde ei successorem futurum Christum dominum, qui sit sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec: & ideo ait. *Ecce ego adducam seruũ meum Orientem.* Chaldaicus paraphrastes disertis verbis explicat; Adducam seruum meum Messiam. in Hebræo est צמח *zemah*, quod & oriens, & germẽ significat, sicut verbum צמח *zamah*, germinare, & oriri. & ita varijs modis ab interprete nostro vulgato vertitur. Nam hic, & cap. 6. huius prophetæ vertit oriens. c. 4. Esa. vers. 2. & Ieremię. 33. vers. 15. transfert germen. Locus Esaiæ est: In die illa erit germẽ Domini in magnificẽtia, & gloria, & fructus terræ sublimis. Locus verò Ieremiæ est; In tempore illo germinare faciã Dauid germen iustitię, & faciet iudicium, & iustitiã in terra. quibus locis Ionathas Chaldæus reddit, Messias. Ex quo intelligitur, hanc explicationẽ, vt hoc nomine Messiã significari dicamus, non esse insolẽtem, sed sæpe vsu venire. Germẽ hoc, siue oriẽs, tangũt etiã illa verba Zachariæ apud Lucam; Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Transfertur verò aptè nomẽ hoc in Christũ; quòd sicut arbor, in quod primum erumpit, est germen: quia germen Hispanè est *la yema delos arboles*: estq; quasi primum fundamẽtum foliorum, florum, ac fructuum, totiusq; amœnitatis arboris: ita Christus fuit vniuersum fundamẽtũ iustitiæ, & bonitatis nostrę. Facti enim eramùs vt immundi omnes nos, & quasi pannus mẽstruatæ omnes iustitiæ nostræ Esa. ca. 64. Nullus enim nisi Christi filius, ab eoq; quasi ortus, potest veram iustitiam, & perfectã germinare. Vt enim post hyemem appetẽte verè horridæ arbores, & omni amœnitate spoliatæ; quod primum emittunt, vnde reliquia oritur pulchritudo, germẽ est: ita terra arens, & inculta omni iustitiæ, virtutisq; nitore destituta, primũ quod tulit germen, Christus fuit, vnde quidquid boni habet, manauit. Itaq; sicut germen omnẽ arboris pulchritudinẽ amplectitur; ita Christus est omne terrę, & Ecclesię decus: ideo vocatur germẽ iustitiæ à Ieremia. Est enim Christus totius gratiæ fons; de ipsoque Dauid canit; Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna. Minimè tamen hoc intelligẽdum est, vt Luterani intelligunt, totam iustitiam ità in

Oriens Christum significat.

Esa. 4. 2.
Iere. 33. c.

Christus fuit vniuersum fundamentũ bonitatis, & iustitiæ nostræ.

Esa. 64. c.

Cur Christus vocetur germen siue oriens.

Psal. 71.

Nos non esse iustos iustitia tantum quæ in Christo est sed etiã quæ in nobis sit.

Christo esse, vt nulla eius pars ad nos deriuetur: sed nos iustos esse iustitia, quæ in Christo est. Nam vt germinis exẽplo persistamus; quãuis sit totius viroris, qui in arbore est, principiũ, & causa; viridia tamen folia sunt, & flores, fructusque amœni; non viriditate, neque amœnitate, quæ est in germine, sed ea, quę in ipsis est. ita Dauid ait, Reddet mihi Dominus secũdum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum: non secundũ iustitiam, quæ in Christo est: nam omnes æquali præmio munerarentur, & omnes æquè iusti essent, neq; præstare opus esset, quod Ioan. in Apocalypsi præcipit. c. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc. de qua re nos multis egimus lib. nostro secundo de vera religione ca. 3. Vocat autem seruũ suum Orientẽ; quia qua ex parte homo est, multò inferior est patre, eique factus est obediens vsq; ad mortem, vt Paulus ait.

Psal. 17.

Apoc. 22 c.

9 *Quia ecce lapis quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt.*
Quoniam Iudæi valde soliciti erãt de muro ædificando, quia premebãt vndique hostes ędificium impedientes, vt narratur. 1. Esdræ. 4. persistens propheta in ea sententia, in qua semper versatus est; vt non solùm materialis, sed etiam spiritualis Ierusalem ædificanda sit: sumpta occasione ex lapidibus materialibus, quos tractabant, sermonem facit de lapide illo spirituali eximio totius vrbis spiritualis fundamento, qui est Christus Iesus. Quia ecce lapis quem dedi coram Iesu, id est, lapis de quo locutus sum, cùm de Iesu dicerem, & quem ab ipso spectari volo. Quem antè vocauit germen, modò vocat lapidem, eadem prope ratione. Sicut enim germen est totius amœnitatis fundamentum: ita & lapis de quo hic loquimur, totius spiritualis ædificij. Et quemadmodũ ablato germine, tollitur vnà & folium, & flos, & fructus: ita sublato lapide fundamenti, ruinę periculum struitur. Et quemadmodum reliqui lapides omnes, lapide fundamenti dirigũtur ita; vt omnes illo nitantur: ita omnis ædificij spiritualis structura Christo, ne ruat, niti debet. ita Paulus dicit, Estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati supra fundamentũ Apostolorum, & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit. Differt tamen inter germen, & lapidem: quòd germen mollissimum est, lapis durissimus. Ita Christus vna ex parte suauissimus est, si iustis, & pœnitentibus, licet quassatis, & fumigantibus conferatur: at alia ex parte durissimus; si cum inimicis comparetur. ita ipse apud Lucam de se lapide dicit, Omnis qui ceciderit super illũ lapidem, cõquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum; id est, qui lapidem ferro, & insidijs appetierit, illum comminuere cupiens; ipse damnum accipiet: conquassabitur enim: in quos verò lapis corruerit, sine dubio ab ipso etiam comminuentur. Semper enim Christus vincit, siue bellum sustineat, siue inferat: est enim lapis ille sine manibus abscisus, qui teste Daniele infregit statuã: id est, omnia mundi regna. *Super lapidem vnum septem oculi sunt*. Quidam volunt hos septem oculos, septẽ Spiritus sancti charismata significare, de quibus disserit Esaias capitulo. 11. Sed non in promptu esse videtur, in quo oculis cum illis septem charismatis conueniat, nisi in numero: nam illa septem

Cur lapis Christus dicatur.

Omnis ædificij spiritualis structura Christo niti debet.

Ephes. 2. b.

Christus vna ex parte durissimus, ex alia vero mollissimus.

Esai. 42. c.

Luc. 20. b.

Semper Christus vincit siue bellum sustinens siue inferens.

Septem oculi non sunt septem Spiritus sancti charismata.

septem charismata, varias prærogatiuas, & excellentias spiritus, quibus Christus præ cæteris præditus erat, importare videntur. Et ita Theologi aliam rationem intellectus, aliam sapientiæ, aliam fortitudinis esse docent. At septem oculi, licet numero inter se differant, natura tamen conueniunt. Iam verò licet apud Latinos idem sit numerus oculorum, qui & charismatum; apud Hebræos nó itē. Nam in Hebræo Esaia sex tantùm ponuntur charismata; siquidem charisma pietatis non distinctè ponitur, sed timoris charismate comprehēditur. Ita verò debemus vnam editioné explicare, vt alteram non omnino excludamus.

Vatablus reprehēditur.

Vatablus esse infinitos oculos, qui Christum seruatorem respiciunt interpretatur: sed inusitata ratio dicendi est in sacra scriptura, & in alia, quod ego sciā doctrina, vt oculi in aliquo esse dicantur, quòd eum alij spectent. Quare cùm oculi Dei in sacra scriptura eius infinitam scientiam, & prouidentiam significét, qua res omnes ei curæ sunt, ac semper quasi vigilat, & rebus omnibus quod necessarium est, administrat. Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem iis, qui corde perfecto credunt in eum, scribitur in Paral. *2. Paral. 16.* rectè hos septem oculos, infinitam Christi sciētiam, & prouidentiam significare dicemus; qua orbi terrarū prouidet, & omnibus, qui sperant in eo, commoda procurat. & cap. sequenti dicit propheta; Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram, id est, qui omnia prospiciunt, & omnibus prouident. Et ita intelligendum puto illud Apoc. 5. *Apoc. 5. b.* Et vidi agnum stantem, tanquam occisum, habentem oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram, id est, multi Angeli per quos omnibus mortalibus prouidens, eorum emolumenta procurat. Numerus enim septenarius pro infinito sæpè vsurpatur: vt; Septies in die cadit iustus. Septies in die laudem dixi tibi. Hanc etiam prouidentiam Dauid sic exponit in Psalmo; *Psal. 32. b.* Ecce oculi Domini super metuētes eum: & in eis, qui sperant super misericordia eius.

Septem oculi infinitā Christi scientiam significant.

Ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum. Explicauit Christi in rebus nostris tuendis erga nos curam, & industriam summam: iam vnde tot oculi in eo fuerint, vnde tanto studio erga nos affectus sit, explanat; ac denique quis tam infinitos oculos in lapide hoc sculpsit. *Ecce ego cælabo.* Hebræi nimis absurdè hunc locum exponunt: aiunt enim de lapidibus hoc dici, quibus murus muniebatur. hoc est, quòd tam accuratè ipso iuuante murus fabricabitur, vt lapides cælentur: quod extrema lapidis expolitio est. Sed quis murum, qui ad impetus hostium opponitur, de lapide cælato vnquā fecit? præsertim quòd in Esdra narratur, quòd domus Dei *Esd. cap. 5. & 6.* ædificabatur ex lapide impolito: quā magis de muro id est credendum; Quare hunc locum interpretari oportet, vt interpretatur Hieronymus, has cælaturas, vulnera esse Christi, quando pro nobis passus est, accepta: quo tempore lapis hic vniuersas æquans Dei diuitias, colaphis, verberibus, spinis, clauis, lancea miserabiliter sculptus est. Quem Deus ipse cælasse dicit: quia ipso permittente, atque volente res tam indignas pertulit. Nam Christus ipse de hac re loquens patri dixit orādo; Fiat voluntas tua: & per *Matth. 26.*

Sculptura lapidis vulnera sunt Christi.

Cur Deus lapidem cælasse dicatur.

Psal. 88. f.

regium vatem, Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos eius. Quod si Christus, verus Dei filius, ijs acerbissimis modis est à patre suo cælatus; non debent cæteri homines, qui huius ædificij lapides esse cupiũt, graui, & iniquo animo ferre, quòd ita tractẽtur: imo maximè lætari cùm ærumnis, & miserijs conflictentur, existimantes, hoc modo lapides cœlestis Ierusalem dolari solere. Rudes, & impoliti nascimur, non possumus dolari, non possumus expoliri, & imago Christi in nobis, nisi contundendo, & incidendo sculpi: & ita canit Ecclesia; Tunsionibus, pressuris expoliti lapides, suis coaptantur locis. Quare Paulus vehementer gloriatur, quòd stigmata Christi in corpore suo portet; plagas, & vulnera intelligit, quæ propter Christum suscepit.

Miserijs & ærumnis, lapides cœlestis Ierusalem dolantur.

Galat. 6.

9 *Et auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* Quod accidit die illa, qua Christus ignominiosissimè, & crudelissimè occidit. Significat enim עון *hauon*, & peccatum, & peccati pœnam: & vtraque significatio huic loco subijcienda est, vt Christus & peccatum, & peccati pœnam cruce, & morte sua sustulerit. Nam factum est id pro peccato sacrificij, quod Deus tanti fecit, vt omnia pro illo hominum; non modò qui fuerunt, aut erant futuri; sed etiam infinitorum, si fuerint, peccata, & scelera condonauerit. Sic Paulus ait; Qui non nouerat peccatũ, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, id est, fecit sacrificium pro peccato: est enim hebraismus; vt illud Oseæ. 4. Peccata populi mei comedẽt, idest, sacrificia pro peccato. Tum illud præstitum fuit, quod erat Danieli prędictum; Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbẽ sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio; & finem accipiat peccatũ, & deleatur iniquitas, adducatur iustitia sempiterna. Nam fuit Christus sacrificium pro peccato; cuius imago describitur Leuit. 4. quod extra castra cremabatur. ita Paulus; Propter quod & Iesus vt sanctificaret per suũ sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Ita tamen intelligi oportet, iniquitatem ablatam; atque deletam fuisse, vt noster vates, & Daniel aiunt, vt pretium omne, quo mundo opus sit pro peccatis, atq; adeò infinitis remittendis, tum Christus cõparauerit, apud seq; seruauerit soluẽdum postea æterno patri, pro ijs tantùm, qui & fidẽ, & charitatem erga eum habuerint; ita vt quò maiori fide, & charitate fuerint, eò maiorem vtilitatem ex Christi immenso thesauro percipiant.

1. Cor. 5.

Peccatum significat etiã sacrificiũ pro peccato.

Osee. 4.

Dan. 9.

Christus fuit sacrificiũ pro peccato.

Heb. 13. c.

Quo pacto intelligendum sit, ablatam esse iniquitatem per Christum.

10 *In die illa vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum.* Vinea, & ficus sæpe in scriptura cõiunguntur. Corrumpam vineam, & ficum, ait Oseas ca. 2. Comedet vineam, & ficum Ieremias cap. 5. quare ad eandem rem pertinere videntur. Vinea verò, Synagogam, populumque Israeliticum, quo Ecclesia cõtinebatur olim, significabat. Vinea Domini exercituum domus Israel est, ait Esaias. & Dauid; Vineam de AEgypto transtulisti, deiecisti gentes, & plantasti eam. Ficus etiam parabolicè apud Marcũ Synagogam significauit, cùm Christus ficui illi folijs exultãti, & omni fructu vacãti est dira precatus; quò Synagogã ceremonijs plenã, & charitate vacantẽ adũbrauit. Quare vineã, & ficũ arbitror

Osee. 2. g.

Iere. 5. d.

Esai. 5.

Psal. 79.

Marc. 11.

Vinea & ficus Ecclesiã significat.

arbitror hoc loco de Ecclesia dici; sicut olim synagoga. Nuntiat ergo vates, quod homines tum fideles tanta copia, & rerum omnium affluentia ditati, amicos suos inuitabunt, vt tantorum bonorum velint esse participes. Solent enim bona iucundiora esse, si cum alijs etiam communicetur: præsertim si quod vni datur, nemini detrahatur; vt scientia, atque lux, & id genus alia: cuiusmodi sunt bona, quibus in Ecclesia christiani abundant. Hac ergo ratione dicendi significatur studium maximum, quo Apostoli, & perfecti Christiani ardebunt prædicandi, & promulgandi Euangelium; quod verè indicium præstantissimæ, & feruentissimæ charitatis est, & quod tantam in doctrina Dei suauitatem, & iucunditatem experiantur, vt ex animo doleat, cæteros homines tantis bonis sua culpa priuari. Hoc etiam studium inuitandi ad vineam, id est, ad Ecclesiam Dei, clarius docet Esaias dicens; Et ibunt populi multi, & dicent, venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis suis. Eadem etiam metaphora, qua propheta noster, Spōsus in Canticis describit diuitias innumerabiles, & bonorum omnium affluentiam à se præstitam, ad eãq; inuitans ait; Ficus protulit grossos suos, vineę florentes dederūt odorem suum. Surge, propera amica mea. Ex quo licet cognosci, quāta sit ignauia, & socordia nostra, qui tam nullo mouemur studio alliciendorum hominum ad doctrinam Euangelij, & tenendam, & re ipsa præstandam, eo præsertim tēpore, quo tāti Sycophantæ, atque hæretici cunctos Dei populos seducere, & circūuenire student.

Studio maximo christiani ardebunt prædicandi Euāgelium.

Esai. c. 2. a.

Cant. 1.

Ex metaphora vinea, & ficus duo ia significantur Ecclesia.

CAPVT. IIII.

1 *ET reuersus est Angelus qui* A
loquebatur in me: & suscitauit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo.
2 *Et dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Vidi & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius: & septem lucernæ eius super illud: & septem infusoria lucernis quæ erant super caput eius.*
3 *Et duæ oliuæ super illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.*
4 *Et respondi, & aio ad Angelum qui loquebatur in me: dicens, Quid sunt hæc, Domine mi?*
5 *Et respondit Angelus qui loque-* B
batur in me, & dixit ad me, Nūquid nescis quid sunt hæc? Et dixi, Non Domine mi.
6 *Et respondit, & ait ad me, dicens, Hoc est verbum Domini ad Zoro-* C
babel, dicens, Non in exercitu, nec in robore: sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.
7 *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planū: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiā gratiæ eius.*
8 *Et factum est verbum Domini ad me, dicens.*
9 *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.*
10 *Quis enim despexit dies paruos?*


& lætabuntur & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.

11 *Et respondi, & dixi ad eum, Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius?*

12 *Et respondi secundò, & dixi ad eum, Quid sunt duæ spicæ oliuarum, qui sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?*

13 *Et ait ad me, dicens, Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi, Non Domine mi.*

14 *Et dixit, Isti sunt duo filij olei splendoris qui assistũt dominatori vniuersæ terræ.*



T reuersus est Angelus qui loquebatur in me, & suscitauit me, quasi virũ, qui suscitatur de somno suo. Caput hoc tum per se difficile est, tum propter varias, & confusas eius explicationes, quas interpretes afferũt, adeò difficile redditur, vt vix in quo acquiescat animus inueniat: nos autem eam expositioné persequemur, quæ plana, facilis, & in promptu est, & quæ omné, meo iudicio, hauriat difficultatem. Si cui tamen non probabitur, quam velit amplectatur per me integrum erit. *Et reuersus Angelus.* Ex quo intelligi licet, hanc visionem non fuisse cum ea, quæ superiori capite narratur, coniunctam. Nam si Angelus reuersus est, abierat ergo. Non patitur enim imbecillitas ingenij nostri quamdiu in hoc corpore submersa est, diutiùs in contemplatione altissimarum rerum detineri, quædam relaxatio necessaria est: dantur enim ad huiusmodi præclarissima studia reditus. Ita Moyses non semel vniuersa ad Pharaonem accepit mandatã, sed sæpiùs ad Deum reuersus est. Sic ergo propheta noster de ijs rebus, quas nobis tradit per partes, vt discipulus, edoctus est. *Reuersus igitur Angelus suscitauit me, quasi virum, qui suscitatur de somno suo.* Si mentis humanæ nostræ habitus, cùm res humanas tractat, cum ea contẽtione ingenij comparetur, quam in discendis, & accipiẽdis à Deo ipso diuinis oraculis habet; nõ minor differentia reperietur, quàm si somnus cum vigilia conferetur. Ita enim se mens ex corporis laqueis exuit, vt per se consistere videatur. Sic Paulus de visionibus suis loquens ignorare se ait, an in corpore, an extra corpus illas excepisset. Ex quo fit, vt homines Deo deuoti, totique dediti, qui denique spirituales dicuntur, quò propiùs ad illam mentis contentioné accedunt, eò minùs res quę ad corpus attinent, curent, atque adeò rerum ei necessariarũ nonnunquam obliuiscantur.

Caput Zachariæ valde difficile.

Imbecillitas ingenij nostri non patitur diutius in contẽplatione altissimarum rerũ detineri.

Quanti ingenij contentione sit opus ad res diuinas discendas.

2. Cor. 12. a.

2 *Et dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Vidi, & ecce candelabrum aureum totũ, & lampas eius super caput ipsius: & septẽ lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis quæ erant super caput eius.*

3 *Et duæ oliuæ super illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.* Tota huius capitis difficultas in expositione huius visionis consistit: id est quod tantum (vt diximus) interpretibus facessit negotium: quam vt nos intelligamus, illius rei, quam in expositione primæ visionis commemoraui, memoriam repetere debemus. Ea de causa præter alias, vatem nostrum fuisse vati-

Cõtextus prophetæ exponitur.

vaticinatum, vt populum timore per culsum excitaret, & ad opus vrbis, & templi intermissum reuocaret. quod vt faceret, primùm narrauit se vidisse exercitum Angelorum eis subsidio venientem: deinde fidem verbis Dei populo dedit, ædificium esse complendum, vrbemque esse maximè frequentandam. Et quemadmodum vt vrbem ædificādam esse Deus per prophetam doceret, Angelum ei cum perpendiculo ostendit: ita modò vt templū consummādum esse doceat, in eoq; sacerdotes munus suum obituros, candelabrum ei templi cum lucernis ostendit. Describitur enim candelabrum eadem forma, qua candelabrum ædis Dei, Deus in Exodo esse præcepit. Quòd verò lucernę candelabri ardere iam, & lucere dicantur; astare iam candelabrum ante adytum siue oraculum, munereque suo fungi significatur: quod nisi æde perfecta, ministrantibusque in ea sacerdotibus non fieret. Nam huiusmodi lucernæ (vt præcipitur in Exodo) appetente noctè accendebantur, & manè quotidie à sacerdotibus extinguebātur. Quòd verò lucernæ huius candelabri, quod vidit propheta, accensarum speciem præ se ferrent, ex fine capitis (vt postea declarabimus) apertè cognoscitur. Quare candelabrum ita comparatum, templum esse perficiendum significat, quod non mensa panum, non altari thuris, quæ ante adytum etiam collocabātur, sed candelabro declaratur: quia tenebris (vt primo capite exposui) angustiæ, & ærūnæ significantur in scriptura: ob eamq; rē noctè prima visio prophetę obiecta est. Vt ergo has tenebras, & calamitates Deū iam velle depellere declaretur, candelabrū cum septē lucernis repræsentatur, vt numerus septenarius infinitam lucem, & felicitatem præsagiret, qua Deus populum siue Ecclesiam illustraturus erat. Has Deus lucernas extinxit, cùm propter populi peccata tāta intulit detrimenta: secundum illud Prouerbiorum: Lucerna impiorū extinguetur. quod Deus per Ieremiā minatus est dicens; Perdam ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, & lumen lucernæ. Sed hanc iram pacatā iam esse docet, candelabrū lucernis accensis ostendens. Exortum est in tenebris lumen rectis corde, ait Dauid: id est, in malis, & angustijs iacentibus recreatio, atque lætitia tributa est. & ita Dauid ait: Quoniam tu illuminans lucernam meam. Domine Deus meus illumina tenebras meas, quod statim declarat subijciens; Quoniam in te eripiar à tentatione. Iam ergo formam candelabri declaremus. *Lāpas eius super caput eius.* singularis pro plurali. Sicut illud Exodi; Venit musca grauissima: nam vnicuique lucernæ lampas vna erat attributa. *Et septem lucernæ eius super illud: & septem infusoria lucernis.* A lampadibus oleum deriuabatur in infusoria versus: ex eo, quod erat in infusorijs, alebantur lucernæ. *Dicit ergo; septem lucernas. &c.* Id est, in summitate stipitis, & sex calamorū erāt infusoria singula, & in infusorijs lucernæ. Quidā Hebræus non indoctus dicit, vnicuique lucernæ septem infusoria fuisse: idque verba Hebræa significare videntur: nam ad verbum si vertamus in Hebræo est, septem, & septem infusoria lucernis. Est phrasis Hebræa, pro vnicuiq; septem. Vel possumus interpretari, septem, & septem, id est, septem infusoria, & septem lucernæ. *Et duæ oliuæ super illud.* Hebraismus est,

Quid significet candelabrum Zachariæ ostensum.

Exod. 25.

Exod. 27.

Cur candelabrum potius Zachariæ ostensum est.

Quid septem lucernæ candelabri significent.

Prou. 23. b.

Iere. 25. c.

Psal. 18.

Psal. 17.

est,pro eo quod latinus diceret,iuxta illud,vt statim declaratur. *Vna à dextris lampadu,& vna à sinistris eius.* Duæ oliuæ significant duos illos viros præclaros,qui populo præerant,Zorobabel,& Iesum;quos illustrabant lucernæ,id est,subsidium à Deo missum, quod eos in tanta calamitate subleuaret, & quasi in tenebris iacétes excitaret,ac illustres,& claros redderet. Vsu enim in sacra scriptura venit,vt viri præclari,& excellentes in Ecclesia,oliuæ appellētur. Sic in Apocalypsi Ioānis de duobus illis eximijs prophetis, atq; concionatoribus,qui pro Ecclesia contra immanē, & truculentā bestiā pugnaturi sunt, dicitur; Hi sunt duæ oliuæ in conspectu Domini terræ astantes. Dauid etiam de se dicit; Ego autē sicut oliua fructifera in domo Dei. Oliuæ etiā appellantur, quia Zorobabel munus regis:nam erat ex Dauide ortus,vt constat ex Matt.1.c. Iesus munus sacerdotis gerebat:at & rex,& sacerdos oleo vngebātur, quapropter in fine huius capitis duo filij olei appellantur. Rectè etiam oliuæ Principes in Ecclesia significant; quoniam quemadmodum oliuæ fructus afferunt, ex quibus oleum exprimitur, quo aluntur lucernæ, vt splendeant: ita Principes in Repub. causæ sunt,& quasi auctores diuinæ lucis in populum, quòd inquam ei Deus beneficia conferat,quòd eum libertate fruentem, & bonis affluentem efficiat. Id quod facilè cognosci licet ex libris Regum. Quotiens enim ipsi pietatem colebant, populum in officio continebant,& à Deo maxima accipiebant beneficia: quoties verò ipsi religionem,& pietatem abijciebant, statim & populus ab officio descisce bat,& incommodis magnis tenebris offusus afficiebatur. Oleum enim bona opera in scriptura significat; quæ verè lumen Dei in cordibus nostris sustentant. Ita in Parabola illa decem Virginum, quæ acceperūt lampades suas;quam narrat Matt. oleum bona opera significat. Vt ergo ad propositum redeamus; Principes in populo oliuæ sunt: quia populum in officio retinendo, quasi auctores sunt benignitatis, & clementiæ Dei erga populum.

Duæ oliuæ quid significent Zachariæ.

Apoc.11.a.

Oliuæ significant in scriptura viros præclaros.

Psal. 51.

Quantā Reipub. vtilitatem afferant optimi Principes.

Oleum significat opera bona.

Matt.24.

Alij alijs modis hanc visionem explicant. Quidam dicūt candelabrum esse Christum;aurum humanitatem: quod vt verum sit (vt nos aptiori loco postea explanabimus) cōtextum tamen non explicant,neque quò hęc repręsentatio spectet. Alij dicūt candelabrum esse Ecclesiam, lampadem Christum:duas oliuas,duo testamenta. Quidam Hebræus magni nominis inter eos dicit,septem lucernas esse septem planetas:alij esse septem Spiritus sancti charismata,quibus Christus præditus fuit, quibus omnibus, quamuis non absurdè dicta sint, minimè tamen animus acquiescit,quoniam contextum,& propositum prophetiæ adhuc requirit. Sed hæc visio ab Angelo declaratur:quòd si eius declaratio haud dissimilis à nostra videatur, imò maximè expositione nostra,quę ab Angelo allata est, declaretur,magno argumento erit, nos non multùm aberrasse:

Variā modis explicant candelabrum Zachariæ.

4 *Et respondi,& aio ad Angelum qui loquebatur in me,dicens, Quid sunt hæc Domine mi?*

5 *Et respondit Angelus qui loquebatur in me, & dixit ad me, Nunquid nescis quæ sunt hæc? Et dixi, Non Domine mi.*

Respondi & aio; Hebraismus est, vt in primo cap. pluribus explicauimus.

Sed

Sed operæpretium est considerare, quòd antequam vati obiectam imaginem declaret, priùs ab eo ignorantiæ suæ confessionem elicit: priùs vult vt fateatur se planè nescire, quid sibi repræsentetur. Quare qui à Deo imbui, & doceri cupit, omnino nescientem se esse cognoscat, ignarumque rerum: secùs enim nunquam verus, & perfectus erit Dei discipulus: nunquam veram sapientiam adipiscetur, ita Paulus monet. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Ex quo factum est, vt nemo ferè eorum, qui docti, atq; sapientes in hoc seculo habebantur, fidem, & religionē Christi susceperint. Sic Paulus testatur: Videte vocationem vestram fratres, quoniam non multi sapiētes secundum carnem, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Sequitur in propheta.

Qui à Deo doceri cupit fateatur ignarū esse.

1.Cor.3.

1.Cor.1.

6 *Et respondit, & ait ad me, dicens, Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens; Non in exercitu, neque in robore: sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.* Nonnulli putant iis verbis contineri totius imaginis candelabri explicationem: sed qua ratione ducti, quæ sequuntur, eodem pertinere non putent, non docent. Quare arbitror ego omnia quæ sequuntur, vsque ad oliuarum declarationem, candelabrum attingere. Vt enim Angelus vatē petentem propositæ imaginis declarationem, in ea re erudiret, omnem sequentem sermonem induxit, & in extremo propè capite quid lucernæ significent, declaratur. quare si primæ, & extremæ partes narrationis ad idē propositū spectant, cur quod interiectum est, ab eodē proposito diuellemus? Præsertim cùm tam aptè, quàm cætera cadat. Cū verò dicit Angelus. *Hoc est verbū Domini ad Zorobabel,* Apertè indicat, hanc repræsentationem Zorobabel populi præpositum attingere, propter eumq; esse factam: cumque id muneris, tum ab eo imprimis desideraretur, vt operi instaret, vt ei fieret animus, & spem bonam ædis haberet consummandæ; hæc videtur imago prophetæ esse repræsentata, vt iam declarauimus. *Non in exercitu, neque in robore: sed in spiritu meo.* Hoc est, quemadmodū has lucernas vides accensas, sine vlla sacerdotis opera, oleumque abundè illis suppeditari, quamuis à nullo fuerit immissum, sed solo spiritu, id est, voluntate, & arbitratu meo; me deni que solùm aspirāte id esse prestitum: ita nullæ mihi hominum copiæ, nulla auxilia necessaria sunt ad templum consummandū; me adiuuante nemo ædificium disturbare poterit, nemo templi cultum, & legitima eius obsequia prohibebit.

7 *Quis tu mons magne coram Zorobabel in planum, & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Eò dicuntur, vt probet quod dixerat solum Dei auxilium sufficere sine vllis humanis presidijs ad templum perficiendum. nam, *Quis tu mons magne,* id est, diabole, vel Rex Persarum, es? quāti te æstimas, vt cum Zorobabel, me fulto conferre te audeas? quantas vires habere putas, cùm ei, cui ego adsum, te audes opponere? *Ad planum.* Persistit in montis metaphora, id est, solo equaberis, humiliabis animos, & arrogātiā depones, cum Zorobabeli succubas, & illius opus impedire non possis. Per irrisionem, & contemptū hæc verba dici videntur. Et quidem valde ridiculum est, cum viro sancto, atque

Ridiculū est velle cū sancto viro pugnare.

atque virtute prædito, cui Deus semper opem fert, pugnare. Quas clades accepit Pharao, quia populo Dei ausus est resistere? quid perfecit Saul rex, cum vnum Dauidem tanto studio perdere conatus est? quid vtilitatis tot Reges Palestinam incolentes reportarunt bello de rebus suis cum Iosue contendentes? quid Senacherib cùm ausus est Ierosolymam regnante Sedechia obsidere? ac denique tot immanes, & truculēti hostes, qui tanta rabie aduersus Christum, & eius Ecclesiam bella gesserūt, quid laudis? quid gloriæ consecuti sunt? quapropter rectè Dauid dicit, Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? dū appropiant super me nocētes vt edāt carnes meas, qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Et quidē semper debilitātur, & cadunt, qui cū viro iusto cōtendunt.

Psal. 26. b.

Et educet lapidem primarium. Id est, lapidem in culmine, & summo fastigio positum. nam in Hebræo est ראש *ros*, quod propriè caput significat. Per translationem præter alia significat culmen, siue fastigium operis, vt in Genesi. Faciamus nobis ciuitatem, & turrim, & וראשו *roso*, id est, culmen eius pertingat ad cœlū. ita vertit vulgatus. & 2. Reg. 15. Cumque ascenderet Dauid summitatem mōtis, in Hebræo est הראש *ha ros.* eam igitur habet locus hic sententiam. Zorobabel qui templum cœpit ædificare, ipse ab soluet, extremamque manum, & fastigium imponet. Septuaginta vertūt ἐξοίσω τὸν λίθον τῆς κληρονομίας. Educam lapidem hæreditatis, id est, termini: nam termini lapidibus definiri solent; hoc est, ad finem perducam opus eius. Id enim nos vehementer optare debemus, non solùm vt rectè agamus, sed etiam vt peragamus. Nam labor in colenda virtute susceptus, exitum non habebit, si ad finem vsque perseuerantes non simus: imò irridebimur, vt ille, de quo narratur Lucæ. 15. qui cœpit ædificare, & non potuit consummare. Et Christus eos solos seruandos esse dicit, qui perseuerauerint vsque in finem. Nihil ergo est quod sibi quisquam polliceatur quòusque ad vitæ terminum perueniat: qui si optabilem exitum habuerit, tum præclare huius vitæ fabulam se peregisse putet. Disertissimè enim beatus Ambrosius ait; Lauda post vitam, magnifica post consummationem, lauda nauigantis felicitatē, sed cùm peruenerit ad portū.

Lapis primarius quid significet.

Gen. 11.

2. Reg. 15.

Ostendit opus non solùm vt rectè agamus sed etiā vt peragamus.

Luc. 15.

Matt. 10. & .

Ambrosius.

Et exæquabit gratiam gratiæ eius. Id est, non minore gratia, & decore augebit domum ab Zorobabele ædificata, in quàm eam, quæ fuit à Salomone constructa. Eandem habet sententiam septuaginta interpretum versio: Educet æqualitatem gratiæ eius, id est, non solùm educet lapidem termini, & fastigij eius, sed etiā tāto eam decore illustrabit, quanto antè fuit. Sed in Hebræo est תְּשֻׁאוֹת חֵן חֵן לָהּ *tesuoth hen hen la*, quod Pagninus, & Vatablus, & Hebræi vertunt cum acclamationibus, gratia, gratia illi. quidam Hebræus interpretatur, cum turbis, & multitudine populi. Et dicet populus gratia, gratia illi, hoc est, lapidem fastigij cum magna populi lætitia ponet, vt fieri solet cùm opus diu desideratum, in quo multum laboris collocatum est, absoluitur: populusque omnis plaudet ei, & eius opus approbantes acclamabunt gratiam, siue decus; decusque habet decus per se, & cum superiori domo comparata. Quare in can-

eandem sententiam, quam habet versio vulgata, & Hieronymi verba Hebræa recidunt. Non enim dubiũ est, quin non solùm æquali, sed etiam multò maiore splẽdore decorata fuerit ædes secunda, quàm prima, dicente Aggæo. Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquàm primæ dicit Dominus. Præsentia enim Christi tantum decus, & splendorem suscepit, quo maius excogitari non potest: fuit enim verus lapis ille fastigij, qui omnia, quæ in lege veteri inchoata, atque adumbrata erant, absoluit, atque perfecit, vt ipse testatur; Non veni soluere legem, sed adimplere. qui etiam magno plausu, & approbatione multitudinis exceptus est, quando vniuersa Hierosolyma ei se obuiam effudit gratulantes, atque dicentes, Benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis.

Aggæ.2.

Maior dignitas fuit templi secundi quam primi.

Mat.21.

8 *Et factum est verbum Domini ad me, dicens.*

9 *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.* Planiùs adhuc facit quæ dixerat; & significationem candelabri magis illustrat: ex quo cognoscetis, interpretationem nostram aptiùs quadrare, cùm omnia conuenire videatis. *Manus Zorobabel.* Hoc est, quod dixi educturum esse Zorobabel lapidem primarium, ita intelligi volo, quod quemadmodum domus mea est à Zorobabel fundata: ita & ab ipso perficietur. Quod spectat etiam ad declarationem candelabri, vt diximus: imo his verbis clariùs, quàm antea explanatur. Quare vehementer ad opus excitari debebant; quippe qui certam spem haberent, non frustra se labores ædificandi suscepturos, sed operæ, & solicitudinis suæ fructus ipsosmet percepturos, cùm lucernas in ipso lucere, & reliquum cultum adhiberi viderint: qui quidem nuncius lætissimus erat. Valde enim iucundum est ea re frui, in qua labores, & operas nostras collocamus: hac enim spe nixi libenter operæ, & labori incumbimus. Ita Amos magnæ mercedis loco populo ex captiuitate reducto promittit; Et ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt, & plantabunt vineas, & bibent vinum earum, & facient hortos, & comedent fructus eorum. Quo loco vti possumus ad probandum, magno nos, & erecto animo debere Deo inseruire, & virtutem colere, scientes, quòd fructum percipiemus. Contrà verò angoris, & doloris est plenum, si fructus, & vtilitates eius rei, in qua ego vehementer laboraui, quam colui, atque nutriui, ad alium transferri videam, qua pœna scelera populi sui Deus vindicaturum per Amos minatur dicens. Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum. Quod modò non sic futurum Deus per vatem nostrũ recipit dicens;

Iucundum est ea re frui, in qua labores collocamus.

Amos.9.d.

Amos.5.c.

Magnũ tristitiã affert si alius mei laboris fructum percipiat.

Manus Zorobabel fundauerunt, &c. Quo facto aliqua ex parte præstitum fuit illud, quod Amos futurum præsagiuit dicens, In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorũ eius, & ea quæ corruerant, instaurabo, & reædificabo eũ sicut in diebus antiquis. *Et scietis quia dominus exercituum misit me ad vos.* Id est, scietis me

Amos.9.

verum fuisse prophetam, nō falsum, neque eum qui hoc sibi munus arrogauerit, sed cui maximam fidem habere debeatis. Alludit ad præceptum illud Deuteronomij, ad distinguendum inter falsum, & verum per prophetam. Quòd si tacita cogitatione responderis (ait Moyses) quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit: hoc dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum. Deus enim mentiri, & fallere nullo modo potest. Quare qui nomine Dei mendacium loquitur, nefarius ille est, atque blasphemus, qui rem indignissimam, & turpissimam Deo attribuit. quocirca aspernendum, & abijciendum eius vaticinium est, de suoque dictum putandum. quod maximè fidem nostram consolatur, licet difficilis nonnunquam videatur; cùm omnia quæ vates nostri per Christum hactenus euentura dixerunt, ad vnum contigerint. Tanta verò veritatis constantia, futurarum præsertim rerum, non hominis, neque vllius creaturæ, sed Dei putanda est. Sequitur in propheta.

Deut. 18.

Quo populus ex præcepto Dei distinguebat inter verū & falsum per prophetam.

Quid fidem nostram maxime consolatur.

10 *Quis enim despexit dies paruos? & lætabũtur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.* Primo Esdræ capit. 3. narratur, Principes patrum, & seniores, qui viderāt templum priùsquàm fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna. Et multi vociferantes in lætitia eleuabāt vocem, neq; poterat cognoscere quisquam vocē clamoris lætātium, & vocem fletus populi: quod ijs verbis perstringere videtur propheta. Nā quod latinus interpres conuertit, dies paruos; in Hebræo scribitur יום קְתַנוֹת *iom quetunoth*, quod ad verbum exprimentes ita latinè dicemus; Diem paruarum. Est enim adiectiuum sine substantiuo, quod Hebræi vsurpare solent. quare subaudiendum est (vt quidam Hebræi magni nominis inter eos subaudiunt) תְשׁאוֹת *tesuoth*, acclamationum: paruæ acclamationes, parui plausus, paruique dies in principio fuere, quòd non omnium fuit lætitia, & approbatio: atque adeò vix, vt narratum est, cognosci poterat, anne clamor, & voces illæ erant plaudētium, an verò plorantiū: vel quòd eos ædes illa ad memoriam excitabat vastitatis, & euersionis superioris tēpli: vel quòd primam opere ædem videbant longe præstare ædi secundæ. Hanc ergo verba prophetæ habent sententiam; quis flendo despexit plausus illos, quos dabant nonnulli eo die, quo fundamenta templi dicata sunt: is, licet tūc fleuerit, modò lætabitur, cùm viderit stanneū in manu Zorobabel, id est, magno studio, magnaque cura operi instare, neminemque opus eius impedire. Dies ergo paruos noster, & Græcus interpres vocāt dies illos paruæ lætitiæ, quibus ædes fundata, & dicata fuit: non enim (vt dixi) illa lætitia manabat ad omnes. Ita enim cōparatum à Deo est, vt quod ipse magnum, & excellens manu, & opera sua præstare decreuit, ab exiguis, & humilibus oriatur principijs, vt omnis postea magnitudo ipsi accepta referatur. Sic Saul Regem fecit, qui principiò ita despiciebatur, vt nōnulli dicerent. Num saluare nos poterit iste? Dauidi regnū contulit perpetuis temporibus amplissimum, quem vel pater

1. Esd. 3.

Quod Deus magnum efficere vult, ab exiguis oritur principijs.

1. Reg. 10. d

pater eius sic aspernabatur, vt cùm vnus filiorum suorum ad regnum postularetur, Dauidem quòd puer erat, & oues agebat, in filijs suis non numeraret. (2. Reg. 16.) Quod adhuc multò clariùs in Christo eminet, & elucet: qui se cum lapide ab ædificantibus reprobato comparat, qui postea caput anguli factus est, atque vt Daniel dicit, (Dan. 2.) Creuit ad magnitudinem vsq; montis. Ipseque regnum suum grano confert sinapis. Ac denique Apostoli, qui principes Ecclesiæ per orbem terrarum propagatæ fuerunt, qua sorte, qua conditione antequam à Christo deligerentur, erant? Est enim verissimum illud, quod est in Iob. (Iob. 5. b.) Ponit humiles in sublimi, & mœrentes erigit sospitate. Sequitur in propheta.

Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram. Quemadmodum capitibus superioribus non solùm de Ierusalem materiali, sed etiã de spirituali propheta disseruit; ita hoc capite idem institutum tenẽs non modò de pace, tranquillitate, ac securitate, quam præstaturus erat Ierusalem; sed etiam decus, & splendorem, qui Ecclesiæ per Christum erat conferẽdus, paucis perstringit; altiùs atque subtiliùs declarans, quid illæ septem lucernæ significent. Dicit ergo Angelus; (*Quid septem lucernæ significent.*) *Isti sunt.* Id est, vt septem lucernæ hæ illustrant vniuersam domum; ita Deus illustraturus est orbem terrarum, & omnium hominum saluti, & felicitati prouisurus: ita vt eius doctrinæ lux non solum ad Iudæos pertineat, sed etiam longè lateque ad vniuersas manet mundi nationes. quod verè, perfectißimeq; vsu venit, quando Euangelium Christi per orbem terrarũ manauit, quo singulariter saluti hominum prouisum est. Itaque Christum etiam candelabrum illud significabat, (*Christũ candelabrum significabat.*) quo tanquam capite totum Ecclesiæ corpus, & opus perfectum fuit: ipseque de se dicit; Ego sum lux mundi. & cap. primo Ioannes ait; Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum. (Ioan. 1.) Diximus autẽ capite superiori cur hoc septenario numero infinita Dei prouidentia in scriptura declaretur. (*Oleum quo tanta lux alitur Christo fuit illa infinita gratia.*) Oleum verò, quo tanta lux, tãta claritas in Christo alitur, fuit illa infinita gratia Spiritus sancti, qua ipse præter cæteros vnctus, ac praeditus fuit. Illi enim regius vates canit Psal. 44. (Psal. 44.) Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Verè etiam cadit in Christum illa Angeli candelabri explicatio: Non in exercitu, neque in robore, sed in spiritu meo. Christus enim luce sua vniuersum orbem occupauit, ac longè latèque splendor eius diffusus est. Datus enim est (vt ait Esaias) in lucem gentium, vt salus Dei sit, vsque ad extremum terræ. (Esa. 49. c.) Id autem factum est non copijs, non exercitu vllo, non hominum robore, atque viribus; sed Spiritu Dei, hoc est, ipso aspirante. Itaque quemadmodum sol in toto orbe nulla vi adhibita lucet, sed per aëra se magna quadam suauitate, atque facilitate longè lateque diffundit: ita lucem Euangelij per orbem terrarum manâsse putandum est. (*Ad eum modum quo Sol lucet in orbe terrarum, ita luxit Christi Euãgelium.*) Hunc Solem in Ecclesia futurum esse, olim prædixit Esaias. (Esa. 60. d.) Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Ex hoc loco planè probari potest, candelabrum illud iussu Dei fabricatum (vt narratur in Exodo) futuræ lucis per Christum imaginẽ, & (*Cãdelabrum de quo narratur in Exodo, lucis quã Christus per Euangelium attulit imago fuit.* Exod. 25.)

figuram fuisse. Propter Christú etiam
quærere possumus.
Quis tu mons magne corã Zorobabel?
id est, quis tu munde, qui tot bella ad
uersus Christum, & eius Ecclesiã con
flâsti? an victurũ te putas Zorobabel,
Mūdus Christi id est Christum? Vbique enim Chri-
inimicus. stus mundum inimicum, & hostem
suum prædicat, & aduersus illum bel
lum suscepisse, atque eum vicisse glo-
Ioan.15.c. riatur. & apud Ioannem ait; Si mun-
dus vos odit, scitote, quia me prioré
Ioan.1.b. vobis odio habuit. & alio loco. In
mundo erat, & mundus per ipsum fa
ctus est, & mundus eum non cogno-
Ioan.16.g. uit. Et in mundo pressuram habebi-
tis, sed confidite, ego vici mundum.
In Euangelio etiam, & in Actis narra-
tur, mundum totis suis viribus cum
Christo, & Apostolis certâsse, odia
Regum, Principum, & Imperatorũ
in Christum, & Ecclesiam incitando,
vt eius ædificium disturbaret. qui ho
mines, quantas excitarint, & excitét
tragœdias, vt omnes deleãt Christia
nos, infinitæ narrant historiæ. *In pla-
num.* Id est prosterneris, humiliaberis,
nec poteris impedire, quò minùs no-
men Christi vniuersas peragret mun-
di regiones. Eadem, sed expresiori
metaphora, idem oraculum scribit
Esa.40.a. Esaias; Omnis vallis exaltabitur, om-
nis mons, & collis humiliabitur: &
erũt praua in directa, & aspera in vias
planas. Vallis, humiles, & abiectos
homines declarat: mons verò, & col-
lis, qui explanandi sunt, Reges, Prin-
cipes, & Optimates, qui prosternen-
di, & humi deprimendi sunt, secun-
dum illud Virginis; Deposuit poten-
tes de sede, & exaltauit humiles.
11 *Et respondi, & dixi ad eum, Quid sunt
duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri?*
Postquam prophetæ declaratum est,
quid sibi candelabrum velit, quidq;
protendat: quærit de oliuis, quas su-
prà dixerat stare ad dexteram, & ad
sinistram lampadis: nunc dicit can-
delabri, quod idem est. Sed hanc ima
ginem adhuc expresiùs, & planiùs
declarat cuiusmodi fuerit, vt curio-
siùs de eius significatione quærat. &
adijcit.
12 *Et respondi secundò, & dixi ad eum,
Quid sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt
iuxta duo rostra aurea in quibus sunt suffu
soria ex auro?* Quidam Hebræi volunt
spicas istas, alias ab oliuis fuisse, de qui
bus priùs rogarat: quare aliter inter-
pretantur oliuas, aliter verò spicas, &
oliuarum spicas in oliuis fuisse dicũt;
sed meliùs est, vt oliuas ad maiorem
declarationem, spicas postea oliuarũ
nuncupatas esse putemus, vt baccas
conferat granis, ramum culmo. Nam
vno responso Angelus has duas quæ
stiones expediuit; quare vna esse vide
tur magis ac magis explicata. Rostris
verò in Hebræo respondet צנתרות
zanteroth. quidã vasa instar cyphi esse
declarant. Abrahamus Hebræus vasa
esse dicit, in quibus calcantur oliuæ.
Chimhi dicit esse fistulas. quam in-
terpretationé amplectitur Pagninus.
Sed quia huiusmodi fistulæ, siue vasa
acuminata esse oportebat ea parte,
qua oleum fundebãt, rectè vertit Vul
gatus cum Hieronymo, rostra. Ita Se
ptuaginta viri μυξωτῆρες nares. Quod ve *Dispositio to-*
rò dicit noster interpres, iuxta; in He- *tius imaginis*
bræo est ביד *beiad*, id est, latere. Sed *candelabri*
Chimhi latus, pro medio vsurpan- *ostensa Za-*
dum esse existimat, & ita totam ima- *chariæ.*
ginem disponit, vt medio inter fistu-
las, siue rostra loco, duæ extenderen-
tur oliuæ. è fistulis oleũ in lenticulas,
siue lampades destillabat: è lãpadibus
in infusoria; ex infusorijs ad lucernas
mana-

manabat, & ita vbi nos habemus, in quibus sunt suffusoria ex auro; in Hebræo est הַמְּרִיקִים מֵעֲלֵיהֶם הַזָּהָב *hameriquim mehaleem azahab*, id est, effundentes ex se aurum, hoc est oleũ adeò purum, vt auri colorem imitaretur. Quòd si oleum ex se effundebant, cõsumebatur tandem à lucernis; quæ erant accẽsæ, vt in principio diximus. Quòd si è fistulis, siue rostris manabat oleum ad omnes lucernas, fistulæ oleum excipere videbantur ab ipsis oliuis: ob eamq; rem ita baccis refertæ ponũtur, vt tritici spicam præ baccarũ multitudine ramus referret: præsertim quòd Abrahamus Hebræus (vt diximus) rostra illa vasa fuisse putat, in quibus oleum ex baccis exprimitur. Ex quo perspici licet, rectè nos suprà declarasse, oleis principes; & magistratus declarari; quòd opera sua populũ in officio cõtinẽt; quo fit vt Deus illũ cõmoda, & emolumẽta suppeditando illustret. Ita enim oliuas Angelus interpretatur dicens;

Demonstratur lucernas candelabri ostēsi Zacharia fuisse accensas.

13 *Et ait ad me, dicens, Nunquid nescis, quæ sunt hæc? Et dixi, Non Domine mi. Et dixit; Isti sunt duo filij olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.*

Cur filios olei vocet Regem & Sacerdotem.

Filios olei vocat Regem, & Sacerdotem: quia oleo illo excellentissimo vnctionis vngebantur. quare illæ duæ oliuæ Zorobabel, & Iesum significabant: quorum ille Regis, hic sacerdotis munus obibat. Ij ergo qui antea in tenebris iacebãt ab hostibus oppressi, in captiuitate detenti, ædificio vrbis, & templi interdicti, à Deo iam illustrantur, recreãtur, & ad opus excitantur. Quòd vero dicuntur filij olei splendoris; illud splendoris non est in Hebræo, sed ad maiorem explicationẽ additur ab interprete nostro; id est, qui ferunt oleũ, quo splendent lucernæ, maximèq; cum à nobis allata explicatione de oleis, exprimentibus oleum conuenit. Filij etiam olei, hebraismus est, quo oleo imbuti significãtur. Ita illud Esaiæ intelligitur; Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, id est, terra ita pingui, & feraci, vt oleo infecta esse videretur. Eadẽ phrasi dicunt Hebræi, filium mortis, id est, morte dignum. Assistit verò aliquis Deo cùm eius tenet præcepta, & ei obtẽperat: quemadmodum famuli stant ante herum. ita Elias dixit; Viuit Dominus in cujus conspectu sto, id est, cui seruio. in eadẽ significatione dicitur; Ambulare in conspectu Dei, & coram Deo. Iniqui enim lucẽ diuinam effugere, & tenebras amare videntur; & ita in tenebras ipsi perpetuas incurrent: contrà verò probæ, & incorruptæ vitæ certissimũ argumentum est, cùm quis nullo punctus conscientiæ morsu, Deo sisti, & in luce eius versari non dubitat. Qui enim auro, gemmis, vestibusq; pretiosis ornatus est; diem amat, & lumen quærit. Id Iob vehementer optabat; quoniã calamitatis, & angustiæ quasi tenebris circumfusus, cæco amicorum iudicio frugi eius, & elegantissima vita reprehendebatur. Quis mihi tribuat (dicebat) vt cognoscam, & inueniam illum, & veniam vsq; ad solium eius? Ponam coram eo iudiciũ, & os meũ replebo increpationibus. Virque Sapiens ita vitam colat suã, vt sciat splendorẽ diuinæ lucis, qui omnia lustrat, ad omnia penetrat, effugere nullo pacto posse, tandemq; se ante Christi tribunal sistẽdum, ita se Paulus gerebat cùm Corinthijs scriberet. Contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi: omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.

Filius olei hebraismus.

Esa. 5. a.

Qui assistere dicatur Deo.

3. Reg. 17.

Iniqui lucem effugiunt diuinam, contra vero probi eam vehementer amant.

Iob. 23.

Quomodo vir Sapiens debeat vitã suam colere.

2. Cor. 5.

CAPVT. V.

A 1 *ET conuersus sum, & leuaui ocu*
los meos: & vidi, & ecce volu-
men volans.
2 Et dixit ad me, Quid tu vides? Et
dixi, Ego video volumen volans. lon-
gitudo eius viginti cubitorum, & la-
titudo eius decem cubitorum.
3 Et dixit ad me, Hæc est maledi-
ctio quæ egreditur super faciem om-
nis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scri
ptum est, iudicabitur: & omnis iurās,
ex hoc similiter iudicabitur.
4 Educā illud, dicit Dominus exer
cituum: & veniet ad domum furis &
B *ad domum iurantis in nomine meo*
mendaciter: & commorabitur in me-
dio domus eius, & consumet eum, &
ligna eius, & lapides eius.
5 Et egressus est Angelus qui lo-
quebatur in me: & dixit ad me, Le-
ua oculos tuos, & vide quid est hoc
quod egreditur.
C *6 Et dixi, Quidnā est? Et ait, Hæc*
est amphora egrediens. Et dixit,
Hæc est oculus eorum in vniuersa
terra.
7 Et ecce talentum plumbi portaba
tur, & ecce mulier vna sedens in me-
dio amphoræ.
8 Et dixit, Hæc est impietas. Et
D *proiecit eam in medio amphoræ, &*
misit massam plumbeam in os eius.
9 Et leuaui oculos meos, & vidi; &
ecce duæ mulieres egredientes, &
spiritus in alis earum, & habebant
alas quasi alas milui: & leuauerunt
amphoram inter terram & cælum.
10 Et dixi ad Angelum qui loqueba
tur in me, Quò istæ deferunt am-
phoram?
11 Et dixit ad me. Vt ædificetur ei
domus in terra Sennáar, & stabi-
liatur, & ponatur ibi super basem
suam.



ET *conuersus sum, & leuaui* 1
oculos meos: & vidi, & ec-
ce volumen volans. Capitu
lis superioribus nunciauit propheta, quantum Deus Israeli commodaturus sit, quantaque eum gloria cumulaturus: nunc quas pœnas sit ab improbis, & sceleratis hominibus petiturus prædicit. Ex quo licet cognoscere, operæpretium esse ad vitam nostram pro dignitate instituendam, non solùm Dei misericordiam, & benignitatem, sed etiam grauitatem, & seueritatem nobiscum recordari. Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine, ait regius vates. Nam æquè Deus Opti. Max. celebratur, eius in bonos viros misericordia, & in impios seueritate commemoranda. Ex quo fit, vt non minus accuratè eius iras, quàm eius misericordias sacrosancta scriptura narret. Si Dei clementiam men te repetamus, fiet, vt minimè aduersis frangamur: sin autem eius seueritatē, fiet, ne prosperis efferamur. ait ergo propheta. *Et conuersus sum.* Id est: me vocāte Angelo, & vt animaduerterē monēte. *Et leuaui oculos meos.* Vt significet è cœlo se oraculū hoc accepisse & non ab spiritu pythonico incitatū. Pythonicus enim humi depressus, diuina-

Oportet non solum Dei misericordiā sed etiam seueritati nobiscum recordari.

Psal. 100.

Pythonicus humi depressus diuinationes loquebatur.

Esai.29. *Quid inter verum concionatorem & Sycophantam intersit.*

diuinationes loquebatur, vt Esaias testatur, dicens; Erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuũ mussitabit. Verus enim propheta, verusq; concionator, cœlũ, id est, voluntatem diuinam spectans verba facit: at Sycophantæ, & improbi hæretici terram spectãtes sermonem instituunt: nihil enim nisi vt libidinem suam expleant, & vt populo, & terrenis hominibus blandiantur, loquuntur. Felix tamen ille vates, & ille concionator est, qui vnius Dei rationem ducens, iniquorum hominum vitia increpare, & illis dira minari non veretur. *Et vidi, & ecce volumen volans.* Nomen Hebræum quod volumini respondet, est מגלה *megla*, quod volumen significat à verbo גלל *galal*, volui. est itaq; charta, quæ in rotũdũ complicatur, & ob eam rem vocatur volumẽ: cæterùm prophetæ explicata, & euoluta apparuit. In hoc volumine scripta erat sententia Dei in impios, & flagitiosos homines, sicut in Balthasarem scripta fuit in pariete, vt narratur Danielis ca.5. Sed septuaginta vertũt non volumẽ, sed δρέπανον falcem, quam versionem, vt Grecus, amplectitur Chrisostomus homilia. 13. ad populum Antiochenum, &.19.& 27. quam versionem verbũ Hebræũ nõ respuit: nam idem illud verbum, quod volumen significare diximus, alijs punctis, vt מגל *magal*, dicamus, falcem significat: puncta verò extra dictionem sunt, neque ei ita necessariò adhærent, vt commutari nõ possint: siquidem apposita fuisse creduntur ab recentioribus Hebræis. recentiores inquam, id est, qui post Christum sunt consecuti. quare alij alia puncta antea legentes apponebant ה verò finale, quod etiã tollimus, cum

Dan.5. *Cur quod volumen vulgatus interpres; septuaginta interpretes falcem verterunt.* *Chrisostomus.*

falcem dictionem מגל *magal*, significare dicimus, pro comperto est Hebræis esse accidētalo, ex ijs literis, quas hemãticas grãmatici vocãt, & eidem dictioni & additur nonnunquam, & detrahitur. Quare non malè conuenit hæc septuaginta virorum interpretatio, si verba solùm consideremus: sin autem ad sententiam mentem referamus, multò aptiùs conuenit, vt sententia, & animaduersio in improbos falx appelletur; quia eã succisi sunt, atque deleti. Et huiusmo di sententiã, gladius in sacrã scriptura disertis, & apertis verbis nominatur: vt Apocalypsi capitul.1. describens Christum iudicem Ioannes ait. Et de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat: & hac eadem sentententia Apocalyp.14. vocatur falx, ait enim: Et respondit Angelus, & dixit ei, qui sedebat super equum; Mitte falcem tuam acutissimam, & mete vineam tuam, quoniã maturæ sunt vuæ eius. *Volans* dicitur, tum vt è cœlo, è tribu nali altissimi, & æquissimi iudicis venire intelligatur: tum vt celeritatem diuini iudicij, seuerissimæque sententiæ intelligamus: vt declarat Chrisostomus homilia.27. quæ citiùs opprimet impios, quàm ipsi opinantur. quod luculenter Petrus explicat dicens: Vnum verò hoc non lateat vos charissimi, quia vnus dies apud Dominum mille anni, & mille anni sicut vnus dies. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur: quod diligẽter, & attentè considerare, & ob oculos habere debemus, ne largam nobis peccandi licentiam permittamus.

Sententia in improbos vecte falx appellatur.

Apocaly.1.

Apocal.14.

Chrisostomus. *Celeritas diuini iudicij significatur.* 2.Petr.3.d.

Oportet considerare celeritatem iudicij diuini.

Est enim hominis iniqui procrastinatio, putantis multum sibi vitæ tempus reliquum esse, ex quo illud incurrit, quod Dauid testatur: In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. (Psal. 9.) Sapientis verò est semper esse paratum, & ita vitam suam comparare, quasi statim sit in Dei iudicium vocandus. itaque nunquam ei dies Domini vt fur accidit, sed vt hospes expectatus. Hac eadem consideratione volantis voluminis, aut securis, à cœtu nos, & congregatione impiorum Ecclesiasticus reuocare conatur dicens; (Eccle. 7.) (*Cur volãs repræsentatur sententia in improbos.*) Non te reputes in multitudine indisciplinatorum: memento iræ, quoniam non tardabit. Volãs etiã repræsentatur, ne vllus eam sententiã subterfugere posse putet, quia neq; ab Oriente, neq; ab Occidente, neque à desertis montibus, id est, nullibi vlli patet perfugium: quoniã Deus (inquit) iudex est. (Psal. 74.)

2 *Et dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Ecce ego video volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.* Multi, multa dicunt, hunc numerum viginti & decem cubitorum in rem aliquam eiusdem numeri ad nostram attinentem theologiam accommodare cupientes: illa tamen Chrisostomi (*Chrisostomus*) harum parabolarum interpretis optimi explicatio vehementer probatur, homilia illa citata: (*Lõgitudo & latitudo voluminis magnitudinem suppliciorum significat.*) vt longitudo, & latitudo tot cubitorum, vehementiam, & magnitudinem suppliciorum significet, quæ sunt iniquis hominibus constituta, neque opus est alia subtiliore explicatione, ne puerilis esse videatur. Nã quod Vatablus (*Vatablus reprehenditur.*) dicit illa mensura significari habitabilem orbis partem, cuius longitudo longè maior est latitudine; noua cosmographia refellit: ex qua constat, omnes mundi partes esse habitabiles, nec breuiorem latitudinem, quàm longitudinem esse, quippe sit orbis terrarum sphærica figura compositus. Gregorius (*Gregorius.*) lib. 15. moral. c. 7. ad præmium in hac vita legem conseruãtibus præstitum refert, quod simplum vocat, & ad illud æternæ vitæ, quod duplũ esse dicit. Quare illud numero decimo, hoc verò vigesimo declarari arbitratur. Nam hoc volumen, vniuersa sacra scriptura illi est: quod totum mihi certè nõ probatur. Robertus Abbas, per numerũ decimum, & vigesimum, ex quibus summa facta trigesimus subducitur; triginta maledictiones cap. 28. Deut. quibus peccata Iudæorum Deus se vindicaturum minatur significari dicit. Sed si rectè rationem subducat, minimùm plusquàm quadraginta ueniet. quare illam planam, facilemque interpretationem Chrisostomi teneamus. Cui possumus addere; (*Determinata sunt suppliciorum vnicuique flagitio comparatum est.*) ideò certam, præscriptamque huius voluminis, quo ira Dei continetur, poni mensuram, vt determinatũ, certumq; vnicuiq; flagitio supplicium comparatum esse sciamus: id quod Esaias (*Esai. 28.*) testatur dicens; Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mẽsura, & subuertet grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt: cohæretque maximè cum intimo capite, in quo dicitur, vidisse iniquitatem in medio amphoræ sedentem: quod est genus mensuræ: & in Deuteronomio præcipitur, vt (*Deut. 25. a.*) pro mensura peccati, sit & plagarum modus. Sequitur in propheta.

3 *Et dixit ad me, Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ.* Maledictionem (*Cur vocet maledictionem sententiam in impios latã.*) vocat sententiam contra impios latam: nam & ea, ipsi maledicti

Matt. 15.

ďti appellantur, vt eſt apud Matth. Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum. Etenim Deo idem eſt maledicere, & malefacere cuipiam: nam in ipſo dicere, & facere idem eſt. Ipſe dixit, & facta ſunt, ait Dauid. *Quæ egreditur, ſuper faciem omnis terræ.* Hoc eſt, quæ mox egredietur, vel nunc ſcripta egreditur, & poſtea expromeťur.

Idem Deo eſt maledicere & malefacere.

Superfaciem omnis terræ. Quidam Hebræus interpretatur omnis terræ Iſraeliticæ: ſed ad alias etiam terras, & nationes pertinere poteſt. Nam vt dicit Paulus: Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum: præſertim quòd peccata, quæ hac ſententia vindicantur, non ſolùm in legem Moſaycam, ſed etiam in legem naturæ ſunt, qua omnes homines tenentur.

Sententia quã vidit Zacharias nõ ſolum pertinet ad terram Iſraeliticam.

Rom. 1.

Quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, iudicabitur: & omnis iurans, ex hoc ſimiter iudicabitur. Iudicari, pro condemnari accipiendum eſt, ſicut etiam dixit Paulus; Quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, cætera plana ſunt. Sed in Hebræo obſcurè efferuntur, quod cauſa eſt valde diuerſarum huius loci tranſlationũ. verba Hebręa ſunt כִּי כָל הַגֹּנֵב מִזֶּה כָּמוֹהָ נִקָּה וְכָל הַנִּשְׁבָּע מִזֶּה כָּמוֹהָ נִקָּה *qui cal hagoneb mi ze camoha nica vecal ha nisbah mi ze camoha nica*, quod ad verbũ ſi reddamus id ſonat. Quoniã omnis fur, ex hoc ſicut ex ipſo ſucciſus eſt: & omnis iurans ex hoc ſicut ex ipſo ſucciſus eſt. Eſt phraſis Hebræa, qua ſignificatur, ex vtroque latere volumen ſcriptum eſſe. Hiſpanè *anſi de aqui como de alli*; ſubaudi ſcriptum erat. Eadem phraſis eſt. 3. Reg. 22. verſ. 24. Ait Achab ad Ioſaphat; ſicut ego ſum, ita & tu. Hebraicè ad verbum, Ego ſicut tu, & tu ſicut ego. & Iudicum. 8. verſ. 18. Quales fuerunt viri, quos occidiſtis in Thabor? Qui reſponderunt; ſimiles tui. in Hebræo eſt ad verbum, ſicut tu, ſicut ipſi. id eſt, tu; ſicut ipſi; & ipſi, ſicut tu. Eadem phraſi vſus eſt Petrus. 2. Epiſtolã loco proximè citato; Quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni & mille anni, ſicut vnus dies. Hebræus enim erat, quamuis Græcè ſcripſerit. Itaque in hoc omnes Hebræi conueniunt, ſignificari hac dicendi ratione, librum ex vtraq; parte ſcriptum fuiſſe. Differt tamen inter illos: nam quidam putant ex vna parte ſcriptum fuiſſe; Omnis furans ſucciſus eſt: ex altera verò, Omnis iurans ſucciſus eſt. quos ſequens Pagninus ita vertit: Quia omnis fur, ſicut ſcriptum eſt ex vna parte ipſius, ſucciſus eſt; & omnis iurans, ſicut ſcriptum eſt ex altera parte ipſius, ſimiliter ſucciſus eſt. Sed Vatablus putat ex vtraque parte ſcriptum eſſe, Omnis fur ſucciſus eſt, & omnis iurans ſucciſus eſt. Cui ego magis aſſentior: id enim verba Hebræa apertè indicant; nec in ea Pagnini interpretatio cadere vllo modo poteſt: nam in Hebræo eſt, omnis fur ex hoc, ſicut ex ipſo ſucciſus eſt: & omnis iurans. &c. Cùm ergo vnicuique articulo apponitur, ex hoc, ſicut ex ipſo, planè ſignificatur, ex vtraque parte vtrunq; ſcriptum eſſe: alioqui tantùm diceretur, omnis fur ex hoc ſuccidetur; & omnis iurans ex ipſo ſuccidetur. Septuaginta verò hanc phraſim valde obſcuram ita reddũt; διότι πᾶς ὁ κλέπτης ἐκ τούτου ἕως θανάτου ἐκδικηθήσεται. id eſt, quia omnis fur ex hoc vſque ad mortem punietur. quæ verſio nihil, aut parùm à noſtra vulgata differre videtur, quæ facilis eſt. Illud rectè notat Vatablus, fure omnes

Iudicari pro condemnari.

Rom. 3.

3. Reg. 22.

Iud. 8. c.

2. Petri. 3.

Pagninus reprehenditur.

Quod notat Vatablus laudatur.

nes in proximos peccantes comprehendi: iuranti falso inquam impios
Ezech.2. in Deum. Ezechieli etiam liber ostensus est, vt ipse narrat.c.2. qui erat scriptus intùs, & foris; Et scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen væ, hoc est, minæ in populum Iudaicum, & luctus in quos ob scelera sua erat incursurus. Sed quæri meritò potest, cur tam breuis sentẽtia in tam grãdi volumine scripta erat? Ad significandam existimo criminis, & supplicij magnitudinem, grauitatemque: si-
Esai.17. cut etiam Esaiæ præceptum est, vt in libro grandi scriberet stylo hominis, id est, plano, atque perspicuo hæc ver-
Cur tam breuis sententia in tam grandi volumine scripta erat. ba tantùm: Velociter spolia, detrahe citò prędare: quo nomine Christum appellari postea voluit: quia verò significabat præclarißimum, & excellentißimũ eximij ducis opus, in grandi libro scribi voluit, quasi diceret, nullis neque verbis, neque literis, tam magnifica facta, quę nomine illo con-
Res grauißima est scelus admittere. tinentur, exprimi posse. Ita si scirent mortales quanta res sit crimen aliquod, aut scelus admittere, quantaq; peccantem pœna maneat, exiguum valde putarent volumen illud ad res huiusmodi scribendas. Si verò peccato attenderimus Dei legem violari, qua nihil excellẽtiùs, si à Christo discedamus, est hominibus, neq; à Deo, neque à natura datum, in grauißimũ Dei Opti. Max. odium incurrere, diris, & æternis supplicijs mãdari: si tot tantasq; mũdi ruinas propter flagitia recordemur, ac deniq; si quàm acerbus Deus fuerit in verũ, naturalẽ, charißimumq; filium suum, ꝗ hominũ voluerit culpam præstare, ijs fortaſſe vijs odorabimur, atque nonnullam coniecturam faciemus, quanti ponderis sit flagitium, quantoque sit supplicio constringendũ. Has res, & alias animo viri sancti repetentes, millies mortem perpeti mallent, quàm semel peccare: at verò homines iniqui qui & stulti propterea appellantur; id totum leue, & pro nihilo ducunt, dum libidinem suam expleant: quorum deprauatum ingenium Salomõ *Prou.10.d.*
describens ait. Quasi per risum stultus operatur scelus: ijs fortaſſe maius volumẽ hoc videbitur, quàm rei magnitudo postulat. Est etiam volumen *Cur ex vtraque parte volumen erat scriptum.*
tam magnum, & ex vtraq; parte scriptum, vt neminem lateat, vt ab omnibus & videatur, & legatur, neque vllus dicere poßit, non putaram: sicut & ipsa Dei lex, de qua hoc volumine mentio fit, patens & omnibus ita exposita est, vt vel natura magistra teneatur: ait enim Paulus, Quum *Rom.2.c.*
enim gentes, quæ legem non habẽt, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorũ. Ipsa etiã natura docet Deũ iustißimum, & æquißimũ, scelera, atq; peccata inulta abire nũquam paſſurum: Nã timor numinis est omnibus hominibus natura insitus: ob eamq́, rẽ Paulus philosophos multis consectatur côuitijs; Quoniã cum iustitiã Dei (inquit) cognouiſſent, nõ intellexerunt: *Rom.1.*
quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: nõ solũ qui ea faciunt, sed etiã qui cõsentiunt facientibus. Vt igitur res notißima significaretur eo volumine cõtineri, tã magnũ ostẽsum est.

4 *Et educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & cõmorabitur in medio domus eius, & cõsumet eũ, & ligna eius, & lapides eius.*

Educit

Educit maledictionem Deus cũ exequitur eam. Educit maledictionem Deus, cùm exequitur eam: antè enim quasi inclusa esse videbatur, irã Deo pro sui animi magnitudine reprimente. In eandem sententiam ipse dicit: Et euaginabo gladium meũ, & interficiet eos manus mea; vt cum versione septuaginta virorum etiam conueniat; qui (vt docuimus) falcem pro volumine reddunt. Ita cùm pestis illa grauissima grassabatur in populum ob scelus Dauidis, vidit ipse Angelum euaginatum gladium in manu tenẽtem. Itaque educere maledictionem, idẽ est, quod venire ipsam ad domum furis. &c. Non dicit, veniet ad furem: sed ad domum furis; quò maior vastitas significetur: ita vt non solùm impius, sed quæ ad ipsum pertinẽt, euertenda sint. Et ob eam rem diluuio, nõ solùm omnes ferè homines, sed etiã omnia animalia, omnes arbores, & plãtæ fuerũt deletæ: & nouos cœlos, nouamque terram Petrus Apostolus futurã esse post iudicium dixit, q̃ omnia conflagratione generali renouabũtur. Sed imprimis domũ nominat impij, quòd Deo maiori odio, quàm alia eius res esse videatur, quippe quæ inimicum suum ab iniurijs cœli tueatur, & perfugium, & quasi arx eius sit, qui cum Deo non dubitat inimicitias gerere. Hac de causa Deus non solùm domos impiorum, sed domum suam, templum suum sacrosanctum diruit, atq; vastauit: propterea quòd homines iniqui illud commune perfugium, & quasi portum existimabant, ita vt ad illum venientes, tametsi peccassent, securos ab ira Dei esse opinabantur. quod luculenter tractat Ieremias dicens; Furari, occidere, adulterari, iurare mẽdaciter &c. & venistis, & stetistis corã me in domo hac, in qua inuocatum est nomẽ meum, & dixistis: liberati sumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes istas. Ergo spelunca latronũ facta est domus ista, in qua inuocatũ est nomen meũ. Ite ad domũ meam in Silo, vbi habitauit nomẽ meũ à principio, & videte quid fecerim ei propter malitiã populi mei Israel. id est, sicut excisa atq; diruta à me est propter scelera vestra; sic & domum hanc, ad quã tot iniqui homines confugiunt excidam. An ęquo animo feram domum vllam esse speluncam latronum? Et ita euenit; nam funditus templum euertit. quare rectè nos Ecclesiasticus admonet dicẽs; Si non in timore Domini tenueris te, citò subuertetur domus tua. *Et commorabitur in medio domus eius.* Phrasis est vsitatissima Hebræis, esse in medio alicuius rei, ad significandum plenè, atque perfectè in aliqua re esse inclusum. Lex tua in medio cordis mei. & si ambulauero in medio tribulationis. Et sicut impij plenè peccatis, atque delictis tenentur: ita æquum est vt eos plenè maledictio Dei comprehendat: & sicut ædes illorum quasi quædam officinę impietatis esse solent: sic consentaneum est vt execratio, & supplicium Dei in domos illorum omninò includatur. Veniat mors super illos, descẽdãt in infernum viuentes, quoniam nequitiæ in tabernaculis eorũ in medio eorum ait Dauid.

Non solũ impius sed etiã quæ ad eum spectant euertenda sunt.

Domus iniqui Deo maiori odio quã alia eius res esse videtur.

Deut. 32.

Iere. 7. b.

Eccle. 27. a.

Phrasis Hebræa est, esse in medio.

Psal. 39.

Psal. 137.

Psal. 54.

Et consumet eum, & ligna eius, & lapides eius. Adeò Deus detestatur impium, vt nullum eius vestigium relinquum esse velit. Vidi impium super exaltatum, & eleuatum sicut cedros libani, transiui, & ecce non erat; quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Quare nequaquam mortales instructas

Nullũ Deus vestigiũ impij reliquum esse vult.

Psal. 36.

ſtructas, & amplas domos ædificant, ſola marmorea, & tecta laqueata, & magnifica faciunt, vt perpetuam ſui memoriam relinquant: nam niſi virtutis fundamenta iaciant, omnia citò corruent. Quantis, & quàm magnificis ædificijs olim Roma abundabat, quorum vix nunc ruinæ extant! Diſcipulis admirantibus nobile templi Ieroſolymitani ædificium, tam egregiè cælatum, tanto fulgens auro, Chriſtus dixit, vt Matth. narrat: Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. Quare rectè quidem illud à Salomone dictum eſt in Prouerbijs. Domus impiorum delebitur, tabernacula iuſtorum germinabũt, id eſt, diutiùs permanebunt viles piorum ædes, quàm domus impiorum magnificæ: illę enim indies meliores, & ornatiores fient: hæc ſemper in deteriùs ruet, ac tandem penitus corruet. *Et egreſſus eſt Angelus.* Id eſt, ſe ad tempus ſubduxit, & poſtea reuerſus eſt.

Frustra magnificis ædificijs perpetua memoria quæritur.

Matt. 24. c.

Prou. 24. b.

7 *Hæc eſt amphora egrediens, Et dixit, Hic eſt oculus eorum in vniuerſa terra, Et ecce talentum plumbi portabatur. &c.* Hæc viſio etſi nonnihil obſcuritatis habeat, non tam obſcura tamen eſt, quàm obſcura redditur à Vatablo, cætera facili, & docto auctore, hoc tamen loco Hebræum quendã ſequẽs, quem ipſe magni facit, ita vt ferè nunquam ab eo diſſentire audeat, ſic locum hunc implicat, atque cõfundit, vt difficilis valde ſit. Dicit duas populi Iſraelitici tranſmigrationes hic ſignificari; & eam, quæ facta fuit per Salmanaſar Regem Aſſyriorum, qui occupata Samaria decem tribus vnà cum rege ſuo Oſea captiuos duxit in Mediam, de qua narratur Regum 18. c. alterã eam eſſe, quæ facta fuit per Nabuchodonoſor, qua duæ reliquæ tribus ſunt ductæ captiuæ in Babylonem. Primam ſignificari dicit amphora, ac muliere in ea ſedente, ac maſſa plumbi: muliere verò vna ſignificari putat decem tribus; quòd vno conſenſu Deum relinquentes, vitulos coluerant. amphoram pœnam commeritam: plumbum diuturnitatem captiuitatis. Alteram, duabus mulieribus, quæ amphoram in terrã Senaar exportãrunt: terra enim Senaar, Babylonia eſt. nam primi qui Babel ædificarunt, in campo Senaar habitaſſe dicuntur. Sed quomodo hæc cohærent? nam ſi mulier in amphora decem tribus ſignificat, & duę mulieres amphoram vnà cum muliere aſportãrunt; quomodo decem tribus à duobus ductæ in exilium ſunt? Iam verò mulierem illam in amphora ſedentem Angelus interpretatur eſſe impietatem. non ergo rectè interpretatur Vatablus dicens, decem eſſe tribus: præſertim quòd nullo ſacroſanctæ ſcripturæ loco hoc nomine decem tribus appellari probabit: & eò magis, quòd ipſe propheta de ea muliere non dubitarit, ſed contentus fuit explicatione ab Angelo poſita: tantùm quæſiuit, quò à duabus mulieribus amphora portaretur. quamobrem hæc Vatabli, & cuiuſdam Hebræi magni nominis inter illos expoſitio, mihi certè non probatur. Sed hac ratione facilem hanc viſionem præſtari puto. Poſtquam ſuperiori parte huius capitis Deus prophetam docuit periuros, atque fures, & vno nomine ſceleratos omnes grauiſupplicio eſſe coercẽdos; quòd generaliter enunciauit modò ſpeciatim in populo Iſrael factum eſſe exponit, narratque & illorum peccatũ, & pœ-

Vatablus reprehenditur.

nam

nam, quam dederunt. ac primùm yati ostendit amphoram. Cùm verò dicit amphoram egredientem ex vrbe, vel templo; intelligit, vt vult Vatablus: aut vt mihi magis placet, egredientem, id est, apparentem, cùm antè non videretur; quasique è tenebris egredientem. Quid autem huiusmodi amphora significet, statim Angelus explanat dicens;

Oculus iudicium in scriptura significat.

Hic est oculus eorum in vniuersa terra. Oculus iudicium in sacris oraculis significare solet, vt apud Matth. Lucerna corporis tui est oculus tuus:

Matt. 6.

si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. & capitulo vigesimo. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Dicit ergo Angelus, amphoram esse iudicium eorum, id est, mensuram, quà ipsi iudicantur. Est enim mensura id, quo rectè de rerum quantitate iudicamus. Illud vero relatiuum, eorum, quod dicimus, magis explicat: nihil enim referre potest, nisi peccata, aut homines sceleratos, de quibus paulò antè dixerat. quare connectit hanc partem cum superioris capitis parte.

Matt. 10. b.

Cur quod nos oculũ, Septuaginta verterunt iniquitatem.

Sed Septuaginta interpretes transferunt, non oculum eorum, sed *ἀδικίαν αὐτῶν*, iniquitatem eorum; cuius rei causam optimè Hieronymus in commentarijs declarat. Nam verbum Hebræum hic vertendum. עין *hen* est; cuius media litera. י. nulla re differt à ו. nisi in magnitudine, quòd י. sit minor, eadem tamen figura quà ו quare quod valde similes sint, contingit sæpè in editione Hebræa, vt vna pro altera irrepat. at si media litera nominis עין *hen*, ו. sit (vt fortè fuit in codice, ex quo Septuaginta viri verterunt) nomen hoc iniquitatem significat; eadem tamen sententia vtrique versioni subijcienda est, Hæc igitur est iniquitas eorum, id est, mensura, qua Deus eorum iniquitates metitur, per metonymiam, cùm cõtentum, pro continente vsurpatur.

7 *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.* Mulierem hanc Hieronymo, & alijs placet esse idololatriam: sed ego non aliter interpretor quàm Angelus ipse interpretatus est, vt statim subijcitur.

Quid mulier in amphora significet.

8 *Et dixit, Hæc est impietas.* Nam non solùm propter idololatriam, sed etiã propter alia scelera Israeliticus populus in hostium potestate fuit: quæ omnia scelera, vno impietatis nomine comprehenduntur. tantum addamus causa explicationis; Hæc est impietas Israelitici populi. Hæc verò sedebat in medio amphoræ. quã ob rem aliquid eius intra amphoram, aliquid extra esse oportebat, vt habitum sedentis præseferret. itaque neque amphora eam totam capiebat, neque ipsa amphoram totam occupabat: quapropter vt iudicaretur, vtrum tanta esset, vt totam amphoram impleret, oportebat totam in amphora includi: & idcirco statim dicitur,

Et proiecit eam in medio amphoræ. Quid verò sit iniquitatem amphora metiri; partim capite primo declarauimus, vbi exposuimus, esse nonnullam, certamque peccatorum mensuram, Dei iudicio cognitam, quam si cõpleuerint homines peccando, nunquam eis Deus pœnã in hac vita soluendam ignoscet. quod exemplis, &

Quid sit iniquitati amphora metiri.

G quibus-

quibusdã sacræ scripturæ locis comprobauimus: cuius rei imago nunc vati nostro proponitur. qui locus maximè notandus est: nam & hac doctrina ipse apertè declaratur, & ipsa vicissim doctrina vehementer hoc loco illustratur. Hanc mẽsuram Christus seruator respiciens dixit Hierosolymitanis; Implete mensuram patrum vestrorum. quod duobus modis maximè huic doctrinæ consentaneis intelligitur, admittite peccata, quæ reliqua sunt ad eam mensuram complendam, qua completa, Deus populum tam nefarium abijciet, dignaque pœna multabit, & alium deliget. Sequitur enim; Vt veniat super vos sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ, filij Barachiæ: hoc est, vt pœnas tantas pendatis, ac si omnes iustos necassetis, ab Abel, vsque ad Zachariam. vel implete mensuram illam, quam implẽtes patres vestri excisi propè sunt, atque agro, & patria sua exterminati, & hæc vrbs, atque Samaria florentissimæ, bello sunt, & incendio vastatæ. Sequitur enim; Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Igitur Angelus prophetam causam docet, cur Israelitæ fuerint è patria pulsi, & in tam graue exilium proiecti.

Locus Matthæi expositur.

Matt. 23. d.

Et misit massam plumbeam in os eius. Hoc relatiuum, eius; vel referre potest amphoræ os, vel mulieris: si amphoræ (vt placet Lirano) optimè quadrat ad significandum eam fuisse impletam; vt alludatur ad rationem agendi eorum, qui postquam vas nihil amplius capit, os eius operiunt. Ita vt minimè iniquitatem patiatur Deus vltrà progredi. Si mulieris referat os; significat coercitam fuisse iniquitatem pœnis, atque supplicio; sic vt loqui, aut agere quidquam contra Deum nõ ita temerè audeat: nam quasi tacere videtur Deus cùm iniquitates, & peccata tolerat: at impietas loqui, & se iactare videtur, cùm res pro libidine sua gerat: contrà verò Deum profari, & impietatem conticere conuictam, cùm pœnas ab iniquis flagitiorum repetat. ita Dauid narrans impios vexatos ob scelera fuisse subijcit; Omnis iniquitas oppilabit os suum. & Esaias describens pœnas è Chaldæis sumendas, effictione personæ cum Babylonia loquitur, & ait; Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum. Quòd verò interpres dicit, massam plũbi; in Hebræo est אֶבֶן *eben*, lapis plumbi: & ita vertũt Septuaginta interpretes. Sed Hieronymus in commentarijs dicit, consultò massam transtulisse, quòd magis accommodatum esse videtur ad intelligendum, lapidem illum plumbeum fuisse. Aptè etiam plumbo os eius claudi narratur; quia ad supplicium depressa, nihil resistere, nihil excusare, nihil denique loqui potest. Aptè etiam plumbum congruit iniquitati, quod grauissimum est, & ad ima protrahit: ita iniquitas homines ad inferos deprimit. Sic Ecclesiasticus de scelerato, & nequam homine loquens ait: Super plumbum quod grauabitur? & quod illi aliud nomen, quàm fatuus? Arenam, & salem, & massam ferri faciliùs est ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium. Esaias etiam ait, Grauabit eam iniquitas sua, corruet, & non adijciet vt resurgat.

Iniquitas est ita coerceri cum pœnas Deus repetit ab iniquis.

Psal. 116. d.

Esai. 47. a.

Cur plumbo os mulieris claudatur.

Cur plumbũ iniquitati congruat.

Eccle. 22. b.

Esai. 24. b.

9 *Et leuaui oculos meos, & vidi; & ecce duæ mulieres egredientes.* Hæc duæ mulieres,

mulieres, sunt duo regna, Israel, siue Samariæ, & Iudæ; quæ Deo tanquam sponso cùm fuissent collocata, mulieres appellantur: quæ quidem sponsum suum relinquentes, & ad idola deficientes, quasi adulterium cómisisse videntur. Nam idololatria passim in scriptura fornicatio appellatur; præsertim in prophetis, vt Osea. Spiritus fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo: quod statim declaratur; nam sequitur; Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama, &c. ideo fornicabantur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erãt. Mulieres etiam hæc duo regna ab Ezechiele vocantur capite .23. quod caput, magnum huic visioni lumen affert: dicit enim Ezechieli Deus; Fili hominis duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt, &c. nomina autem earum Oola maior, & Ooliba soror eius minor. Porrò eorum nomina Samaria Oola, & Ierusalem Ooliba: quarum statim numerat infinita peccata. Hæ igitur mulieres, quas Zacharias vidit, sunt hæ duæ sorores.

Quid nã sint mulieres duæ quas egredientes propheta vidit.

Idololatria in scriptura fornicatio appellatur.

Osee. 4. c.

Regna duo Israelitarum mulieres ab Ezechiele vocantur.

Ezech. 23.

Et spiritus in alis earum. Hoc dicitur; quoniam captiuæ ductæ sunt, & migrarunt è patria sua: nam iisdem propè verbis Oseas transmigrationem, & captiuitatem populi significauit dicens; Ligauit eum spiritus in alis suis, & confundetur ab idolis suis: quod literaliter migrationem, & captiuitatem populi significat. id est, tam facilè, celeriterque populus Israel è terra tolletur; quamuis nimis sibi firmus videatur, quàm à vento vel puluis, vel festuca tollitur. Idem igitur propheta significat, cùm has mulieres alas ventis expansas habere dicit, id est, celerrimè euolasse è patria, & agro suo. Spiritus hoc loco pro aére vsurpatur, sicut in illo proximè citato Oseæ loco. neque oportet spiritum diabolicum quærere: vt quidam interpretes opinantur: in quo hic spiritus dicatur. Hac eadem metaphora Dauid summam impiorum leuitatem, ac infirmitatem explicat dicens; Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Facilè loco mouentur impij vel leui vrgente calamitate: at iustitia firmas radices agit: Deo enim nixa nullo vincitur tempestatis impetu.

Osee. 4. d.

Osea locus declaratur.

Psal. 1.

Facile loco mouentur impij vel leui calamitate.

Et habebant alas quasi alas milui. In Hebræo est חסידה *hacida*, quod Hebræi ciconiam significare dicũt, à nomine חסיד *hasid*, id est misericors: quòd ciconia misericordiam, & humanitatem præstet parentibus. Talmudistæ Hebræorum dicunt miluum significare album, quòd prædam cum socijs cómunicet. Hieronymus in commentarijs de huius nominis significatione copiosè disserit, prolatis multorum auctorum versionibus: sed re vera nomen est ambiguum, neque vna eius interpretatio in omnia sacræ scripturæ loca cadit. Nam capite Iob. 39. nisi strutionem interpretemur, nullo modo quæ ibi attribuuntur ei, intelligemus. Sed quidquid hoc loco significet, eadé quam suprà diximus sententia subijcienda est.

Iob. 39.

Et leuauerunt amphoram inter cælum & terram. Alludit ad earum volatum: nã semper per aéra fit: nec oportet accuratiùs id tractare, vt tractat Robertus Abbas, ne affectare potiùs quàm explanare videamur.

10 *Et dixi ad Angelũ qui loquebatur in me; Quò istæ deferũt amphoram?* Cætera

intellexisse propheta videtur; tãtùm quærit, quò amphora illa portetur: & quasi de populo suo solicitus rogat, quàm procul exulaturus patria sit. Cæterùm cùm mulieres hæ impietatem in amphora portent, pœnas pro magnitudine peccatorum pendere significatur. Est enim modus dicendi Hebræus, portare iniquitatem, pro pœnam iniquitatis subire: vt Nume. capitulo. 14. Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram. Non cognoscunt flagitiosi, quàm graue sit onus, scelus, atque flagitium, quantoque pondere deprimantur, quòusque illud portent, id est, pœnas persoluant. Idemque quod hac imagine prophetæ traditur, verbis apertus, & ex hac similitudine petitis, atq; translatis, Ezechieli Deus prædicit populo minans, se scelera eius vindicaturum. Et auferam scelus (ait) de terra, & discent omnes mulieres ne faciant secundum scelus earum. Et dabunt scelus vestrum super vos, & peccata idolorum vestrorum portabitis. & alio loco eiusdem capitis. Quia oblita es mei, & proiecisti me post corpus tuum; tu quoque porta scelus tuum, & fornicationes tuas.

Modus dicendi Hebræis portare iniquitatẽ, pro pœnam iniquitatis subire.

Num. 14. c.

Ezec. 23. g.

Et dixit ad me, Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar. Diximus suprà Sennaar agrum esse, in quo ædificata fuit turris Babel, qui ad Salmanasar pertinuisse videbatur: qui captiuas abduxit decem tribus: sicut postea pertinuit ad Nabuchodonosor, qui reliquas duas captiuas abduxit. Nam Salmanasar totius ferè Asiæ Imperium obtinuit: fuit enim Assyrius. Assyrij autem (vt narrat Iustinus lib. primo) mille & tercentos annos Imperium possederunt. Nabuchodonosor autem fuit primus Rex Chaldæorum, qui eis regnum eripuit. quare ad idẽ & æquè patẽs imperium omnes duodecim tribus migrarunt. Cùm dicit,

Nabuchodonosor fuit primus rex Chaldæorum, qui regna eripuit Assyrijs.

11 *Vt ædificetur ei domus, & stabiliatur, & ponatur super basem suam*, diuturnam fore captiuitatem significat, & perlongum tempus in potestate inimicorum futuras. Eodem enim modo idẽ docetur à Hieremia. 29. Hæc dicit Dominus exercituum, ait Deus Israel, omni transmigrationi, quam transtuli de Ierusalem in Babylonem. Ædificate domos, & habitate, & plantate hortos, & comedite fructum eorum, &c. id est, ne seducant vos prophetæ falsi (vt mox subijcit) ne vos inani spe sustentent, pollicentes quod citò in patriam redibitis: diu enim morabimini, diu manebitis, quare domos potiùs ædificare cogitate, in quibus habitetis, quàm vehicula ad reuertendum parare.

Iere. 29.

CAPVT. VI.

1 *ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei.* A

2 *In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri.*

3 *Et in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij fortes.*

4 *Et respondi, & dixi ad Angelum qui loquebatur in me, Quid sunt hæc Domine mi?*

5 *Et respondit Angelus, & ait ad me, Isti sunt quatuor venti cæli, qui egre-*

egrediuntur vt stent coram dominatore omnis terræ.

B 6 *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egreßi sunt post eos: & varij egreßi sunt ad terram Austri.*

7 *Qui autem erãt robustißimi, exierunt, & quærebant ire & discurrere per omnem terram. Et dixit, Ite, perambulate terram, & perambulauerunt terram.*

8 *Et vocauit me, & loquutus est ad me, dicens, Ecce, qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.*

9 *Et factum est verbum Domini ad me, dicens.*

10 *Sume à transmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & venies tu in die illa, & intrabis domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.*

C 11 *Et sumes aurum & argẽtum, & facies coronas: & pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni.*

12 *Et loquêris ad eum, dicens, Hæc ait Dominus exercituum dicẽs, E C-*

D *CE VIR ORIENS NOMEN EIVS: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino.*

13 *Et ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo: & erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.*

14 *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.*

15 *Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini, & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.*



T conuersus sum, & leuaui oculos meos, & ecce quatuor quadrigæ egredientes. 1

Significatum est prophetæ superiori capite, populum suum in hostium potestate, non ad breue, sed ad longum tempus futurũ. Ostendit hoc capite, hanc potestatem non vi sua hostes sibi comparasse, sed voluntate Dei eis vires, & potentiã suppeditantis. & non solùm horum, sed etiam omnem potestatem, quæ amplißima in orbe terrarum sequẽtibus tẽporibus futura est, ex ipso manâsse; & ob eam rem totius mortalis, & caduci seculi formam ei, & figurã proponit. Paßim enim in sacris oraculis Deus docet fideles suos, omnia Dei arbitratu fieri, atque gubernari: nihil fortè, & temerè ei, sed omnia consilio cadere. Sicut Christus apud Matthæum ait; Nonne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet in terram sine patre vestro? si ergo passeres laqueis non capiuntur: nisi voluntate, & consilio Dei; quò magis homines in aliorum potestatem, & ditionem venire sine Dei consilio minimè credendũ est. Sicut etiam Paulus ait. Non est potestas nisi à Deo: quod ad fidem, quam Deo debemus

Omnis potestas ex Deo manat.

Totius mortalis seculi formã Deus propheta proponit.

Mat. 10.

Nihil fortè & temerè Deo, sed omnia consilio cadunt.

Rom. 13. a

informandam maximè attinet, cùm reges,atq; truculentos tyrannos omnia iura diuina, & humana peruertere viderimus, alios homines fortunis spoliare,alios necare,alios exilio mulctare,ac deniq; Deo,& sanctis eius crudelissimum bellum sæuissimum inferre, legibus, & voluntati eius impudenter resistere, omnia pro libidine sua moderari, vt Deum harum rerum gerendarum eis potestatem fecisse sciamus; qui cùm facilè eos delere,atque perdere posset, vires eis contra se subministrat: non quòd vitijs, & sceleribus faueat, aut sibi contrarius sit; sed exquisito, & immenso consilio suo hæc eos conari, & moliri patitur. Ex quo optimè intelligitur illud Exodi; Ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa,& ostenta mea in Aegypto, id est, ego cor Pharaonis robborabo, forteque ad mihi resistendum reddam, egoque ei potestatem, & vires ad mihi repugnandum concedā: iniquus tamen eius animus non Deo, sed ipsi Pharaoni debet ascribi. Sed illud considerare oportet, quod sequitur; Et multiplicabo signa. id est, hac vi, quam illi præbeant; non ipse, sed ego illustris, & gloriosus euadam, qui hostem potentissimum superaui. Ita omnis regum immanium potentia, rectè computata ratione, in Dei laudem, & gloriam reducitur. Sic ipse apud Esaiam Nabuchodonosor irridet, & in illo eos omnes, qui sibi vires suas, & potentiam arrogant, resq; suo consilio prosperè euenire putant, dicens; In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprędatus sum, &c. Nũquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra cõtra

Vires Deus nonnunquã sceleratis contra se subministrat.

Exod. 7. a.

Exodi locus declaratur.

Regum immanium potentia in Dei laudem reducitur.

Esai. 10. c.

eum, à quo trahitur? quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est. Locus est apertissimus ad hac nos doctrina imbuendos: eiusque nunc imago, atque figura vati nostro reprę sentatur: cùm ei omnem incertæ nobis fortunæ varietatem, atque vicissitudinem describit; quæ tota quatuor regnis amplissimis comprehenditur. Sicut etiam nonnulli describẽtes his temporibus orbem, in quatuor eum partes diuidunt. His etiam quatuor partibus distincta erat illa seculi perituri statua, atque figura Danieli proposita: eademque partitio, atq; descriptio Danieli in figura quatuor bestiarum capitulo. 7. ostensa est, ait igitur propheta.

Fortunæ varietas quatuor regnis amplissimis comprehenditur.

Dan. 2. c.

Dan. 7.

Et conuersus sum, & leuaui oculos meos. Id est, rursus leuans oculos meos vidi, *Et ecce quatuor quadrigæ.* Quæ quatuor quadrigæ ex sententia Hieronymi, & omnium ferè Latinorũ & Hebræorum interpretum, quatuor imperia, quæ rerum potitura erant, significãt. Robertus Abbas aliter interpretatur; sed eius interpretatio mihi certè non probatur, quare communem sequamur. Quadrigis autem hæc quatuor regna significantur; quoniã bello, & armis tantam potestatem sunt adepti: quadrigis enim olim in prælijs frequenter vtebantur. Ex quo fit, vt sæpe in scriptura cùm bellicus apparatus narratur, earum mentio fiat. Ita Naum describẽs exercitum Chaldæorum ad Niniuem oppugnãdam; Vox flagelli (ait) vox impetus rotę, & equi fremẽtis, & quadrigę feruẽtis, & equitis ascẽdentis. At Christus vt triũphum suũ celebraret, non quadrigis, nõ equo, sed asina vehebatur, animali ad dimicandũ ineptissimo: vt ostenderet,

Cur quatuor quadrigæ quatuor regna significentur.

Naum. 3. c.

Cur Christus asina vectus triumphum celebrauerit.

deret, regnū suum lōgè ab alijs huius seculi imperijs discrepare. Nā reliqui sanguinarij, & cruentissimi esse solent; imperium autem Christi mitissimum, & æquissimum fuit: reliqui reges bellum inferendo prouincias, atque nationes domuerunt; Christus verò pacem omnibus afferendo tot regna sibi subiecit: reliqui incommodis afficiendo inuitos sibi obedire cogunt; Christus autem cōmoda multa, & emolumenta præstando; quæ optimè propheta noster declarat, dicens: Exulta satis filia Sion, iubila filia

Zach. 9. b. Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum ex Ierusalem, & dissipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus.

Et egrediebātur de medio duorum montium: & montes, montes æræi. Hoc, vt placet Hieronymo, & cuidam Hebræo, & Vatablo, dicitur ad significādum horum imperiorum potentiam, atq; robur, quòd vndique muniti insuperabiles viderentur. Qui mōtes æræi dicuntur, vt intelligatur, eos acerbos, duros, indomitos futuros, animi impotes, qui nec ad humanitatem, nec ad æquitatem flecti possint. Sic Ieremias. 6. c. dicit; Ambulantes fraudulenter, vt æs, & ferrū, id est, impudentissimi, & effrenes sunt: at Christus, propter eius comitatem, & humanitatem eximiam, non inter montes æreos, (vt dicitur in Cant.) sed inter lilia pascitur, & similis esto dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Betel. Super mōtes Christus ambulat, nō inter montes: amat lucē, palàm loquitur, omnibus se aspectandū proponit, nihil per fraudē, per insidias gerit. Præparatus mons domus domini in vertice montium: & eleuabitur super colles, dicit de Christo Esaias. Contrà isti immanes reges vmbram sequuntur, tenebras quærunt, ex insidijs adoriuntur, fraudē, atque dolo alios debilitant, atque frangūt: quorum denique (vt ait Esaias) sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videbit nos, & quis nouit nos?

Cur è mōtibus æreis egredi quadrigæ dicantur.

Iere. 6. c.

Cur Christus inter lilia pasci, & super montes ambulare dicatur.

Cant. 4.

Esai. 2. a.

Esai. 29. d.

a. *Et in quadriga prima equi rufi.* Valde notādum est, quod nulla hominum hic mentio fit, qui has agerent quadrigas, sed tantùm ab equis trahi; pòtiùs enim Reges isti ferinò potiùs ac belluino, quàm humano, ac rationali impetu agebantur, omnia humanitatis iura violātes: quidquid poterant rapientes, alios vita, & bonis omnibus spoliantes, vrbes frequentissimas, atque adeò regna florentissima flamma, atque ferro vastantes, ac denique faciliùs stellas cœli numeretis, quàm eorum rapinas, cædes, & incēdia narrabitis. Et hac de causa apud Danielem bestijs atrocissimis confeŕuntur. Erant igitur in quadriga prima, equi rufi, hispanè *alazanes.* Hæc quadriga repræsentat imperiū Chaldæorum, sicut apud Danielem significatur capite aureo. Color enim fuluus in equis, imitatur auri colorem; quo colore propter summum huius imperij splendorem significari dicit Daniel. Vel si verbū hoc ad fontem Hebræū referamus, in quo est אֲדֻמִּים *adumim*, rubri, quia se multorum hominum ocisione cruentauit. Bello enim superauit regem magnum Assyriorum, vastauit Niniuem ciuitatem vastissimam, Ierusalem diripuit, & exinaniuit; AEgyptum excidit, innumerabiles deniq; nationes, atque prouincias ferro, ac viribus ab eo debilitatæ,

Cur quadriga ab equis tantùm trahi dicantur.

Dan. 7. c.

Quadriga prima quod Imperium representet.

Dan. 2. e.

tatæ, fractæque sunt: adeò vt ei dixerit Daniel: Omnia in quibus habitāt filij hominum, & bestiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa cōstituit.

Dan.2.f.

Quadriga secunda quod imperium repræsentarit.

In quadriga secunda equi nigri. Hi repręsentabāt imperium Persarū: nam licet non tantam cædem in Ecclesia fecisse legantur, grauissimi tamen luctus, atque tristitiæ causa fuerunt; cuius symbolum est niger color. Nam primùm rex Assuerus edixit, vt omnes Iudæi in vniuerso regno suo ad vnum vno die interficerentur: quod dubium non est, quin summum metum, & acerbissimum dolorem vniuersis Iudæis attulerit. Edicto etiam impediuit, quò minùs vrbis, & templi ædificium vltrà progrederetur: & ob eam rem vrso, ferocissimæ & tristissimæ bestiæ confertur, apud Danielem.

Persæ grauissimi luctus causam Ecclesiæ attulerunt.

Cur Persæ vrso conferantur.

Dan.7.

Quadriga tertia quod imperium repræsentarit.

3 *In quadriga tertia equi albi.* Significat Alexandri imperium, qui mitissimus erga Iudæos in historia scholastica fuisse traditur, magnamq; aduersus Pontificem Maximum reuerentiā exhibuisse. *In quadriga quarta equi varij.* Hispanè *remendados o sordillos,* & fortes, quod indicat imperiū Romanorum. *Varij,* propter varia Imperatorum ingenia: alij mites in Ecclesiam Dei fuerunt, vt Augustus Cæsar Tyberius, Titus, Constātinus, Theodosius: alij truces, & immanes, vt Caligula, Nero, Diocletianus, & Maximianus. *Fortes* verò dicit: fuit enim omnium potentissimum Romanorum imperium: nam & longè diutiùs cæteris durauit, & plures, & maiores sibi victorias peperit. De hoc enim Imperio, quod quarta bestia apud Danielem significabatur, ipse dicit. Et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedensque atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.

Quadriga quarta quod imperium repræsentarit.

Romanorum imperium fuit omnium potentissimum.

Dan.7.

4 *Et respondi, & dixi ad Angelum qui loquebatur in me.*

5 *Quid sunt hæc Domine mi? Et respondit Angelus, & ait ad me. Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur vt stent coram dominatore omnis terræ.* Ex eo quòd Angelus has quatuor quadrigas, quatuor ventos appellet, facilè intelligitur, quatuor illa esse regna, quę à nobis explicata sunt. Nam Danielis 7. capite, quatuor venti, hæc quatuor regna nominātur. ait enim. Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabāt in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. & postea eodem capite Angelum sibi dixisse narrat; Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Vt igitur illi quatuor venti, illas quatuor attulerūt bestias; ita & has quatuor quadrigas: & vt illæ bestiæ, quatuor (Angelo interprete) significārunt imperia; eadem & has quatuor quadrigas significare existimandum est. Pulchrè autem quatuor hæc regna quatuor ventis conferuntur. Nam sicut licet ab infinitis mundi angulis infiniti perflent venti; omnes tamen ad illos quatuor reuocantur; Septentrionem, Austrum, Subsolanum, & Zephyrum; qui à principalibus mundi angulis perflāt: ita quamuis infinita propè fuerint in orbe terrarum Regna; omnia tamen ad hæc quatuor principalissima reuocantur. Et vt hi venti inter se pugnare solent, ingentesque in mari vasto excitare procellas: ita hi Reges inter se ingentibus copijs conflixēre, & vniuersum

Dan.7.

Cur quatuor venti quatuor regna comparentur.

uersum terrarum orbem bellis conturbarũt. Et vt venti tanta vi flare solent, vt arbores conuellant, tecta diruant, ac magnum terrorem inijciãt, sed citò sedãtur: sic & hęc regna q uã uis potentissima initio visa sunt, vi quasi insuperabili orbem premere, citò tamen remiserunt spiritus, & sedarunt arrogantiam. Quòd si omnes huius seculi opes, diuitiæ, & honores ventis conferuntur, qui citò de manibus effluunt, quid (malum) tanto studio illa cõparare, & acquirere molimur, atque adeò omnem curam, cogitationem in his rebus collocamus? Nonnè stultus videretur is, qui vẽtos tenere conaretur? extremæ etiam dementiæ est his rebus fluxis, fugacibus, & caducis studere. Ita Sapiens ait Ecclesiastes: Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum? & Iob ait: Memento mei Domine quia vẽtus est vita mea. Charitas verò erga Deum, & proximos, est altissimis defixa radicibus, quam nulli fortunæ flatus, nulla tempestas, nec mors denique ipsa conuellet: reliquæ res omnes seculi huius incertæ sunt, fragiles, atque mobiles. Quod verò dicit propheta, hos ventos egredi,

Quã sit stultũ solicitè bona seculi bona querere.

Eccl. 5. d.

Iob. 7. b.

Vt stẽt coram dominatore omnis terræ. Illud significat, quod huius visionis initio diximus, à Deo huiusmodi regna accepisse, de qua gloriabantur, potestatem. Illud verò hoc loco non prætermittam, quod ex hac visione, & ex locis à Daniele citatis, mihi vehementer persuadeo, instare iam huius seculi caduci finem: siquidem totum hoc seculũ his visionibus comprehensum esse puto, quatuorq; his partibus ita contineri, vt nullum imperium cum his comparandum reliquum sit; quòd cùm hæc imperia ferè iam effluxisse cernamus, opinor hoc mortale seculum iamiam delabi, & prope interitum esse.

Instare videtur iam seculi caduci finis.

6 *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & Varij egressi sunt ad terrã Austri.* Nihil de rufis equis dicit, quòd imperium Chaldæorũ significabant, quod iam fuerat elapsum cùm hoc vaticinium editum fuit. Auster autem, & Aquilo, Oriens, & Occidens ex relatione ad terrã sanctam in scritura sacra ponuntur. Equi nigri, vt diximus, imperium indicãt Persarum, qui inuaserũt Babylonios, eosq; subegerunt. Babylonia verò Palestinæ relata, vergit ad Aquilonẽ: Persia verò ad Orientẽ; Media autẽ ad Austrum. Hanc autem aduersus Babylonios expeditionem suscepit Darius Medus, & Cyrus Persa, filius sororis Darij Medi. *Et albi egressi sunt post eos.* Diximus albos repręsentare Græcos. Alexander enim Græcus bellum aduersus Persas, ac Medos, qui imperium obtinebant, iniuit, & tribus prælijs Dario rege victo, atque fuso, imperij potitus fuit. *Et Varij egressi sunt ad terrã Austri.* Varij sustinent (vt exposuimus) personam Romanorum, qui rerum potiti sunt. Quos ob eam rem ad Austrum egressos fuisse dici nonnulli exponunt, quòd Cæsar superato Pompeio, statim est AEgyptum aggresus, quæ ad Austrum vergit terræ sanctæ.

7 *Qui autem erant robustissimi, exierũt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram, Et dixit, Ite, & perambulate terram, & perambulauerunt terram.* Id est, Romani, qui robustissimis equis significabantur, moliebantur vni-

vniuersam terrã debellare, omnesq; nationes in potestatem redigere. Magna enim fuit Romanorum potētia, vehementer suum dilatàrunt imperium; ita vt ferè totam Europam, & omnem Africæ partem, quæ tum nota erat, & Traiani temporibus omnem ferè Asiam domuerunt, sic vt neminem iam Traianus in ea inueniret, qui ei bello resisteret. Et ob eam rem dicit.

Insatiabilem esse dominandi cupiditatem.

Quærebant ire, & discurrere per vniuersam terram. Insatiabilis enim est dominandi cupiditas, neque vllis terminis acquiescit. Alexander magnus optabat mundos esse infinitos, vt censebat Democritus, quò sibi vniuersos bello pareret. Recte ergo illud est ab Isocrate in oratione de pace dictum: Potestatem intractabilem esse rem, nec fieri posse, vt qui eius cupiditate teneantur, ab statu mentis non discedant: vt idem sit imperij, ac potestatis, quod meretriculárum ingenium; quæ sui amatores perdunt: altèque huius rei narratione petita, probat eos, qui maioribus imperijs valuērūt, in maiores calamitates incurrisse. quod vel ex vno Dauide intelligi licet, qui tum vrbe à filio Absalone pulsus est, & extremum propè vitæ periculum subijt, cùm omnes ferè nationes circunuicinas vsque ad Eufratem subegisset. Alexander Magnus simul ac orbis imperium est consecutus, cùm è tantis se bellis Babyloniæ recrearet, à socijs est veneno necatus. Iulius Cæsar rerum dominus ab ijs interfectus est, quibus beneficia tribuerat. Roma denique ipsa, orbis Regina, quæ tandem mala non est perpessa? possem etiam tyrannos potentissimos commemorare, alios à parentibus, alios à liberis, alios ab vxoribus, alios à fratribus interfectos. Quare sapientiùs ille facit, qui parta tueri, & optimè potiùs administrare, quàm finitimos aggredi, & bello tentare studet.

Isocrates.

Christus dominandi cupiditatem ab Ecclesiæ præpositis alienã esse voluit. Luc. 22. c.

Christusque suam ita instituit Ecclesiam, vt hãc dominandi cupiditatem valde alienam esse vellet ab eis, qui ei præessent: & ob hanc causam dixit Apostolis; Principes gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent inter eos benefici vocantur: vos autem non sic: sed qui maior est inter vos, fiat sicut minor. Quod verò dicit vates Deum dixisse. *Ite.* Ad illud pertinet, quòd superiùs à nobis dictum est; omnem potestatem (teste Paulo) à Deo esse: neque posse quemquam ditionem, & imperium adipisci, aut vllo pacto dilatare, nisi Deo facultatem, vel licentiam potiùs concedente. Valde tamen timendum est ne, dominari optantes, hanc à Deo licentiam impetremus: nam incommodo nõnunquam nostro nobis conceditur. Ex quo factum est, vt mater filiorum Zebedæi filijs suis altissimum dignitatis gradum petens, non eum fuerit adepta: Romani autem imperium orbis postulantes, facilimè (vt noster narrat propheta) id à Deo sunt consecuti. Nam illa dicendi ratione. *Ite.* maxima, & expedita significatur facilitas: nihil enim est tergiuersatus, nihil excusauit; sed dixit, ite. Illud etiam hoc loco notandum, quàm parui Deus hanc seculi potentiam, & opes eius faciat, cùm tam copiosè eam iniquis, & idololatris distribuat, & tanquam sordes canibus dilaniandas, & suibus conculcandas proijciat. Quare indignæ sunt, quæ tanto ab hominibus studio expetantur: præsertim quòd Sapiens ait Ecclesiastes, Interdum domina

Valde timendum est ne dominari optãtes à Deo licẽtiam impetremus.

Quam parui Deus seculi potentiam faciat.

Indigna sunt seculi opes quæ tanto studio expetantur. Eccle. 8.

minatur homo homini in malum.
8 *Et vocauit me, & loquutus est ad me, dicens, Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.* Hominis irati affectum exprimit, qui vehementer acquiescit in hostis vltione. Quia verò per Medos, qui terram Aquilonis, id est, in Chaldæos (vt exposuimus) aggreßi sunt, iniurias, quas Chaldæi fecerunt Iudæis, vltus est Deus: ideo dicit: *Requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.* Secũdũ illud
Esal. 1. f. Esaiæ: Consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.
9 *Et factum est verbum Domini ad me, dicens.*
10 *Sume à transmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & venies tu in die illa, & intrabis in domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.*
11 *Et sumes aurum & argentum, & facies coronas: & pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni.* Disseruit de regnis in orbe terrarum futuris: iam ad regnum Iudæ orationem conuertit, quod erigendum, & stabiliẽdum vaticinatur. Quod quidem optimè cũ superiori capitis parte cohæret: nam vltimo loco tetigit excisionem regni Chaldæorum, qui Iudæos vastârunt, ac regno spoliárunt, cùm dixit (vt exposuimus) per Medos eos Deum fuisse vltum: aptè ergo bonorum restitutio cõnectitur cum inimicorum suorum interitu. Magnum enim beneficium, ingens amoris significatio est, quòd Deus ira aduersus hostes nostros commoueatur, quòd non sedetur, quoùsque mala, quæ pertulimus vlciscatur: quòd ipse beneficij loco

Magna amoris significatio est, quod Deus aduersus hostes nostros commoueatur.

Exod. 23. e. promittit, dicens. Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Sed tum ab eo cumulatè beneficium præstatur, cùm postquam vltus sit iustorum inimicos, iustos ipsos in integrũ restituit. Et in hoc discrimen, ac differentia magna est inter iustorum, & improborum calamitates: quòd iusti, licet sæpè malis mersi videantur, emergunt tamen: improbi verò ita obruuntur, vt nunquam appareant; bonorum inimici puniuntur, & boni reparantur: at licet in improborum inimicos Deus etiam animaduertat, ipsi improbi non instaurantur. Fregit Deus Chaldæos, aduersus Iudæos infestos, & ipsos Iudæos in libertatẽ asseruit, multisque beneficijs auxit. idem & Ecclesiæ, & eius hostibus frequenter accidit: at Medos, Chaldæorum hostes, supplicio etiam digno constrinxit, ipsos tamen Chaldæos non restituit. idem & Græcis, Medorum euersoribus, contigit: nunquam tamen è malis Medi emerserũt. idem & alijs iniquis hominibus accidit. Quòd luculẽter tractatur apud Iob, Iob. 8. licet valde obscurè: comparat enim consilia, spes, & conatus impiorum cum telis aranearum, quibus si quis innitatur, ita conscinduntur, vt resarciri non poßint: at iustos plantę insito, & naturali humore præditæ, quæ licet è loco suo conuellatur, ita vt nẽque vllum eius vestigium relinquatur, in alium locum translata rursus vberius germinat, & firmas radices agit. ait ergo Baldad: Non ei placebit vęcordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius. Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget. hæc de impio: de pio verò sic ait; Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non noui te, id est, si hoc pacto ab agricola conuellatur, vt ipse locus in quo erat, negans talem vidisse plantam, dicat,

Quid differat inter iustorum, & improborum calamitates.

Iob locus explicatur.

dicat, non nouit te, hoc est, funditùs euellatur. Hæc est lætitia viæ eius, vt rursum de terra alij germinentur, id est, non solùm planta minimè molestè feret se esse conuulsam, sed etiam lætabitur, quòd rursus in alium translata locum, alios ramos, ac radices germinabit. Sequiturq; statim, Deus non proijciet simplicem, neque porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. Qui oderunt te, induentur confusione, & tabernaculum impiorum non subsistet. & ita intelligitur illud

Prou.14.b. Prouerbiorũ locus explicatur.

Prouerb. Septies in die cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malũ; id est sæpè iusti in calamitates incurrent, at liberabuntur: impij autē obruentur calamitate. Id ergo Deus significat cùm post excisionem Chaldæorũ Prophetæ coronas facere præcipit, quòd regnum, & sacerdotium restituendum erat; quæ accidisse ita

Lament.5.d.

Ieremias lamentabatur. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri. quare fieri coronæ præcipiuntur, quòd Deus luctum, & tristitiam è populo tollere, & gaudium, ac cōsolationem afferre decreuerat. Nam olim portabantur coronæ ad lætitiam etiam significandam: siquidem Esaias de restitutione populi verba faciens, ita loquitur; Gau-

Esai.61.

dens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, indumento iustitiæ circundabit me, & quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic dominus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus. Quo loco ad illam plantæ comparationem alludere videtur, quam ex dictis libri Iob proximè explicauimus. Quòd verò huiusmodi coronæ conflari iubentur ex auro, & argento, à viris illis ex captiuitate reductis petito, fabricarique in domo Iosiæ, declarat officijs, & pietate iustorum, Rempub. stabiliri, regnum erigi, ac in populo lætitiam oriri. Ita in

Officia iustorum magnũ Reipub. commodũ afferũt.

Exodo narratur, Deo præcipiente tabernaculum, ac omnia vasa, & instrumenta, vniuersa denique eius supellex ex donis populi esse facta.

Exod.28.

Hinc illud est quod Esaias de Ierusalem pietatis officia præstante; & in integrum restituta differens ait; Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà derelicta: & terra tua non vocabitur ampliùs desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea. id est, in qua Dei voluntas præstatur, ac fit: & ob eam rem eris corona gloriæ, & diadema regni.

Esai.62.a.

Rectè autem ex argento, & auro coronæ fieri iubentur: siquidem argentum sacra doctrina in literis sacrosanctis appellatur. ait enim Dauid; Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, purgatum terræ, purgatũ septuplum. Sacra enim doctrina christianæ, veræque pietatis officia docet credentes, quæ antea falsis, & iniquis scribarum præceptis, flagitiosoque populi vsu inquinata, atque corrupta erat. quod Esaias acriter reprehendit dicens, Argentum tuum versum est in scoriam: quod literaliter, & historicè de vera doctrina dicitur. Vt ergo significaretur argentum, id est, sacra doctrina esse præteritarum calami-

Psal.11.b.

Esai.1.c. Esaiæ locus declaratur.

calamitatum, & ærumnarum igni repurgata, populumque iniquas abiecisse rationes viuendi; coronæ ex argento fieri præcipiuntur. quam purgationem adhibendam Deus per Esaiam recepit dicens; Et conuertam manum meam ad te: & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, & constituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, &c. quę aliqua ex parte nostri prophetæ temporibus expleta sunt; sed perfectè per Christum: & ob eam rem hæ coronæ imprimis Christo fabricantur, vt mox dicemus. Sed septuaginta locum positum ita vertunt λάβε τὰ ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας παρὰ τῶν ἀρχόντων καὶ παρὰ τῶν χρησίμων αὐτῆς, καὶ παρὰ τῶν ἐπεγνωκότων αὐτήν. Id est, sume ex captiuitate à principibus, & ab vtilibus eius, & à cognoscentibus eam. quod nihil aliud est, quàm nomina virorum, à quibus aurum, & argentum sumendum erat, Græcè interpretari: quemadmodũ & Petrus, & Græcè, & Latinè dicitur; cùm Hebraicè Cephas à Christo fuerit appellatus. Nominum autem interpretatio maximè illustrat eam causam, quam adhibuimus, cur ex argento, atque auro ab his accepto coronæ confectæ fuerint. Principes enim, & vtiles, ac cognoscentes in populo aurum, & argentum, id est, virtutis munera præstant, quibus populus corona fit (vt ait Esaias) in manu Domini.

Esai. 1.

Et pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni. Hebræi volunt harum coronarum vnam tantùm impositam fuisse Iesu: alteram verò Zorobabel, qui princeps tum populi habebatur. & ita interpretantur illud, quod paulò infrà scribitur; Et ipse portabit gloriam, id est, ipse Zorobabel portabit coronam. quæ declaratio non displicet Hieronymo in huius prophetę commentarijs: sed mihi multò magis probatur Vatabli, & Lirani expositio, qui vtramque coronam filio Iosedec impositam fuisse declarant: nam nulla hoc capite Zorobabelis mentio fit. Quod enim Hebræi existimant Orientem Zorobabel hic appellari, vt huius prophetæ capite tertio; sicut nos illo capite huiusmodi opinionem respuimus, ita & hic respuemus. Cùm verò exponunt, portabit gloriam, id est, portabit coronam; probare deberent ex alio sacræ scripturæ loco, nomen הוד *hod*, quod ibi ponitur, aliquando coronam significasse; sed cum istiusmodi significationis vestigium nullibi reperiatur, ficta, & ad tempus accommodata existimanda est: præsertim quod ex versione septuaginta vna tantùm corona facta fuisse intelligitur. Nam vertunt illi illud; Facies coronas, ποιήσεις στεφάνους, rursus quod statim sequitur;

Vtramque coronam fuisse impositam filio Iosedec.

Et coronæ erunt Helem, &c. Reddũt septuaginta ὁ δὲ στέφανος ἔσται. quare versio septuaginta non tam facilis, & expedita erit ijs, qui hanc probant sententiam: nobis autem non est difficilis; quoniam ob eam rem vnam coronam vertisse dicemus, quòd vni capiti ambæ fuerint impositæ, & vnius hominis potestatem, ac principatum significabant. Igitur has duas coronas Iesu impositas fuisse dicamus, ad significandum, cum regno sacerdotium deinceps copulandum esse, vnique personæ vtrumque attribuendum; quod ita factum fuisse videmus. Nam post captiuitatem Babylonicam ijdem Reges, qui Sacerdotes fuerunt. Non disputo

Cur duæ coronæ impositæ fuerint Iesu.

Post captiuitatem Babylonicã ijdem reges qui sacerdotes fuerunt.

H vtrùm

verùm Zorobabel regnum gessérit: vt enim gesserit, satis est ad hoc probandum, quod qui deinceps fuére consecuti Reges, & Sacerdotes fuerunt. Quod probatur ex historia Iudit, in qua nulla Regis, sed tantùm sacerdotis magni mentio fit. Ex libro item Machabæorum, præsertim ex libro secundo, in quo nulla regni, vel leuis mentio est; sed magna sacerdotij contentio, ambitio, atque petitio fuisse narratur. Ex historia item Iustini historici in principio libri trigesimisexti, quo dicit, semper Iudæos eosdem & Reges, & Sacerdotes habuisse: quod ad tempus post captiuitatem conuenit, quo tempore & ipse Iustinus historiam composuit: nam ante captiuitatem ex sacris literis falsissimum esse probabitur. Vt igitur id futurum significaretur, vtramque coronam Iesu sacerdoti imponere iussum est prophetæ. Sed ob eam rem imprimis factum esse duco, vt Christum Iesum seruatorem nostrum, cuius personam, & imaginem Iesus filius Iosedech sustinebat, & Regem, & Sacerdotem futurum esse Deus indicaret: idque ex eis mandatis facilè cognoscitur, quæ vati ad Iesum data sunt, cùm has ei coronas iuberetur deferre. Sequitur enim.

Christum Regem & sacerdotem futurum esse propheta vaticinatur.

12 *Et loquêris ad eum, dicens; Hæc ait Dominus exercituum, dicens, Ecce vir Oriens nomen eius: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino.* Semper propheta à minoribus bonis profectus ad maiora progreditur; à Ierusalem materiali, ad spiritualem, à bonis terrenis, atque caducis, ad cœlestia, atque perpetua: ita hoc loco à Rege, sacerdoteque perituro, ad Regem, Sacerdotemque æternum. Sollicitè erant Hierosolymitani de regno, sacerdotioque suo tuendo, ac conseruando, quibus vt Deus spem subministret, prophetæ iubet, vt Regni, & Sacerdotij coronas imponat capiti filij Iosedec: quo certam faciebat spem, eos vel inuitis hostibus sacerdotem suum, regemque habituros. Nec eo beneficio Deus benignus, atque misericors contentus est, sed eis verbis propositis, Regem, & Sacerdotem æternum, & homine maiorem preterea pollicetur. Non enim mihi persuadeo hæc verba ad Zorobabel conuenire, vt omnes propè Hebræi affirmant, quibus etiam assentitur Hieronymus, & nonnulli alij christiani interpretes: sed vt illa, quæ dicta sunt capite tertio eiusdem prophetæ, in Christum tantummodò cadere diximus: ita & quæ modò dicuntur. Nam perpetua oratione statim narrantur huius Orientis attributa, in quibus ponitur eum futurum sacerdotem. Cùm dicitur præter alia;

Zacharias à minoribus bonis ad maiora progreditur.

Regē Deus, & Sacerdotem pollicetur æternum.

Zach. 3. Non cadunt in Zorobabel quæ ei attribuunt Hebræi.

Et erit sacerdos super solio suo. At Zorobabel nec fuit, neque esse poterat sacerdos: erat enim ortus ex tribu Iuda: at sacerdotes non solùm ex tribu Leui, sed etiam ex genere Aaron nasci oportebat. quare ad illum non pertinent, quæ de Oriente dicuntur. Chaldæus præterea interpres magnæ autoritatis vir, hæc omnia attribuit non Zorobabeli, sed Messiæ. Oriens etiam Christus à Zacharia vocatur, patre, inquam, Baptistæ, apud Lucam ca. 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto: quo loco ad prophetam nostrũ eum sic nominando Zacharias alludere videtur. Vnde non dubito quin ista de Christo dicatur. Quare autem vocetur

Oriens Christus vocatur.

vocetur Christus Oriens, siue germen: nam vtrumque verbum Hebræum (vt diximus significat) exposuimus cap. 3. cum de Oriente etiam ageremus.

Zach. 3.

Et subter eum orietur. Hebraicè clariùs hoc dicitur, & subter se orietur, vel germinabit, id est, nullis humanis subsidijs nixus suum propagabit imperium: aut ipse per se, vique sua tantum honorem adipiscetur. quare nullus in suæ se gloriæ societatem admiscebit, nihil mundus, nullam partem humana vis ex tanta rerum, quas geret, magnitudine sibi vnquam vendicabit. & ita de Christo dicitur apud Lucam. Proficiebat ætate, & sapientia apud Deum, & homines, cùm nullos sibi literarum magistros vnquam adiunxisset, illumque (vt Marcus testatur) admirabantur omnes dicentes, Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur?

Christus nullis humanis subsidijs nixus suum propagabit imperium.

Luc. 2.

Marc. 6. a.

Et ædificabit templum Domino. Id est, Ecclesiam, quæ est credentium concio, stabiliet, in qua verus Deus adoratur, & colitur. Et sicut Deus in illo templo à Solomone, & Zorobabel postea ædificato, responsa dabat quasi sedens inter Cherubim (vt ait Dauid) qui propitiatorio, quod erat quasi sedes Dei, adhærebant: ita huic Ecclesiæ, & fidelium congregationi cùm præsideat, ei legitimè in concilijs congregatæ responsa dat. De hac enim Ecclesia Paulus loquens dicit; Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Locus autem, quem citat hæc dicens Paulus, sumptus est ex Leuitico. Sequitur in Propheta.

Templū à Salomone, & à Zorobabel constructum representans Ecclesiā.

2. Cor. 6. d.

Leuit. 26. b

13 *Et ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo.* Magnam, & solidam gloriam Christus consecutus est, propter res suas clarissimè gestas, & à Deo, & ab omnibus hominibus. ita Dauid ait; Gloria, & honore coronasti eum; quod de Christo, propter passionem mortis gloria, & honore coronato Paulus interpretatur in Epistola ad Hebræos; & ad Philippenses scribens ait; Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Sed in Hebræo est nomen הוד *hod*, quod varijs modis à Diuo Hieronymo atque Vulgato nostro, & à septuaginta redditur: nunc gloriam, nunc honorem, nunc laudem, nunc confessionem, nunc speciem, nunc decorem. Hebræis etiam vox ambigua est: sed potentiam, & fortitudinem propriè mihi significare videtur: quæ significatio aptissimè ad omnia sacræ scripturæ loca conuenit, in quibus reperitur. & ita huius nostri prophetæ capitulo decimo, de Iudæ domo, id est de Ecclesia loquens, quam roborandam, & ad bellum confirmandam pollicetur, dicit; Et posuit eos quasi equum הודו *hodo*, id est, potentiæ, hoc est, quo suam vim, & potentiam ostentabit. & illud Psalmi. 104. Confessionem, & decorem induisti: clariùs interpretatur hoc pacto; potentiam, & decorem induisti, id est, potētiā habes cum decore magno coniunctam. Septuaginta quoq; hunc locū, quē in manibus habemus, ita transferunt, καὶ αὐτὸς λήψεται ἀρετήν.

Magnā Christus gloriam cōsecutus est & à Deo & ab hominibus propter res suas clarissimè gestas.

Psal. 8.

Heb. 2.

Philip. 2.

הוד quid propriè significet.

Zach. 10.

Psal. 104.

Id est, ipse suscipiet virtutem, atque potentiam. Quare rectè etiam hunc locum ita vertemus: Ipse portabit potentiam, id est, non solum templum, & Ecclesiam Christus ædificabit, sed magnam potentiam ad eam defendendam, & ad eius hostes debellãdos secum afferet: quod Virgo sanctissima in Cantico suo exposuit dicens; Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Brachium Dei, Christus est, qui est verbum patris, per quod (vt Ioannes testatur) omnia facta sunt. Ex quo fit, vt brachium Dei Esaias Christum etiam appellet dicens; Domine, quis credit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Sed operæpretium est intelligere, qualis, cuiusque modi ea potentia sit, quam Christus portauit, vt noster dicit propheta: in quo summam Dei sapientiam, quæ suauiter omnia disponit, aptissimeque coniungit, admirabimur. Sicut enim Deus pater verbo suam expressit, & declarauit potentiam, verbo omnia faciendo: ita & verbum ipsum Deus filius verbo suo, suam etiam aperuit, & explicauit potentiam. Nam quibus armis, quibus auxilijs, quibus denique viribus Christus Ecclesiam stabiliuit, mundum subegit, & tot aduersarios in potestatem redegit, nisi doctrina, & Euangelio suo? quod Paulus docet, dicens; Non erubesco Euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti. & Dauid in Psalmo quadragesimoquarto, vires Messiæ describens luculenter exponit dicens; Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime, specie tua, &c. in Hebræo est nomen הוד *hod*, de quo hic

Christus magna vi Ecclesiam defendit.

Brachiũ Dei Christus.

Ioan. 1. a.

Esai. 53. a.

Qualis cuiusq; modi Christi potentia fuerit.

Vt pater verbo, ita Christus filius Dei verbo suam aperuit potẽtiã.

Rom. 1.

Psal. 44. a.

loquimur, id est, potentia tua. quasi dicat, accingere gladio tuo appositiuè, qui est potentia tua; qui gladius cuiusmodi sit, declarans addit: Intende prosperè, procede, & regna, in Hebræo est צְלַח רְכַב עַל־דְּבַר אֱמֶת וְעַנְוָה צֶדֶק *zelah recab hal debar emet vehanua zedec*, quod verbum de verbo conuertentes ita vertemus: prospere age, ascende super verbum veritatis, & mansuetudinis iustitiæ. quem locum ita ferè reddit Hieronymus in Psalmis. Potẽtia ergo Christi est verbum veritatis, mansuetudinis, iustitiæ, quod eius Euangelium est, docens veritatem, ac mansuetudinem cum iustitia coniũctam: hac Dei potentia, vniuersum Ecclesiæ robur, & præsidium continetur. quamobrem vehementer eam optabat Esaias dicens; Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Ex quo intelligitur quanti facere Euangelium Christi, quantum amplexari, in manibus, & in delicijs habere debeamus; recteque de illo à Paulo dici; Virtus Dei est in salutem omni credenti. Et hac potentia (vt sequitur in Propheta.)

Sedebit, & dominabitur super folio suo. Id est, regnum sibi firmum, & stabile constituet. Id enim illa ratione dicendi, sedebit, significatur; & ita ei pater (vt Dauid testatur) dixit; Sede à dextris meis, id est, mecum securus perpetuò regna. & Angelus Virgini sanctissimæ prædixit; Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum.

Et erit sacerdos super folio suo. Christus etiam fuit sacerdos perpetuò duraturus, vt & Dauid testatur dicens; Tu es sacerdos in æternum secundum

Potẽtia Christi cum est Euangelium.

Esai. 51. a.

Rom. 1.

Quanti Euangelium facere debeamus.

Psal. 110.

Luc. 1.

Christum sacerdotẽ fuisse.

Psal. 110.

Christus se dupliciter patri obtulit.

dum ordinem Melchisedec. Qui seipsum dupliciter patri æterno obtulit pro hostia, primùm, secundum ordinem Melchisedech; quando sub specie panis, & vini seipsum in vltima cœna obtulit. qua ratione quotidiè offertur in Ecclesia: deinde semel se obtulit secundum ordinem, ac rationem, qua Aaron sacrificia facere consueuit; seipsum faciens hostiam pro peccato; quando se in ara Crucis crudelissima morte tradidit mactandum, vt Paulus ait; Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Hoc est, fecit vt esset hostia pro peccato. Sed quod in vulgato, & in Hebræo est; Erit sacerdos super solio suo; Septuaginta viri transferunt, Erit sacerdos à dextris eius ἱερεὺς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, vt sit more Hebræorum relatiuum pro antecedenti, id est, à dextris Dei: quod ad Ascensionem Christi in cœlum pertinet. Nam quemadmodum priscus sacerdos intrabat semel in anno in sancta sanctorum mactatis hircis: ita & Christus semel in cœlum ingressus est, vt Paulus ad Hebræos capite nono ait. Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum; sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta; ibique (vt Marcus ait) sedet à dextris virtutis Dei. & Paulus ad Hebræos capite octauo scribit. Talem habemus Pontificem; qui consedit in dextra sedis magnitudinis in cœlis.

2. Cor. 5. d.

Christus semel in cœlum ingressus est, vt priscus sacerdos semel in anno in sancta sanctorum.

Et consilium pacis erit inter illos duos. Quidam non malè interpretantur; nulla discordia erit inter Regem, & Sacerdotem: quoniam idem & Rex, & Sacerdos erit. Alij; Conciliabuntur inter se populus Iudaicus, atque Gentilicus, fietque ex eis duobus, vnus populus, pari, eodemque iure viuens. Non incommodè, vt ego censeo, ita etiam explicari potest; vt quia Christus dicitur sacerdos, cuius munus erat Deum placare, atque populo reconciliare, sicut Paulus ait; Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: dicat hoc loco Propheta; consilium pacis futurum inter Christum sacerdotem, ac Pontificem nostrum, & Deũ; quòd ipse Deum nobis pacatum, atque benignum præstiterit, & omnem eius iram in peccata nostra mitigauerit, pacem denique inter homines, Deumque fecerit; sicut dicit Esaias, Disciplina pacis nostræ super eum, vt illud perfectè expletum, ac redditum sit, quod Malachias de Aaron nomine Dei dicit; Pactum meũ fuit cum eo vitæ, & pacis.

Heb. 5.

Christus Dei iram mitigauit.

Esai. 53.

14 *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.* Hoc est; postquam huiusmodi coronas imposueris capiti Iesus, ad ea quæ dicta sunt significanda, eas deinde tolles, & in templo collocabis, vt memoriam eorum repræsentent, qui aurum, & argentum, & locum ad eas fabricandas præstiterunt. Sed nonnulla nomina mutata sunt eorum, quos antè nominauit: nam quem priùs appellauit Heldai, nunc vocat Helem; & quem antè appellauit Iosiã, in cuius domo coronæ sunt factæ, nũc vocat Hen. Ex hoc verò mandato facilè cognosci licet, quidquid obsequij, atque officij Deo præstamus, ad nos tandem redire, & ad gloriam, & dignitatem nostram manare. Modicó

Quidquid obsequij Deo præstamus, ad nos tandẽ redire.

hi homines auro, atque argento diuturnam, honorificamq; memoriam sibi pepererunt, & in templo Dei scribi, & aliquid sibi dicatum habere meruerunt. Ita Apostolis, qui se totos Christo deuouerunt, ipse dicit, nomina sua in cœlis scripta esse. Quare fœnori magno se dare putent omnes, qui Deo aliquid præstant.

Matt. 5. Fænori dat qui Deo aliquid præstat.

15 *Et qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo Domini.* Id est, gentiles, qui valde alienati à Deo multùm aberant, vt ponerentur in populo Dei, venerunt non solùm ad habitandum in Ecclesia, sed etiam ad illam ædificandam. Multi enim gentiles fidem, & religionem nostram profitentes, nimis eam doctrina, & prædicatione sua illustrârunt, vt Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Ambrosius, Chrisostomus, Basilius, & alij præclari sanctæ Ecclesiæ Doctores, atque magistri, qui Ecclesiam vehementer verbo, & scriptis iuuarunt, cùm essent ex gentibus orti: quod Paulus clariùs dixit Ephesijs gentilibus scribés, Nunc autem (ait) in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè facti, estis propè in sanguine Christi: ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.

Gentiles venerunt nō solum ad habitandum in Ecclesia, sed etiam ad illam ædificandam.

Et scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Id est, cum hæc ita, vt dico, euenire videritis, scietis apertè me verum Dei fuisse prophetam: nō enim potuissem res tam longè distantes, tam procùl à nostra cognitione remotas, nisi numine diuino præsensisse.

Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri. Nonnihil difficultatis locus hic habere videtur: nā ea lege Christus venturus his verbis promitti videtur, dum Iudæi præcepta Dei tenerent, & eius iussis obtemperarent. Nunquid igitur ita est vt Christi aduentus ex Iudæorum, aut vllorum hominum pietate, ac bonitate pependerit? Sed simpliciter Abrahæ, Dauidi, atque vniuerso populo per prophetas Christus venturus promissus est. quare nulla conditione tam magnifica, ac liberalis promissio reuocari potuit: neque is, qui propter peccata delenda venerat, poterat peccatis, quò minùs veniret, detineri. Pro sua etiam immensa clementia, & benignitate nobis voluit subsidio venire. Quare tanta persistente bonitate, nihil nobis vlla, vel innumerabilia hominum peccata nocere, aut tanto nos subsidio disturbare poterant. Ego sum (ait ille per Esaiam) ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra, si quid habes, vt iustificeris. Quibus verbis manifestò Deus probare nititur, nullum bonum à nobis præstitum, nullum pactum, aut conditionem seruatam causam fuisse cur ipse fuerit è cœlo ad nos curandos elapsus: sed propter se tantùm venisse: quia sua infinita misericordia, tantum beneficium vt nobis daret, postulabat. Et hoc magis, quòd Iudæi, quibus hæc à vate nostro dicuntur, vocem Dei nōn audierunt, sed rebelles, & pertinaces fuerunt: & hac de causa Deus illos à populo suo reiecit. Nam pauci admodum Christo veniente, qui obedierunt ei, relicti sunt: tamen Deus venit, & seruauit mundum. Non igitur ea conditione dum Iudæi legem seruent, tanta mundus à Deo bona recepit. Sed intelligit noster propheta, tantorum bono-

Aduentus Christi ex nullius hominis bonitate pependit.

Esa. 43. d.

bonorum participes futuros, si Deo
audientes fuerint. Nemo enim, nisi
Dei præceptis, & iussis obediat, vllam
ex aduentu Christi vtilitatem perci-
piet: & hac lege, ac conditione intelli
gi oportet, quidquid boni Deus in
scripturis mundo se præstaturum re-
Ioan. 1. cipit. In propria venit, & sui eum non
receperunt; quotquot autem recepe
runt, dedit eis potestatem filios Dei
fieri. Ioa͂nes ait. Is autem recipit eum,
qui iussis eius paret.

CAPVT. VII.

A 1 *ET factum est in anno quarto*
Darij regis, factum est verbu͂
Domini ad Zachariam, in quarta
mensis noni, qui est Casleu.
2 *Et miserunt ad domum Dei Sa-*
rasar & Rogommelech, & viri qui
erant cum eo, ad deprecandam facie͂
Domini.
3 *Vt dicerent sacerdotibus domus*
Domini exercituum & prophetis, lo
quentes, Nunquid flendum est mi-
hi in quinto mense, vel sanctificare
me debeo, sicut iam feci multis an-
nis?
4 *Et factum est verbum Domini*
exercituum ad me, dicens,
5 *Loquere ad omnem populum ter-*
B *ræ: & ad sacerdotes, dicens, Cum ie-*
iunaretis, & plangeretis in quinto &
septimo per hos septuaginta annos:
nunquid ieiunium ieiunastis mihi?
6 *Et cùm comedistis & bibistis: nu͂*
quid non vobis comedistis, & vobis-
metipsis bibistis?
7 *Nunquid non sunt verba, quæ lo-*
quutus est Dominus in manu prophe
tarum prioru͂, cùm adhuc Ierusalem
habitaretur, & esset opulenta, ipsa
& vrbes in circuitu eius, & ad Au-
strum, & in campestribus habita-
retur?
8 *Et factum est verbum Domini*
ad Zachariam, dicens,
9 *Hæc ait Dominus exercituum,*
dicens, Iudicium verum iudicate: &
misericordiam & miserationes faci- C
te vnusquisq; cum fratre suo.
10 *Et viduam, & pupillum, & ad-*
uenam, & pauperem nolite calumnia
ri: & malum vir fratri suo non cogi-
tet in corde suo.
11 *Et noluerunt attendere, & auer*
terunt scapulam recedentes: & au-
res suas aggrauauerunt, ne audirent.
12 *Et cor suu͂ posueru͂t vt adaman-*
tem, ne audirent legem & verba quæ
misit Deus exercituum in spiritu suo
per manum prophetarum priorum:
& facta est indignatio magna à Do- D
mino exercituum.
13 *Et factum est sicut locutus est,*
& non audierunt: sic clamabunt, &
non exaudiam, dicit Dominus exer-
cituum.
14 *Et dispersi eos per omnia regna*
quæ nesciunt: & terra desolata est ab
eis, eò quòd non esset transiens & re-
uertens: & posuerunt terram deside-
rabilem in desertum.

informandam maximè attinet, cùm reges, atq; truculentos tyrannos omnia iura diuina, & humana peruertere viderimus, alios homines fortunis spoliare, alios necare, alios exilio multare, ac deniq; Deo, & sanctis eius cultoribus bellum sæuissimum inferre, legibus, & voluntati eius impudenter resistere, omnia pro libidine sua moderari, vt Deum harum rerum gerendarum eis potestatem fecisse sciamus; qui cùm facilè eos delere, atque perdere posset, vires eis contra se subministrat: non quòd vitijs, & sceleribus faueat, aut sibi contrarius sit; sed exquisito, & immenso consilio suo hæc eos conari, & moliri patitur. Ex quo optimè intelligitur illud Exodi; Ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa, & ostenta mea in Aegypto, id est, ego cor Pharaonis roborabo, forteque ad mihi resistendum reddam, egoque ei potestatem, & vires ad mihi repugnandum concedã: iniquus tamen eius animus non Deo, sed ipsi Pharaoni debet ascribi. Sed illud considerare oportet, quod sequitur, Et multiplicabo signa. id est, hac vi, quam illi præbeant; non ipse, sed ego illustris, & gloriosus euadam, quia hostem potentissimum superaui. Ita omnis regum immanium potentia, rectè computata ratione, in Dei laudem, & gloriam reducitur. Sic ipse apud Esaiam Nabuchodonosor irridet, & in illo eos omnes, qui sibi vires suas, & potentiam arrogant, resq; suo consilio prosperè euenire putant, dicens; In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprędatus sum, &c. Nũquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra cõtra eum, à quo trahitur? quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est. Locus est apertissimus ad hac nos doctrina imbuendos: eiusque nunc imago, atque figura vati nostro repręsentatur: cùm ei omnem incertæ nobis fortunæ varietatem, atque vicissitudinem describit; quæ tota quatuor regnis amplissimis comprehenditur. Sicut etiam nonnulli describẽtes his temporibus orbem, in quatuor eum partes diuidunt. His etiam quatuor partibus distincta erat illa seculi perituri statua, atque figura Danieli proposita: eademque partitio, atq; descriptio Danieli in figura quatuor bestiarum capitulo. 7. ostensa est. ait igitur propheta.

Vires Deus nonnunquã sceleratis contra se subministrat.

Exod. 7. a. *Exodi locus declaratur.*

Regum immanium potẽtia in Dei laudem reducitur.

Esai. 10. c.

Fortunæ varietas quatuor regnis amplissimis comprehenditur.

Dan. 2. c. *Dan. 7.*

Et conuersus sum, & leuaui oculos meos. Idest, rursus leuans oculos meos vidi, *Et ecce quatuor quadrigæ.* Quæ quatuor quadrigæ ex sententia Hieronymi, & omnium ferè Latinorũ & Hebræorum interpretum, quatuor imperia, quæ rerum potitura erant, significãt. Robertus Abbas aliter interpretatur; sed eius interpretatio mihi certè non probatur. quare communem sequamur. Quadrigis autem hæc quatuor regna significantur; quoniã bello, & armis tantam potestatem sunt adepti: quadrigis enim olim in prælijs frequenter vtebantur. Ex quo fit, vt sæpe in scriptura cùm bellicus apparatus narratur, earum mentio fiat. ita Naum describẽs exercitum Chaldæorum ad Niniuem oppugnãdam; Vox flagelli (ait) vox impetus rotę, & equi fremẽtis, & quadrigę feruẽtis, & equitis ascẽdentis. At Christus vt triũphum suũ celebraret, non quadrigis, nõ equo, sed asina vehebatur; animali ad dimicandũ ineptissimo: vt ostenderet,

Cur quatuor quadrigis quatuor regna significentur.

Naum. 3. c.

Cur Christus asina vectus triumphum celebrans suum.

deret, regnũ suum lõgè ab alijs huius
seculi imperijs discrepare. Nã reliqui
sanguinarij, & cruentissimi esse so-
lent; imperium autem Christi mitis-
simum, & æquissimum fuit: reliqui
reges bellum inferendo prouincias,
atque nationes domuerunt; Christus
verò pacem omnibus afferendo tot
regna sibi subiecit: reliqui incommo
dis afficiendo inuitos sibi obedire co
gunt; Christus autem cõmoda mul-
ta, & emolumenta præstando; quæ
optimè propheta noster declarat, di-
cens: Exulta satis filia Sion, iubila filia
Zach. 9. b. Ierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi
iustus, & saluator: ipse pauper, & as-
cendens super asinam, & super pul-
lum filium asinæ. Et dispergam qua-
drigam ex Ephraim, & equum ex Ie-
rusalem, & dissipabitur arcus belli, &
loquetur pacem gentibus.

1 *Et egrediebatur de medio duorum mon*
Cur è mõtibus *tium: & montes, montes ærei.* Hoc, vt pla
æreis egredi cet Hieronymo, & cuidam Hebræo,
quadriga di & Vatablo, dicitur ad significãdum
catur. horum imperiorum potentiam, atq;
robur, quòd vndique muniti insu-
perabiles viderentur. Qui mõtes ærei
dicuntur, vt intelligatur, eos acerbos,
duros, indomitos futuros, animi im-
potes, qui nec ad humanitatem, nec
ad æquitatem flecti possint. Sic Iere-
Iere. 6. c. mias. 6. c. dicit; Ambulantes fraudu-
lenter, vt æs, & ferrũ, id est, impuden
Cur Christus tissimi, & effrenes sunt: at Christus,
inter lilia pa propter eius comitatem, & humani-
scit, & super tatem eximiam, non inter montes
montes ambu æreos, (vt dicitur in Cant.) sed inter li
lare dicatur. lia pascitur, & similis esto dilecte mi,
Cant. 4. capreæ, hinnuloque ceruorum super
montes Betel. Super mõtes Christus
ambulat, nõ inter montes: amat lucẽ,
palàm loquitur, omnibus se aspectan
dũ proponit, nihil per fraudẽ, per insi
dias gerit. Præparatus mons domus
domini in vertice montium: & eleua
bitur super colles, dicit de Christo
Esaias. Contrà isti immanes reges vm *Esai. 2. a.*
bram sequuntur, tenebras quærunt,
ex insidijs adoriuntur, fraudè, atque
dolo alios debilitant, atque frangũt;
quorum denique (vt ait Esaias) sunt *Esai. 29. c.*
in tenebris opera, & dicunt, quis vi-
debit nos, & quis nouit nos?

2 *Et in quadriga prima equi rufi.* Valde *Cur quadri-*
notãdum est, quod nulla hominum *ga ab equis*
hic mentio fit, qui has agerent qua- *tantum trahi*
drigas; sed tantùm ab equis trahi, po *dicantur.*
nuntur. Sic enim Reges isti ferino po
tiùs ac belluino, quàm humano, ac ra
tionali impetu agebantur, omnia hu
manitatis iura violãtes: quidquid po
terant rapientes, alios vita, & bonis
omnibus spoliantes, vrbes frequen-
tissimas, atque adeò regna florentissi
ma flamma, atque ferro vastantes, ac
deniquè faciliùs stellas cœli numere-
tis, quàm eorum rapinas, cædes, & in
cẽdia narrabitis. Et hac de causa apud
Danielem bestijs atrocissimis confes *Dan. 7. c.*
runtur. Erant igitur in quadriga pri-
ma, equi rufi, hispanè *alazanes.* Hæc *Quadriga*
quadriga repræsentat imperiũ Chal- *prima quod*
dæorum, sicut apud Danielem signi- *Imperium re*
ficatur capite aureo. Color enim ful- *præsentet.*
Dan. 2. c.
uus in equis, imitatur auri colorem;
quo colore propter summum huius
imperij splendorem significari dicit
Daniel. Vel si verbũ hoc ad fontem
Hebræũ referamus, in quo est אֲדֻמִּים
adumim, rubri, quia se multorum ho-
minum ocisione cruentauit. Bello
enim superauit regem magnum As-
syriorum, vastauit Niniuem ciuita-
tem vastissimam, Ierusalem diripuit,
& exinaniuit; AEgyptum excidit, in-
numerabiles deniq; nationes, atquè
prouincias ferro, ac viribus ab eo debi

 litatæ,

tatæ, fractæque sunt: adeò vt ei dixerit Daniel: Omnia in quibus habitãt filij hominum, & bestiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa cõstituit. *Dan.2.f.*

Quadriga secunda quod imperium repræsentarit. *In quadriga secunda equi nigri.* Hi repræsentabãt imperium Persarũ: nam licet non tantam cædem in Ecclesia fecisse legantur, grauissimi tamen luctus, atque tristitiæ causa fuerunt; cuius symbolum est niger color. Nam primùm rex Assuerus edixit, vt omnes Iudæi in vniuerso regno suo ad vnum vno die interficerentur: quod dubium non est, quin summum metum, & acerbissimum dolorem vniuersis Iudæis attulerit. Edicto etiam impediuit, quò minùs vrbis, & templi ædificium vltrà progrederetur: & ob eam rem vrso, ferocissimæ & tristissimæ bestiæ confertur, apud Danielem. *Persæ grauissimi luctus causam Ecclesiæ attulerant.* *Cur Persæ vrso conferantur.* *Dan.7.*

Quadriga tertia quod imperium repræsentarit. 3 *In quadriga tertia equi albi.* Significat Alexandri imperium, qui mitissimus erga Iudæos in historia scholastica fuisse traditur, magnamq; aduersus Pontificem Maximum reuerentiã exhibuisse. *In quadriga quarta equi varij.* Hispanè *remendados o tordillos*, & fortes, quod indicat imperiũ Romanorum. *Varij*, propter varia Imperatorum ingenia: alij mites in Ecclesiam Dei fuerunt, vt Augustus Cæsar Tyberius, Titus, Constãtinus, Theodosius: alij truces, & immanes, vt Caligula, Nero, Diocletianus, & Maximianus. *Fortes* verò dicit: fuit enim omnium potentissimum Romanorum imperium: nam & longè diutiùs cæteris durauit, & plures, & maiores sibi victorias peperit. De hoc enim Imperio, quod quarta bestia apud Danielem significabatur, ipse dicit. Et ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedensque atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans. *Quadriga quarta quod imperium repræsentarit.* *Romanorum imperium fuit omnium potentissimum.* *Dan.7.*

4 *Et respondi, & dixi ad Angelum qui loquebatur in me.*

5 *Quid sunt hæc Domine mi? Et respondit Angelus, & ait ad me. Isti sunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur vt stent coram dominatore omnis terræ.* Ex eo quòd Angelus has quatuor quadrigas, quatuor ventos appellet, facilè intelligitur, quatuor illa esse regna, quę à nobis explicata sunt. Nam Danielis 7. capite, quatuor venti, hæc quatuor regna nominãtur. ait enim. Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabãt in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. & postea eodem capite Angelum sibi dixisse narrat; Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Vt igitur illi quatuor venti, illas quatuor attulerũt bestias; ita & has quatuor quadrigas: & vt illæ bestiæ, quatuor (Angelo interprete) significãrunt imperia; eadem & has quatuor quadrigas significare existimandum est. Pulchrè autem quatuor hæc regna quatuor ventis conferuntur. Nam sicut licet ab infinitis mundi angulis infiniti perflent venti; omnes tamen ad illos quatuor reuocantur; Septentrionem, Austrum, Subsolanum, & Zephyrum; qui à principalibus mundi angulis perflãt: ita quamuis infinita propè fuerint in orbe terrarum Regna; omnia tamen ad hæc quatuor principalissima reuocantur. Et vt hi venti inter se pugnare solent, ingentesque in mari vasto excitare procellas: ita hi Reges inter se ingentibus copijs conflixére, & vniuersum *Dan.7.* *Cur quatuor venti quatuor regna comparentur.*

uersum terrarum orbem bellis conturbarũt. Et vt venti tanta vi flare solent, vt arbores conuellant, tecta diruant, ac magnum terrorem iniyciát, sed citò sedâtur: sic & hęc regna quã uis potentissima initio visa sunt, vix insuperabili orbem premere, citò tamen remiserunt spiritus, & sedarunt arrogantiam. Quòd si omnes huius seculi opes, diuitiæ, & honores ventis conferuntur, qui citò de manibus effluunt, quid (malum) tanto studio illa cõparare, & acquirere molimur, atque adeò omnem curam, cogitationem in his rebus collocamus? Nonnè stultus videretur is, qui vẽtos tenere conaretur? extremæ etiam dementiæ est his rebus fluxis, fugacibus, & caducis studere. Ita Sapiens ait Ecclesiastes: Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei, quod laborauit in ventum? & Iob ait: Memento mei Domine quia vẽtus est vita mea. Charitas verò erga Deum, & proximos, est altissimis defixa radicibus, quam nulli fortunæ flatus, nulla tempestas, nec mors denique ipsa conuellet: reliquæ res omnes seculi huius incertæ sunt, fragiles, atque mobiles. Quod verò dicit propheta, hos ventos egredi,

Vt stẽt coram dominatore omnis terræ. Illud significat, quod huius visionis initio diximus, à Deo huiusmodi regna accepisse, de qua gloriabantur, potestatem. Illud verò hoc loco non prætermittam, quod ex hac visione, & ex locis à Daniele citatis, mihi vehementer persuadeo, instare iam huius seculi caduci finem: siquidem totum hoc seculũ his visionibus comprehensum esse puto, quatuorq; his partibus ita contineri, vt nullum imperium cum his comparandum reliquum sit, quòd cùm hæc imperia ferè iam effluxisse cernamus, opinor hoc mortale seculum iamiam delabi, & prope interitum esse.

Quã fit stultũ solicitè bona seculi bona quærere.

Eccl. 5. d.

Iob. 7. b.

Instare videtur iam seculi huius caduci finis.

6 *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & Varij egressi sunt ad terrã Austri.* Nihil de rufis equis dicit, quòd imperium Chaldæorũ significabant, quod iam fuerat elapsum cùm hoc vaticinium editum fuit. Auster autem, & Aquilo, Oriens, & Occidens ex relatione ad terrã sanctam in scriptura sacra ponuntur. Equi nigri, vt diximus, imperium indicãt Persarum, qui inuaserũt Babylonios, eosq; subegerunt. Babylonia verò Palestinæ relata, vergit ad Aquilonẽ: Persia verò ad Orientẽ; Media autẽ ad Austrum. Hanc autem aduersus Babylonios expeditionem suscepit Darius Medus, & Cyrus Persa, filius sororis Darij Medi. *Et albi egressi sunt post eos.* Diximus albos reprę̃sentare Græcos. Alexander enim Græcus bellum aduersus Persas, ac Medos, qui imperium obtinebant, iniuit, & tribus prælijs Dario rege victo, atque fuso, imperij potitus fuit. *Et varij egressi sunt ad terrã Austri.* Varij sustinent (vt exposuimus) personam Romanorum, qui rerum potiti sunt. Quos ob eam rem ad Austrum egressos fuisse dici nonnulli exponunt, quòd Cæsar superato Pompeio, statim est AEgyptum aggresus, quæ ad Austrum vergit terræ sanctæ.

7 *Qui autem erant robustissimi, exierũt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram, Et dixit, Ite, & perambulate terram, & perambulauerunt terram.* Id est, Romani, qui robustissimis equis significabantur, moliebantur vni-

vniuersam terrã debellare, omnesq; nationes in potestatem redigere. Magna enim fuit Romanorum potẽtia, vehementer suum dilatarunt imperium; ita vt ferè totam Europam, & omnem Africæ partem, quæ tum nota erat, & Traiani temporibus omnem ferè Asiam domuerunt, sic vt neminem iam Traianus in ea inueniret, qui ei bello resisteret. Et ob eam rem dicit.

Insatiabilem esse dominandi cupiditatem.

Quærebant ire, & discurrere per vniuersam terram. Insatiabilis enim est dominandi cupiditas, neque vllis terminis acquiescit. Alexander magnus optabat mundos esse infinitos, vt censebat Democritus, quò sibi vniuersos bello pareret. Recte ergo illud est ab Isocrate in oratione de pace dictum: *Isocrates.* Potestatem intractabilem esse rem, nec fieri posse, vt qui eius cupiditate teneantur, ab statu mentis non discedant: vt idem sit imperij, ac potestatis, quod meretricularum ingenium; quæ sui amatores perdunt: altèque huius rei narratione petita, probat eos, qui maioribus imperijs valuerũt, in maiores calamitates incurrisse. quod vel ex vno Dauide intelligi licet, qui tum vrbe à filio Absalone pulsus est, & extremum propè vitæ periculum subijt, cùm omnes ferè nationes circunuicinas vsque ad Eufratem subegisset. Alexander Magnus simul ac orbis imperium est consecutus, cùm è tantis se bellis Babyloniæ recrearet, à socijs est veneno necatus. Iulius Cæsar rerum dominus ab ijs interfectus est, quibus beneficia tribuerat. Roma denique ipsa, orbis Regina, quæ tandem mala non est perpessa? possem etiam tyrannos potentissimos commemorare, alios à parentibus, alios à liberis, alios ab vxoribus, alios à fratribus interfectos. Quare sapientiùs ille facit, qui parta tueri, & optimè potiùs administrare, quàm finitimos aggredi, & bello tentare studet. Christusque suam ita instituit Ecclesiam, vt hãc dominandi cupiditatem valde alienam esse vellet ab eis, qui ei præessent: & ob hanc causam dixit Apostolis; Principes gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent inter eos benefici vocantur: vos autem non sic: sed qui maior est inter vos, fiat sicut minor. Quod verò dicit vates Deum dixisse. *Ite.* Ad illud pertinet, quòd superiùs à nobis dictum est; omnem potestatem (teste Paulo) à Deo esse: neque posse quemquam ditionem, & imperium adipisci, aut vllo pacto dilatare, nisi Deo facultatem, vel licentiam potiùs concedente. Valde tamen timendum est ne, dominari optantes, hanc à Deo licentiam impetremus: nam incommodo nónunquam nostro nobis conceditur. Ex quo factum est, vt mater filiorum Zebedæi filijs suis altissimum dignitatis gradum petens, non eum fuerit adepta: Romani autem imperium orbis postulantes, facilimè (vt noster narrat propheta) id à Deo sunt consecuti. Nam illa dicendi ratione. *Ite.* maxima, & expedita significatur facilitas: nihil enim est tergiuersatus, nihil excusauit; sed dixit, ite. Illud etiam hoc loco notandum, quàm parui Deus hanc seculi potentiam, & opes eius faciat, cùm tam copiosè eam iniquis, & idololatris distribuat, & tanquam sordes canibus dilaniandas, & suibus conculcandas proijciat. Quare indignæ sunt, quæ tanto ab hominibus studio expetantur: præsertim quòd Sapiens ait Ecclesiastes, Interdum dominatur

Christus dominandi cupiditatem ab Ecclesiæ præpositis alienã esse voluit. Luc. 22. c.

Valde timendum est ne dominari optãtes à Deo hãc licentiam impetremus.

Quam parui Deus seculi potentiam faciat.

Indignæ sunt seculi opes quæ tãto studio expetantur. Eccle. 8.

minatur homo homini in malum.

8 *Et vocauit me, & loquutus est ad me, dicens, Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.* Hominis irati affectum exprimit, qui vehementer acquiescit in hostis vltione. Quia verò per Medos, qui terram Aquilonis, id est, in Chaldæos (vt exposuimus) aggressi sunt, iniurias, quas Chaldæi fecerunt Iudæis, vltus est Deus: ideo dicit. *Requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.* Secūdū illud Esaiæ: Consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Esa.1.f.

9 *Et factum est verbum Domini ad me, dicens.*

10 *Sume à transmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia: & venies tu in in die illa, & intrabis in domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.*

11 *Et sumes aurum & argentum, & facies coronas: & pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni.* Differuit de regnis in orbe terrarum futuris: iam ad regnum Iudæ orationem conuertit, quod erigendum, & stabiliēdum vaticinatur. Quod quidem optimè cū superiori capitis parte cohæret: nam vltimo loco tetigit excisionem regni Chaldæorum, qui Iudæos vastârunt, ac regno spoliârunt, cùm dixit (vt exposuimus) per Medos eos Deum fuisse vltum: aptè ergo bonorum restitutio cōnectitur cum inimicorum suorum interitu. Magnum enim beneficium, ingens amoris significatio est, quòd Deus ira aduersus hostes nostros commoueatur, quòd non sedetur, quòusque mala, quæ pertulimus vlciscatur: quòd ipse beneficij loco promittit, dicens. Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Sed tum ab eo cumulatè beneficium præstatur, cùm postquam vltus sit iustorum inimicos, iustos ipsos in integrū restituit. Et in hoc discrimen, ac differentia magna est inter iustorum, & improborum calamitates: quòd iusti, licet sæpè malis mersi videantur, emergunt tamen: improbi verò ita obruuntur, vt nunquam appareant; bonorum inimici puniuntur, & boni reparantur: at licet in improborum inimicos Deus etiam animaduertat; ipsi improbi non instaurantur. Fregit Deus Chaldæos, aduersus Iudæos infestos, & ipsos Iudæos in libertatē asseruit, multisque beneficijs auxit. idem & Ecclesiæ, & eius hostibus frequenter accidit: at Medos, Chaldæorum hostes, supplicio etiam digno constrinxit, ipsos tamen Chaldæos non restituit. idem & Græcis, Medorum euersoribus, contigit: nunquam tamen è malis Medi emerserūt. idem & alijs iniquis hominibus accidit. Quòd luculēter tractatur apud Iob, licet valde obscurè: comparat enim consilia, spes, & conatus impiorum cum telis aranearum, quibus si quis innitatur, ita conscinduntur, vt resarciri non possint: at iustos plantę insito, & naturali humore præditæ, quæ licet è loco suo conuellatur, ita vt neque vllum eius vestigium relinquatur, in alium locum translata rursus vberiùs germinat, & firmas radices agit. ait ergo Baldad: Non ei placebit vęcordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius. Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non consurget. hæc de impio. de pio verò sic ait; Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet. Non noui te, id est, si hoc pacto ab agricola conuellatur, vt ipse locus in quo erat, negans talem vidisse plantam, dicat,

Magna amoris significatio est, quod Deus aduersus hostes nostros commoueatur.

Exod.23.e.

Quid differat inter iustorum, & improborum calamitates.

Iob.8.a.

Iob locus explicatur.

Ibid.

dicat, non noui te, hoc est, funditùs euellatur. Hæc est lætitia viæ eius, vt rursum de terra alij germinentur, id est, non solùm planta minimè molestè feret se esse conuulsam, sed etiam lætabitur, quòd rursus in alium translata locum, alios ramos, ac radices germinabit. Sequiturq; statim; Deus non proijciet simplicem, neque porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. Qui oderunt te, induentur confusione, & tabernaculum impiorum non subsistet. & ita intelligitur illud Prouerb. Septies in die cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malū; id est sæpe iusti in calamitates incurrent, at liberabuntur: impij autē obruentur calamitate. Id ergo Deus significat cùm post excisionem Chaldæorū Prophetæ coronas facere præcipit, quòd regnum, & sacerdotium restituendum erat, quæ accidisse ita Ieremias lamentabatur. Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri. quare fieri coronæ præcipiuntur, quòd Deus luctum, & tristitiam è populo tollere, & gaudium, ac cōsolationem afferre decreuerat. Nam olim portabantur coronæ ad lætitiam etiam significandam: siquidem Esaias de restitutione populi verba faciens, ita loquitur; Gaudens gaudebo in domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, indumento iustitiæ circundabit me, & quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic dominus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus. Quo loco ad illam plantæ comparationem alludere videtur, quam ex dictis libri Iob proximè explicauimus. Quòd verò huiusmodi coronæ conflari iubentur ex auro, & argento, à viris illis ex captiuitate reductis petito, fabricarique in domo Iosiæ, declarat officijs, & pietate iustorum, Rempub. stabiliri, regnum erigi, ac in populo lætitiam oriri. Ita in Exodo narratur, Deo præcipiente tabernaculum, ac omnia vasa, & instrumenta, vniuersa denique eius supellex ex donis populi esse facta. Hinc illud est quod Esaias de Ierusalem pietatis officia præstante; & in integrum restituta differens ait; Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà derelicta: & terra tua non vocabitur ampliùs desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea. id est, in qua Dei voluntas præstatur, ac fit: & ob eam rem eris corona gloriæ, & diadema regni. Rectè autem ex argento, & auro coronæ fieri iubentur: siquidem argentum sacra doctrina in literis sacrosanctis appellatur. ait enim Dauid; Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, purgatum terræ, purgatum septuplum. Sacra enim doctrina christianæ, veræque pietatis officia docet credentes, quæ antea falsis, & iniquis scribarum præceptis, flagitiosoque populi vsu inquinata, atque corrupta erat. quod Esaias acriter reprehendit dicens; Argentum tuum versum est in scoriam: quod literaliter, & historicè de vera doctrina dicitur. Vt ergo significaretur argentum, id est, sacra doctrina esse præteritarum calami-

Margin notes: Prou. 14. b. — Prouerbiorū locus explicatur. — Lamētat. 5. d. — Esai. 61. — Officia iustorum magnoperè Rempub. commodo afferri. — Exod. 28. — Esai. 62. a. — Psal. 11. b. — Esai. 1. — Esaia. locus declaratur.

calamitatum, & ærumnarum igni repurgata, populumque iniquas abiecisse rationes viuendi; coronæ ex argento fieri præcipiuntur. quam purgationem adhibendam Deus per E-
Esai.1. saiam recepit dicens; Et conuertam manum meam ad te: & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, & constituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, &c. quę aliqua ex parte nostri prophetæ temporibus expleta sunt; sed perfectè per Christum: & ob eam rem hæ coronæ imprimis Christo fabricantur, vt mox dicemus. Sed septuaginta locum positum ita vertunt λάβε τὰ ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας παρὰ τῶν ἀρχόντων καὶ παρὰ τῶν χρησίμων αὐτῆς, καὶ παρὰ τῶν ἐπεγνωκότων αὐτήν. Id est, sume ex captiuitate à principibus, & ab vtilibus eius, & à cognoscentibus eam. quod nihil aliud est, quàm nomina virorum, à quibus aurum, & argentum sumendum erat, Græcè interpretari: quemadmodũ & Petrus, & Græcè, & Latinè dicitur; cùm Hebraicè Cephas à Christo fuerit appellatus. Nominum autem interpretatio maximè illustrat eam causam, quam adhibuimus, cur ex argento, atque auro ab his accepto coronæ confectæ fuerint. Principes enim, & vtiles, ac cognoscentes in populo aurum, & argentum, id est, virtutis munera præstant, quibus populus corona fit (vt ait Esaias) in manu Domini.

Et pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni. Hebræi volunt harum coronarum vnam tantùm impositam fuisse Iesu: alteram verò Zorobabel, qui princeps tum populi habebatur. & ita interpretantur illud, quod paulò infrà scribitur; Et ipse portabit gloriam, id est, ipse Zorobabel portabit coronam. quæ declaratio non displicet Hieronymo in huius prophetę commentarijs: sed mihi multò magis probatur Vatabli, & Lirani expositio, qui vtramque coronam filio Iosedec impositam fuisse declarant: nam nulla hoc capite Zorobabelis mentio fit. *Vtramque coronam fuisse impositam filio Iosedec.* Quod enim Hebræi existimant Orientem Zorobabel hic appellari, vt huius prophetæ capite tertio; sicut nos illo capite huiusmodi opinionem respuimus, ita & hic respuemus. Cùm verò exponunt, portabit gloriam, id est, portabit coronam; probare deberent ex alio sacræ scripturæ loco, nomen הוד *hod*, quod ibi ponitur, aliquando coronam significasse; sed cum istiusmodi significationis vestigium nullibi reperiatur, ficta, & ad tempus accommodata existimanda est: præsertim quod ex versione septuaginta vna tantùm corona facta fuisse intelligitur. Nam vertunt illi illud; Facies coronas, ποιήσεις στέφανον, rursus quod statim sequitur;

Et coronæ erunt Helem, &c. Reddũt septuaginta ὁ δὲ στέφανος ἔσται. quare versio septuaginta non tam facilis, & expedita erit ijs, qui hanc probant sententiam: nobis autem non est difficilis; quoniam ob eam rem vnam coronam vertisse dicemus, quòd vni capiti ambæ fuerint impositæ, & vnius hominis potestatem, ac principatum significabant. Igitur has duas coronas Iesu impositas fuisse dicamus, ad significandum, cum regno sacerdotium deinceps copulandum esse, vnique personæ vtrumque attribuendum; quod ita factum fuisse videmus. *Cur duæ coronæ impositæ fuerint Iesu.* Nam post captiuitatem Babylonicam ijdem Reges, qui Sacerdotes fuerunt. *Post captiuitatem Babylonicã ijdem reges qui sacerdotes fuerunt.* Non disputo

 vtrùm

verum Zorobabel regnum gesserit! vt enim gesserit, satis est ad hoc probandum, quod qui deinceps fuere consecuti Reges, & Sacerdotes fuerunt. Quod probatur ex historia Iudit, in qua nulla Regis, sed tantùm sacerdotis magni mentio fit. Ex libro item Machabæorum, præsertim ex libro secundo, in quo nulla regni vel leuis mentio est; sed magna sacerdotij contentio, ambitio, atque petitio fuisse narratur. Ex historia item Iustini historici in principio libri trigesimisexti, quo dicit, semper Iudæos eosdem & Reges, & Sacerdotes habuisse: quod ad tempus post captiuitatem conuenit, quo tempore & ipse Iustinus historiam composuit: nam ante captiuitatem ex sacris literis falsissimum esse probabitur. Vt igitur id futurum significaretur, vtramque coronam Iesu sacerdoti imponere iussum est propheta. Sed ob eam rem imprimis factum esse duco, vt Christum Iesum seruatorem nostrum, cuius personam, & imaginem Iesus filius Iosedech sustinebat, & Regem, & Sacerdotem futurum esse Deus indicaret: idque ex eis mandatis facilè cognoscitur, quæ vati ad Iesum data sunt, cùm has ei coronas iuberetur deferre. Sequitur enim.

Christum Regem, & sacerdotem futurum esse propheta vaticinatur.

12 *Et loqueris ad eum, dicens; Hæc ait Dominus exercituum, dicens, Ecce vir Oriens nomen eius: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino.* Semper propheta à minoribus bonis profectus ad maiora progreditur; à Ierusalem materiali, ad spiritualem, à bonis terrenis, atque caducis, ad cœlestia, atque perpetua: ita hoc loco à Rege, sacerdoteque periturо, ad Regem, Sacerdotemque æternum. Soliciti erant Hierosolymitani de regno, sacerdotioque suo tuendo, ac conseruando; quibus vt Deus spem subministret, prophetæ iubet, vt Regni, & Sacerdotij coronas imponat capiti filij Iosedec: quo certam faciebat spem, eos vel inuitis hostibus sacerdotem suum, regemque habituros. Nec eo beneficio Deus benignus, atque misericors contentus est, sed eis verbis propositis, Regem, & Sacerdotem æternum, & homine maiorem præterea pollicetur. Non enim mihi persuadeo hæc verba ad Zorobabel conuenire, vt omnes propè Hebræi affirmant, quibus etiam assentitur Hieronymus, & nonnulli alij christiani interpretes: sed vt illa, quæ dicta sunt capite tertio eiusdem prophetæ, in Christum tantummodò cadere diximus: ita & quæ modò dicuntur. Nam perpetua oratione statim narrantur huius Orientis attributa, in quibus ponitur eum futurum sacerdotem. Cùm dicitur præter alia;

Zacharias à minoribus bonis ad maiora progreditur.

Regē Deus, & Sacerdotem pollicetur æternum.

Zach. 3. Non cadunt in Zorobabel quæ ei attribuunt Hebræi.

Et erit sacerdos super solio suo. At Zorobabel nec fuit, neque esse poterat sacerdos: erat enim ortus ex tribu Iuda: at sacerdotes non solùm ex tribu Leui, sed etiam ex genere Aaron nasci oportebat. quare ad illum non pertinent, quæ de Oriente dicuntur. Chaldæus præterea interpres magnæ autoritatis vir, hæc omnia attribuit non Zorobabeli, sed Messiæ. Oriens etiam Christus à Zacharia vocatur, patre, inquam, Baptistæ, apud Lucam ca. 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto: quo loco ad prophetam nostrū eum sic nominando Zacharias alludere videtur. Vnde non dubito quin ista de Christo dicatur. Quare autem vocetur

Oriens Christus vocatur.

vocetur Christus Oriens, siue germen: nam vtrumque verbum Hebræum (vt diximus significat) expo-

Zach.3.

suimus cap.3. cum de Oriente etiam ageremus.

Et subter eum orietur. Hebraicè clariùs hoc dicitur, & subter se orietur, vel germinabit, id est, nullis humanis subsidijs nixus suum propagabit imperium: aut ipse per se, vique sua tantum honorem adipiscetur. quare nullus in suæ se gloriæ societatem admiscebit, nihil mundus, nullam partem humana vis ex tanta rerum, quas geret, magnitudine sibi vnquam vendicabit. & ita de Christo dicitur apud Lucam. Proficiebat ætate, & sapientia apud Deum, & homines, cùm nullos sibi literarum magistros vnquam adiunxisset, illumque (vt Marcus testatur) admirabantur omnes dicentes, Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur?

Christus nullis humanis subsidijs nixus suum propagabit imperium.

Luc.2.

Marc.6.a.

Et ædificabit templum Domino. Id est, Ecclesiam, quæ est credentium concio, stabiliet, in qua verus Deus adoratur, & colitur. Et sicut Deus in illo templo à Solomone, & Zorobabel postea ædificato, responsa dabat quasi sedens inter Cherubim (vt ait Dauid) qui propitiatorio, quod erat quasi sedes Dei, adhærebant: ita huic Ecclesiæ, & fidelium congregationi cùm præsideat, ei legitimè in concilijs congregatæ responsa dat. De hac enim Ecclesia Paulus loquens dicit, Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: Quoniam in habitabo in illis, & ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Locus au-

Templū à Salomone, & à Zorobabel constructum representans Ecclesiā.

2.Cor.6.d.

tem, quem citat hæc dicens Paulus, sumptus est ex Leuitico. Sequitur in Propheta.

Leuit.26.b

13 *Et ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo.* Magnam, & solidam gloriam Christus consecutus est, propter res suas clarissimè gestas, & à Deo, & ab omnibus hominibus. ita Dauid ait; Gloria, & honore coronasti eum; quod de Christo, propter passionem mortis gloria, & honore coronato Paulus interpretatur in Epistola ad Hebræos; & ad Philippenses scribens ait; Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen. Sed in Hebræo est nomen הוד *hod*, quod varijs modis à Diuo Hieronymo atque Vulgato nostro, & à septuaginta redditur: nunc gloriam, nunc honorem, nunc laudem, nunc confessionem, nunc speciem, nunc decorem. Hebræis etiam vox ambigua est: sed potentiam, & fortitudinem propriè mihi significare videtur: quæ significatio aptissimè ad omnia sacræ scripturæ loca conuenit, in quibus reperitur. & ita huius nostri prophetæ capitulo decimo, de Iudæ domo, id est de Ecclesia loquens, quam roborandam, & ad bellum confirmandam pollicetur, dicit; Et posuit eos quasi equum הוֹדוֹ *hodo*, id est, potentiæ, hoc est, quo suam vim, & potentiam ostentabit. & illud Psalmi. 104. Confessionem, & decorem induisti: clariùs interpretatur hoc pacto; potentiam, & decorem induisti, id est, potētiā habes cum decore magno coniunctam. Septuaginta quoq; hunc locū, quē in manibus habemus, ita transferunt, καὶ αὐτὸς λήψεται ἀρετὴν.

Magnā Christus gloriam cōsecutus est & à Deo, & ab hominibus propter res suas clarissimè gestas.

Psal 8.

Heb.2.

Philip.2.

הוד quid propriè significet.

Zach.10.

Psal.104.

Id est, ipse suscipiet virtutem, atque potentiam. Quare rectè etiam hunc locum ita vertemus: Ipse portabit potentiam, id est, non solum templum, & Ecclesiam Christus ædificabit, sed magnam potentiam ad eam defendendam, & ad eius hostes debellãdos secum afferet: quod Virgo sanctissima in Cantico suo exposuit dicens, Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Brachium Dei, Christus est, qui est verbum patris, per quod (vt Ioannes testatur) omnia facta sunt. Ex quo fit, vt brachium Dei Esaias Christum etiam appellet dicens; Domine, quis credit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Sed operæpretium est intelligere, qualis, cuiusque modi ea potentia sit, quam Christus portauit, vt noster dicit propheta: in quo summam Dei sapientiam, quæ suauiter omnia disponit, aptissimeque coniungit, admirabimur. Sicut enim Deus pater verbo suam expressit, & declarauit potentiam, verbo omnia faciendo: ita & verbum ipsum Deus filius verbo suo, suam etiam aperuit, & explicauit potentiam. Nam quibus armis, quibus auxilijs, quibus denique viribus Christus Ecclesiam stabiliuit, mundum subegit, & tot aduersarios in potestatem redegit, nisi doctrina, & Euangelio suo? quod Paulus docet, dicens; Non erubesco Euangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti. & Dauid in Psalmo quadragesimoquarto, vires Mesiæ describens id ipsum luculenter exponit dicens; Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime, specie tua, &c. in Hebræo est nomen הוד *hod*, de quo hic loquimur, id est, potentia tua. quasi dicat, accingere gladio tuo appositiuè, qui est potentia tua; qui gladius cuiusmodi sit, declarans addit: Intende prosperè, procede, & regna, in Hebræo est צְלַח רְכַב עַל דְּבַר אֱמֶת וְעַנְוָה צֶדֶק *zelah recab hal debar emet vehanua zedec*, quod verbum de verbo conuertentes ita vertemus: prospere age, ascende super verbum veritatis, & mansuetudinis iustitiæ. quem locum ita ferè reddit Hieronymus in Psalmis. Potētia ergo Christi est verbum veritatis, mansuetudinis, iustitiæ, quod eius Euangelium est, docens veritatem, ac mansuetudinem cum iustitia coniūctam: hac Dei potentia, vniuersum Ecclesiæ robur, & præsidium continetur. quamobrem vehementer eam optabat Esaias dicens; Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Ex quo intelligitur quanti facere Euangelium Christi, quantum amplexari, in manibus, & in delicijs habere debeamus; recteque de illo à Paulo dici; Virtus Dei est in salutem omni credenti. Et hac potentia (vt sequitur in Propheta.)

Christum magna vi Ecclesiam defendit. — *Brachiū Dei Christus.* — Ioan.1.a. — Esai.53.a. — *Qualis cuiusque modi Christi potentia fuerit.* — *Vt pater verbo, ita Christus filius Dei verbo suam aperuit potentiā.* — Rom.1. — Psal.44.a. — *Potētia Christi est eius Euangelium.* — Esai.51.a.

Sedebit, & dominabitur super solio suo. Id est, regnum sibi firmum, & stabile constituet. Id enim illa ratione dicendi, sedebit, significatur; & ita ei pater (vt Dauid testatur) dixit; Sede à dextris meis, id est, mecum securus perpetuò regna. & Angelus Virgini sanctissimæ prædixit; Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.

Rom.1. — *Quanti Euangelium facere debeamus.* — Psal.110. — Luc.1.

Et erit sacerdos super solio suo. Christus etiam fuit sacerdos perpetuò duraturus, vt & Dauid testatur dicens; Tu es sacerdos in æternum secundum

Christum fore sacerdotē perpetuo. — Psal.110.

Christus se dupliciter patri obtulit.

dum ordinem Melchisedec. Qui seipsum dupliciter patri æterno obtulit pro hostia, primùm, secundum ordinem Melchisedech; quando sub specie panis, & vini seipsum in vltima cœna obtulit. qua ratione quotidiè offertur in Ecclesia: deinde semel se obtulit secundum ordinem, ac rationem, qua Aaron sacrificia facere consueuit; seipsum faciens hostiam pro peccato; quando se in ara Crucis crudelissima morte tradidit mactandum, vt Paulus ait; Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Hoc est, fecit vt esset hostia pro peccato. Sed quod in vulgato, & in Hebræo est; Erit sacerdos super solio suo; Septuaginta viri transferunt, Erit sacerdos à dextris eius ἔσται ἱερεὺς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, vt sit more Hebræorum relatiuum pro antecedenti, id est, à dextris Dei: quod ad Ascensionem Christi in cœlum pertinet. Nam quemadmodum priscus sacerdos intrabat semel in anno in sancta sanctorum mactatis hircis: ita & Christus semel in cœlum ingressus est, vt Paulus ad Hebræos capite nono ait. Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum; sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta; ibique (vt Marcus ait) sedet à dextris virtutis Dei. & Paulus ad Hebræos capite octauo. scribit. Talem habemus Pontificem; qui consedit in dextra sedis magnitudinis in coelis.

2. Cor. 5. d.

Christus semel in cœlū ingressus est, vt priscus sacerdos semel in anno in sancta sanctorum.

Et consilium pacis erit inter illos duos. Quidam non malè interpretantur; nulla discordia erit inter Regem, & Sacerdotem: quoniam idem & Rex, & Sacerdos erit. Alij; Conciliabuntur inter se populus Iudaicus, atque Gentilicus, fietque ex eis duobus, vnus populus, pari, eodemque iure viuens. Non incommodè, vt ego censeo, ita etiam explicari potest; vt quia Christus dicitur sacerdos, cuius munus erat Deum placare, atque populo reconciliare, sicut Paulus ait; Omnis pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: dicat hoc loco Propheta; consilium pacis futurum inter Christum sacerdotem, ac Pontificem nostrum, & Deũ; quòd ipse Deum nobis pacatum, atque benignum præstiterit, & omnem eius iram in peccata nostra mitigauerit, pacem denique inter homines, Deumque fecerit; sicut dicit Esaias, Disciplina pacis nostræ super eum, vt illud perfectè expletum, ac redditum sit, quod Malachias de Aaron nomine Dei dicit; Pactum meũ fuit cum eo vitæ, & pacis.

Heb. 5.

Christus Dei iram mitigauit.

Esai. 53.

14 *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.* Hoc est; postquam huiusmodi coronas imposueris capiti Iesus, ad ea quæ dicta sunt significanda, eas deinde tolles, & in templo collocabis, vt memoriam eorum repræsentent, qui aurum, & argentum, & locum ad eas fabricandas præstiterunt. Sed nonnulla nomina mutata sunt eorum, quos antè nominauit: nam quem priùs appellauit Heldai, nunc vocat Helem; & quem antè appellauit Iosiã, in cuius domo coronæ sunt factæ, nũc vocat Hen. Ex hoc verò mandato facilè cógnosci licet, quidquid obsequij, atque officij Deo præstamus, ad nos tandem redire, & ad gloriam, & dignitatem nostram manare. Modico

Quidquid obsequij Deo præstamus, ad nos tandẽ redire.

bonorum participes futuros, si Deo audientes fuerint. Nemo enim, nisi Dei præceptis, & iussis obediat, vllam ex aduentu Christi vtilitatem percipiet: & hac lege, ac conditione intelli gi oportet, quidquid boni Deus in scripturis mundo se præstaturum re-
Ioan.1. cipit. In propria venit, & sui eum non receperunt; quotquot autem recepe runt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ioãnes ait. Is autem recipit eum, qui iussis eius paret.

CAPVT. VII.

A 1 *ET factum est in anno quarto*
Darij regis, factum est verbũ
Domini ad Zachariam, in quarta
mensis noni, qui est Casleu.
2 *Et miserunt ad domum Dei Sa-*
rasar & Rogom melech, & viri qui
erant cum eo, ad deprecandam faciẽ
Domini.
3 *Vt dicerent sacerdotibus domus*
Domini exercituum & prophetis, lo
quentes, Nunquid flendum est mi-
hi in quinto mense, vel sanctificare
me debeo, sicut iam feci multis an-
nis?
4 *Et factum est verbum Domini*
exercituum ad me, dicens,
5 *Loquere ad omnem populum ter-*
B *ræ: & ad sacerdotes, dicens, Cùm ie-*
iunaretis, & plangeretis in quinto &
septimo per hos septuaginta annos:
nunquid ieiunium ieiunastis mihi?
6 *Et cùm comedistis & bibistis: nũ*
quid non vobis comedistis, & vobis-
metipsis bibistis?
7 *Nunquid non sunt verba, quæ lo-*
quutus est Dominus in manu prophe
tarum priorũ, cùm adhuc Ierusalem
habitaretur, & esset opulenta, ipsa
& vrbes in circuitu eius, & ad Au-
strum, & in campestribus habita-
retur?
8 *Et factum est verbum Domini*
ad Zachariam, dicens,
9 *Hæc ait Dominus exercituum,*
dicens, Iudicium verum iudicate: &
misericordiam & miserationes faci- C
te vnusquisq; cum fratre suo.
10 *Et viduam, & pupillum, & ad-*
uenam, & pauperem nolite calumnia
ri: & malum vir fratri suo non cogi-
tet in corde suo.
11 *Et noluerunt attendere, & auer*
terunt scapulam recedentes: & au-
res suas aggrauauerunt, ne audirent.
12 *Et cor suũ posuerũt vt adaman-*
tem, ne audirent legem & verba quæ
misit Deus exercituum in spiritu suo
per manum prophetarum priorum:
& facta est indignatio magna à Do- D
mino exercituum.
13 *Et factum est sicut locutus est,*
& non audierunt: sic clamabunt, &
non exaudiam, dicit Dominus exer-
cituum.
14 *Et dispersi eos per omnia regna*
quæ nesciunt: & terra desolata est ab
eis, eò quòd non esset transiens & re-
uertens: & posuerunt terram desyde
rabilem in desertum.

SEQVITVR SECVNDA PARS NOSTRI PROPHETAE.

Nam in duas partes eius vaticinium diuiditur; primam exposuimus, quam vno, & perpetuo contextu tractatam fuisse docuimus. Iam ergo de secunda disseramus. Prius autem Propheta exponit, cuius rei occasione ei à Deo hoc vaticinium traditum fuerit, dicens.

1 *ET factum est in anno quar*
to Darij regis, factum est
verbum Domini ad Zacha-
riam, in quarta mẽsis noni,
qui est Casleu.
2 *Et miserunt ad domum Dei Sarasar &*
Rogom melech, & viri qui erant cum eis,

In duas partes Zachariæ vaticiniũ diuiditur.

Duo ferè anni interiecti fuere inter primam nostræ prophetæ visionem, & hanc: nam illa accidit, vt cap. primo dicitur, anno secundo Darij, hæc verò anno quarto. Mensis nonus est Nouember. Hi verò legati missi fuerunt cum mandatis, de quibus mox dicemus, ab ijs Iudæis, qui adhuc cõmorabantur Babyloniæ. Sed legatorum nomina nonnihil difficultatis habent propter varias versiones. Primùm, quẽ nostra vulgata vocat Rogom melech, in Hebræo vocatur, Regem melech; & ita est in commentarijs Hieronymi: & ita putat Pagninus in lexico in vulgata nostra legi oportere. Sed longè maiorem difficultatem afferunt septuaginta viri: nam quod noster vulgatus dicit hos nuncios missos fuisse in domum Dei, septuaginta interpretes dicunt missos fuisse in Bethel. Quem vulgatus vocat Rogom, vel Regemmelech; septuaginta viri vocãt Sager rex. Additur præterea alius à septuaginta, quẽ

Versio difficilis septuaginta interpretum.

neque Hebræus, nec noster vulgatus nominat, Arbath. Circa quam differentiam, non possum non mirari Hieronymum, qui cum cæteris locis pulchrè faciat septuaginta viros, illosq; semper explicet, hoc loco eos contemnit, atque reijcit: dicitq; nullum nostrorum interpretum eos hoc loco explanare potuisse: Nec enim (inquit ille) quod malè versum est, ex Hebræo vlla ratione explanari potest. Sed non tam facilè auderem septuaginta viros reijcere, quos tanti faciunt Euangelistę: præsertim cùm nõ adeò difficiles habeant explicatus, vt exponi, & cùm Hebræo, & vulgato nostro cõciliari nõ possint. Nã quod ait Hieronymus, quis est iste Sager rex? dico eũdẽ fuisse, qui Regemmelech. Nam nõ est insolẽs in septuaginta viris, quod vel capite proximè superiori vidimus, nomina propria alijs nominibus vel Græcis, vel Hebræis, idem significantibus declarari. Regemmelech autem idem significat, quod Seger rex. Regem enim idem declarat quod Princeps, vt dicit Rabbi Abraham. Psal. 68. vers. 28. ad quod probandum citat hunc nostræ prophetæ locum. Sager autem idem etiam declarat quod princeps, à verbo סָגַר sagar, claudit, quod principes intùs quasi

Septuaginta interpretum versio cum nostra conciliatur.

Psal. 68.

claudi

claudi soleant, paucisque pateat ad. eos aditus. & ita מַסְגֵּר *masger*, quòd 4. Reg. 24. Hieronymus vertit artifex inclusor Rabbi Dauid in libr. Radicum dicit esse hominem optimatem, atque magnæ æstimationis. Melech verò vulgare est, nihil aliud quã regẽ significans. quare Sager rex idẽ est quod Regemmelech: quem existimo (vt putat Rabbi Abraham loco citato) principem, & magnæ dignitatis virum in domo regis Babyloniæ fuisse, ita appellatum, non quòd rex fuerit Bethel: quo etiam arguit erroris Hieronymus septuaginta interpretes; quasi illi dixerint regem fuisse Bethel. Quærit etiam Hieronymus ad quam Bethel missi sunt; cùm Bethel vrbs illa, de qua mentio in scriptura fit, Bethauen iam vocaretur. At in Hebręo est missos fuisse Bethel: quod quamuis domum Dei significet, vt vertit Hieronymus, & vulgatus: Ionathas tamen Chaldæus interpres, vertit Bethel: quod probat Rabbi Chimi in commentarijs, aitque aptissimum, & disertissimum esse simplicis vocis significatione declarari, neque vetus & genuinum nomen Bethel amisit, quando nouum per irrisionem ei est à prophetis impositum, vt patet ex Amos 4. 5. & 7. capite, cùm antea fuerit Bethauen ab Osea vocata. Quod autem addant septuaginta viri nomen illud Arbath, non propterea reprobandi sunt. Nam etiam cùm narratur genus Abrahæ Geneseôs. 11. additur à 70. Cainam, quem Arphaxat filium esse dicunt, patremque Sale; quod neque in Hebræo, neque in vulgato nostro reperitur; sed in vtraque editione ponitur Arphaxad genuisse Sale: impium tamen esset hac de causa reijcere septuaginta viros. Nam eos Lucas genus Christi declarans cap. tertio sequitur. Quare non est cur hoc loco non probemus septuaginta, quos tanti Euangelistæ faciunt. Missi igitur sunt hi viri ad deprecandum faciem Domini: quid autẽ precari volebant?
3 *Vt dicerent* (inquit) *sacerdotibus Domini exercituum, & prophetis, loquentes, Nunquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis?* Quoniam quinto mense, id est, Iulio vrbs vna cùm templo incensa est, instituerunt illo mense Iudæi ieiunium, quod toto captiuitatis tempore seruárunt. Cùm verò fama iam esset de felici vrbis, ac templi ædificatione, sui desiderij compotes, quærebant ex sacerdotibus, & prophetis, an ne vltrà sibi flendum, id est, ieiunandum à cibo, & delicijs, & alijs rebus esset abstinendum, sicut annis superioribus abstinuerant. Id enim significat sanctificare se, religiosè ab aliquibus rebus, ne se contaminent, abstinere. est enim in Hebręo נָזַר *nazar*; quod est diuidere, ac separare se. Ex quo Nazaræi vocantur, quòd se à delitijs separent. Septuaginta verò hunc locũ ita transferunt εἰσελήλυθεν ὧδε ἐν τῷ μηνὶ τῷ πέμπτῳ τὸ ἁγίασμα, καθότι ἐποίησαν ἤδη ἱκανὰ ἔτη. Ingressa est huc in mẽse quinto sanctificatio, iuxta quod fecerunt annis pluribus. Quę trãslatio valde displicet Hieronymo: dicit enim ex huius interpretationis errore, alios in errorem incidisse: sed equidem licet non sit verbum de verbo versum, eandem omnino habet sententiam, quã Hebraica, vulgata, Hieronymi, hoc est; num appetente mense quinto ingredietur etiam sanctificatio? id est, incipiemus ieiunare, & flere, & à delitijs abstinere? quod vno sanctificationis

Sãctificare se quid significet.

Septuaginta versio cum nostra conciliatur.

Humanū ingeniū diuersissimè exponitur. cationis nomine (vt iā explicauimus) comprehenditur, vt multis iam annis fecimus. Quare non puto errasse septuaginta, vt Hieronymus existimat. Hic tamē animaduertere licet hominū ingeniū, qui ferè semper aduersa fortuna cōmouentur, vt sibi in voluptatibus, & delicijs tēperēt, vt lachrymis, & pœnitentiæ squalori se dedāt: rebus autem prosperè fluētibus se ad luxuriam conuertunt, pœnitentiamque, ieiunium, & vitæ parsimoniam
2. Reg. 12. abijciunt. Ita Dauid quòd puerum, quem vehementer amabat, morientem vidit, plorabat, cibum repudiabat, in cinere, sordibusque iacebat. Id quod etiā fecit cùm pestem grassantem videret, & cùm vrbe ab Absalone pelleretur: cùm tamen grauissima peccata admisisset, nihil simile fe-
3 Reg. 21. cisse dicitur. Ita Achab de scelere illo truculentissimo, quo Naboth indignam mortem conflauit, non doluit quòusque Elias ei grauissimas pœnas pendendas esse dixit. Idem ex Niniuitis, & multis alijs cognoscitur. Ac denique populus instituit ieiunium, atque sanctificationem, & continentiā eo mense seruandam, quo templum est vastatum, & vrbs: non quò tempore scelera grauissima fecit: quàm primùm verò templum, & vrbem feliciter restitui audiuit, quærit vtrum sit institutum illud reuocandum? Quod quidem coniecturam facit, non tam Dei offensa eos, quàm pœnæ metu ad pœnitendum dolēdum, & se con-
Quid differat inter bonos & iniquos pœnitentia. tinēdū moueri. Differt tamē inter bonos, & iniquos huiusmodi pœnitentes: quòd hi supplicium tātum pœnitentia volunt auertere, neq; Dei offen-
1. Reg. 15. sionem admodùm curāt; vt Saul, qui ne regno spoliaretur, peccasse confessus est: illi verò, licet terrore pœnarū moueātur, in eis tamē non persistūt, sed imprimis dolent propter Deum, quem cum vnicè diligant, grauiter illum offendisse ferunt. Verùm enim- *Quæ nam perfectissima pœnitentia sit.*
uerò illa perfectissima pœnitentiæ ratio est, cùm peccator, antequam quid quam pœnarum impendere sentiat, propter vnam Dei offensam graui cō mouetur dolore, lachrymas effundit, magnoque seipsum supplicio coercet: vt Petrus Apostolus, & Maria Magdalena fecerunt. huiusmodi Deus viros insigni quadam beneuolentia, ac misericordia complectitur. Exposita populi quæstione, quid eis noster propheta nomine Dei responderit, videamus.

4 *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens,*

5 *Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens, Cùm ieiunaretis, & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos: nunquid ieiunium ieiunastis mihi?* Septimo mense ieiunium fuit institutum, quod eo fuerit Godolias ab Ismaele interfectus, & populus, qui post vrbis incendium reliquus fuerat in AEgyptum fugiens dispersus, quærebant etiam, num hoc ieiunium seruandum esset? quoniam audierant Iudæos Ierosolymam redire. Quare de vtroque ieiunio propheta eis Dei verbis respondit, ostendens quàm parui apud Deum momenti eorum ieiunium foret, quaque ratione Deus potissimùm placetur. Parui *Quòd ieiuniū parui apud Deum momēti esset.*
autem autem momenti ob eam rem erat ieiunium, quòd non Deo, sed sibi ieiunabant. id est, non Dei amore ducti, & eum offendisse dolentes; sed vt exilij, euersionisq; patriæ, & aliarum pœnarum, quas ob sua scelera perferebant, veniam impetrarent. Itaque nō tam peccatum, quàm supplicium

tollere

tollere ieiunio nitebantur. Quare par ſimoniam, & continentiam potiùs ad ſuam vtilitatem, quàm ad Dei glo riam referebant: oportunéq; eos propheta de hac re increpat. Ipſo enim facto ſuo conuincebantur, qui quàm primùm calamitatem depulerunt, no lebant parcè, ac continenter viuere. Quocirca ſola calamitas ſuperioris ie iunij cauſa eſſe apertè ſignificabatur. Ex quo intelligitur eos, qui dum priuatam vitam agunt, parcè, ſobriè, & continenter viuunt, poſtea verò altiorem in Republica gradum conſecuti, genus vitæ commutantes, effuſè, molliter, & delicatè vitam traducunt, non leui eſſe argumento antea non Deo, ſed ſibi ſobrietatem, & parſimoniam ſeruaſſe. Vir enim virtute præditus, quò magis ei arridet fortuna, eò ſibi magis in rebus omnibus temperat, ne blãda illa aura negligentior factus, de virtutis gradu deijciatur. Ita Dauid de ſe dicit poſtquam re gnum eſt conſecutus; Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam; ſubaudi, mihi iraſcaris, aut in me animaduertas.

Qui coniecturam afferãt non Deo, ſed ſibi parſimoniam ſeruare. Vir optimus quò magis ei arridet fortuna ſibi magis in rebus omnibus temperat.

Pſal. 131.

6 *Et cùm comediſtis, & bibiſtis: nunquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis?* Id eſt, omnia ad veſtram vtilitatem refertis. Vt enim comeditis, & bibitis, non vt mihi, & ad meam gloriã alamini; ſed vt famem, & ſitim depellatis: ſic ieiunatis non mihi, ſed vt malis liberemini. Eſt pulchra comparatio ſine nota comparationis; quod frequenter vſu venit in ſacris literis, vt illud Iob; Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum, id eſt, ſicut auis ad volatum naſcitur; ita & homo ad laborem. Quibus verbis eis propheta ſignificat, nõ magis eos irã Dei ieiunando, quàm comedẽdo placare: quippe qui vtraque re ſuum tan tùm commodum ſpectabant. Nam ſi Dei gloriam quærerent, & eius offenſionem ieiunij pœna compẽſare; nunquam reliqua eius iuſſa, atq; præcepta nefariè violarent. Quo loco op timè explicatur alius Eſaiæ locus. capi 58. quo populi etiam ieiunandi ratio nem reprehendit; Ecce (ait) in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra: quod nonnihil difficultatis habere vi detur, quæ ſit voluntas hæc, quæ ieiunium contaminat; & parum gratum Deo altiſsimo reddit: quã nihil aliud eſſe duco, niſi quod incommoda ſua propellere potiùs, quàm Deo ſatisfacere ieiunando ſtudebant. Quare hęc duo loca vim habẽt admirabilem ad eos reprehendendos, qui ieiunant, & alijs ſe ſupplicijs coercent; vota nũcupant, preces & ſacrificia faciũt, non vt Deo gratum faciant, pietatemque ad uerſus eum, & reuerentiam præſtent; ſed vt damna, quæ timent, & incõmoda vitent; vel vt res, quas ardenter cupiunt, & in votis habent, adipiſcantur. Quare veri ieiunij eis rationem exponit, ex quo aliorum etiam officiorum erga Deum ratioñe, modumque intelligemus: citans in hanc rem prophetas eos, qui ante captiuitatem fuerunt, per quos verum eis ieiunandi modum expoſuit: quod hanc noſtram Eſaiæ explicationem probabiliorem facit.

Iob. 5.

Vehemẽs propheta argumentum ad quoſdam homines conuincendos nõ magis eos ieiunãdo, quàm comedẽdo Dei iram placare Eſaia locus ex ponitur.

Eſai. 58.

Vehemens locus ad quorũdam hominũ officia reprehendenda.

7 *Nunquid non ſunt verba, quæ loquutus eſt Dominus in manu prophetarum priorum, cùm adhuc Ieruſalem habitaretur, & eſſet opulenta, ipſa & vrbes in circuitu eius, & ad Auſtrum, & in campeſtribus habitaretur?* Prophetas priores vocat eos, qui ante captiuitatem, vt dixi, fuę runt:

runt: quod ipſe declarat adiungens. *Quum adhuc Ieruſalem habitaretur, & eſſet opulēta,&c.* Illud verò. *Ad Auſtrum, & in campeſtribus habitaretur;* Ad magnam eam tranquillitatem, & ſecuritatem ſignificādam dicit, qua tunc fruebantur. Ciuitates enim quæ ſunt in locis planis, olim minùs tutæ habebantur: quippe quæ non eſſent natura munitæ. & quia hæc loca plana ad Ieruſalem relata, ad Auſtrū vergebant; ob eam rem dicit, cùm habitaretur ad Auſtrū, cùm eſſet adeò potens, & cæteris regnis adeò terribilis, vt nullis muris eius coloni ad habitandum egerēt, ſtatum ciuitatis cùm eam prophetæ monerēt, ſcripſit. iam quid dixerint videamus.

8 *Et factum eſt verbum Domini ad Zachariam, dicens,*

9 *Hæc ait Dominus exercituum, dicens; Iudicium verum iudicate: & misericordiā & miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo.* Hæc ſunt mādata, quæ alijs prophetis à Deo ad populum data ſunt, vt ex fine clauſulæ intelligitur, quæ identidem à noſtro propheta dici, atque nuntiari iubentur. Semper enim id prȩſtare oportet eos, qui Deo placere cupiunt.

Iudicium verum iudicate. Hoc pertinet ad iuſtitiam, virtutem ſpecialem: id eſt, ius æquale omnibus dicite, nec diuites, aut amicos reuereamini, neque pauperum clamore flectamini, ſed vnam æquitatem ſequimini.

Iudicium verum quando redditur. Quod autem dicit, *Verum*, Id eſt, ne mentiatur iudicium: quod fiet, aut tribuendo alicui, quod ſuum nō erat, aut detrahendo, quod erat ſuum; ſed

Exod.23.a. æqualitatem conſtituat. vt in Exodo præcipit. Nec in iudicio plurimorū acquieſces ſententię, vt à vero deuies: pauperis quoque non miſereberis in iudicio. & paucis interiectis adiungitur; Non declinabis in iudiciū pauperis, id eſt, ne ab eo propter paupertatē eius declines, & ad diuitē inclines. hoc ipſum eos antè monuit Eſaias; *Esai.1.f.* Quærite iudicium (dicens) ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Sed huiuſmodi iudicium ab eis eſſe corruptum clamat eodem capite dicens; Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequūtur retributiones: pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. & luculenter Dauid; Vſ- *Psal.81.* quequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis. Iudicate egeno, & pupillo: humilem, & pauperem iuſtificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.

Et miſericordiam, & miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo. Non ſolùm præcepta iuſtitiæ, ſed etiam miſericordiæ oportet tenere eos, qui Deo grata obſequia exhibere deſiderant. *Miſericordiæ præcepta oportet tenere eos qui Deo placere volūt.* Vt enim ipſe miſericordiam ſuam erga nos, præter cæteras virtutes ſuas, oſtendit: ita ei miſericordes, & humani viri gratiſsimi ſunt: contrà verò nullos magis execratur, quàm crudeles, & immanes homines, qui nihil alienis lachrymis, & miſerijs mouentur. *Nullos magis execratur Deus quàm crudeles & immanes homines.* & ita Salomon ait in Prouerbijs; Qui ſeminat iniqui- *Prou.11.b.* tatem, metet mala, & virga iræ ſuæ conſummabitur. quod de illis intelligit, qui ſunt immites in proximos ſuos. Sequitur enim; Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pauperi. Per Oſeam enim hoc etiam populo *Osee.6.d.* prædixit; Miſericordiam volui, & non ſacrificium, id eſt, ſi alterum

præ-

prætermittendum est, malo vt sacrificium prætermittatur. Magis enim Deus amat hostia famelicũ ali, quàm sibi offerri. quòd longè pluris misericordiam faciat, quàm ieiunium, apertissimè per Esaiam ostendit dicens; Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe: frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuã. quum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur. id est, calamitatis tenebris liberaberis, ac damna, & detrimenta omnia resarciētur. Nulla enim re magis ira Dei punientis, & pœnas scelerum repetentis, quàm misericordiæ, & benignitatis officijs mitigatur. Et ita Daniel Nabuchodonosori, iamiam pœnas flagitiorum eius Deo minante daturo consuluit, vt eas eleemosyna, & beneficijs erga pauperes compensaret.

Magis Deus amat hostia famelicũ ali quam sibi offerri.

Esa. 58.

Pluris Deus facit misericordiã quam ieiunium.

Nulla re magis ira Dei quam benignitatis officijs mitigatur.

Dan. 3.

10 *Viduam, pupillum, & pauperem nolite calumniari.* Et hoc ad iustitiã pertinet: quod singulariter cõmẽdat; quoniam frequẽter vsu venit, vt homines audeant lites iniustas pauperibus, & præsidio destitutis intẽdere; quò illorum bona diripiãt, scientes, ꝙ ope & opibus careant ad suũ ius persequendũ: & ob hanc rem sciẽtes se iure esse inferiores, varijs calumnijs causam extrahunt, vt nõ iure, sed paupertate oppressi causa cadant. Hoc igitur est pauperem calumniari, per calumniam, & malitiosam iuris interpretationem, falsamque allegationem, vel per fraudem quamcumque aliquid ab eo petere, vel ei negare. id quod Paulus, ne fiat, monet. Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. Hunc verò locum citare videtur primæ Corinthiorum sexto, quo eos reprehẽdit, qui iudicio cum alijs contendunt. Verbum autem Hebræum est עשק *hasic*, quod latiùs patet quàm calumnior: quãquam ferè semper ita redditur à Hieronymo, atq; vulgato nostro. Nam calũniari est in litibus per fraudẽ, aut subdolã ratione aliquẽ vexare: illud verò quãcunq; oppressionẽ, etiam extra litẽ, qua alterius bona aut occupãtur, aut fraudulenter capiũtur. De his igitur omnibus noster propheta loquitur, prohibens vllo modo iniuriã pauperi fieri. & Sapiens in Prouerbijs hoc verbo vtens, Qui calumniatur (ait) egentem, exprobrat factori eius: vel quòd eum talem fecerit; vel quòd putet talem curæ non esse ei. quæ vna res vel maximo omnibus terrori futura erat, ne pauperes calumniarentur, & opprimerent: præsertim cum mox idem Sapiens adiungat; Honorat autem eum, qui miseretur pauperis: sicut patrem honoraret quispiam, si oppresso filio ferret opem.

Singularis quadam diuisiõ in pauperes iniquitas.

Quid sit pauperem calũniari.

1. The. 4. b

1. Cor. 6.

Quam graue crimen sit pauperem calumniari.

Prou. 14. d.

Et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Sicut improba facta displicent Deo, ita & cogitationes iniquæ. Est enim mala mens omnium criminum fons, & origo; neque tam facta ipsa, licet impia, & sceleratissima sint, quàm iniquum, & sceleratũ animũ, à quo sunt profecta, execramur: adeò vt Seruator noster dicat; Non quod intrat per os, coinquinat hominẽ, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominẽ. quod ipse paucis interie

Mala mens omnium criminum fons, & origo est.

Matt.15.b. ctis declarans ait; Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt quæ coinquinant hominem. Quare si recti esse cupimus, priùs nobis animus confirmandus est: fieri enim non potest, vt qui improbo sit animo, à scelere se diu cohibere posśit, vt Christus ait: Non potest arbor mala fructus bonos facere. quod de mala mẽte plerique interpretantur. Et ob eam rem Esaias populum monens, vt desinat iniquus esse, frugíque fiat, docens quomodo id agendum sit, à capite orditur dicens; Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè: discite benefacere. His tamen locis operæpretium est animaduertere, quomodo duabus virtutibus, iustitia, atque misericordia erga proximos, vniuersam legem comprehendit: de pietate verò, & religione erga Deum, nullam mentionem facit. Nam fieri non potest, vt qui erga proximos bonus sit, erga Deum sit iniquus. Talem enim virum Deus sibi cociliabit: & quamuis de Deo nihil audiuerit, ipse ei sui notitiam præbebit. Ita Salomon in Prouerbijs totam officij vim his duabus partibus amplexus est dicẽs; Qui sequitur iustitiam, & misericordiã, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam. & Paulus idipsum disertisśime probat, Qui diligit (inquiẽs) proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, &c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Plenitudo ergo legis est dilectio. At dilectio, & charitas erga proximum, iustitia, & misericordia tota continetur. Quare magno studio his duabus virtutibus operam dare debemus: in quibus docendis, monendis, suadendis, tota ferè sacrosancta scriptura versatur. Nemo mihi vnquam probabit Deum ab eo diligi, qui proximum, quem nobis ipse ita commendat, non diligat? Sed nulla maior harum virtutum commendatio cõmemorari potest, quàm quòd Deus summam faciens hoc loco omnium sermonum, orationum, narrationum, rerum denique omnium, quas populo per prophetas, & sanctos viros suos nunciari voluit, has tantùm virtutes subducat. Sed quàm bene populus his duobus iussis obtemperauerit, atque hæc duo breuisśima præcepta tenuerit, declarat mox propheta noster dicens;

Qui improbo sit animo à scelere se diu cohibere non potest.

Matt.7. Esa.1.c. Pro.21.c. Rom.13.

Duabus virtutibus iustitia, atque misericordia vniuersam legem propheta comprehendit.

Charitas erga proximũ iustitia & misericordia tota continetur.

Iustitia atque misericordia summam Deus fecit omniũ verborum suorum.

11 *Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes: & aures suas aggrauauerunt, ne audirent.*

12 *Et cor suum posuerunt vt adamantem ne audirent legem, & verba, quæ misit Dominus exercituum in Spiritu suo per manus prophetarum priorum.* Ad mirabili ac diuina prorsus dicendi ratione populi contumaciã, & insolentiã amplificat, disertisśimasq; in oratione accesśiones facit; ex quibus eorũ hominũ progressum, qui Dei verba incipiunt repudiare, intelligemus.

Progressus eorum hominum qui Dei verba incipiunt repudiare.

Noluerunt, inquit, attendere. Id est, res alias agebãt cùm eis prophetæ loquebantur, non magnopere quæ dicebãtur curantes: ita vt quamuis corpore loquentibus adessent præsentes, longè tamen mente aberant. Quorum similes sunt, qui conciones quidem audiunt, nihil tamen minùs attendunt, nihil minùs cogitant, quàm quæ à concionatoribus prędicantur: de qui-

Cuiusmodi crimen sit cõciones licet audiantur, non attendere.

Esa.43.b. de quibus dicit Esaias. Surdi sunt, & aures eis sunt: quamuis enim aures habeant patefactas, quia nolunt attendere, surdi habentur: cui rei si non medeantur; citò ad alium longè deteriorem contumaciæ gradum peruenięt, vt non solùm non attendant; sed etiã audire nolint: quem gradum propheta declarat dicens;

Auerterunt scapulam recedentes. Iniquum est non attendere animum ad recta monentem, sed longè iniquiùs nolle talem virum audire, fugere prophetam, & concionatorem monentem, nec velle interesse orationi de lege Dei disserenti: quos imitantur, qui nunquam concionibus adesse volũt; quos tam difficilè est fructum vllum pietatis ferre, quàm hortos, qui non sunt irrigui. tam difficile suorum peccatorum ægritudines curabũt, quàm ægroti periculoso morbo laborantes, si medicos omnes respuant. De quibus dicit Oseas; Sicut vacca lasciuiens declinauit Israel, id est, quæ subterfugit eum, qui ei iugum imponere conatur. quare verè isti vocantur rebelles, & indomiti. Est & alius pertinaciæ gradus his duobus deterior: nam licet sit improbum fugere eum, qui de doctrina Dei verba facit: magis tamen improbum est non solùm fugere, sed ne fugiẽtem voce assequamur, aures claudere, ac planè nolle scire legem Dei; quos noster propheta describit dicens;

Cuiusmodi crimen sit se concionibus adesse nolle.

Quam difficile peccatis leuentur qui concionibus adesse nolũt.

Osee.4.d.

Et aures suas aggrauauerunt ne audirent. Scelus quidem detestabile. hanc vocant Theologi ignorantiam affectatã, id est, quæsitam, qua vult peccator ignorare, & erudiri recusat: quã meritò dicunt crimen ex se natũ longè deterius facere. istiusmodi homines Dauid comparat aspidi surdæ obturanti aures suas: qui verè sunt nefarij, & profligatissimi homines, & ad omne facinus immane proiecti. huiusmodi homines impiè interfecerũt Protomartyrem Stephanum: de inimicis enim eius dicitur in Actis, quod ipso de Christo disserente, obturárũt aures suas: & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Sed sunt alij longè detestabiliores omnibus ijs, qui non solùm verbis, sed neque verberibus corrigi à Deo possunt: quamuis denique omnem lapidem (vt dicitur) in illis suadendis moueas, citiùs marmor dicendo confringas, quàm illis quidquam persuadeas. de quibus noster propheta dicit;

Quantũ crimen sit ignorantia affectata.

Psal.57.a.

Acto.7.

Cor suum posuerunt vt adamantem. Vt enim adamas nulla re mollitur: ita isti neque sermonibus vllis, nec plagis, neque beneficijs in officio teneri possunt. Hi Pharaonem illum incredibili contumacia, & petulantia insignem sequuntur; qui tot, tamque extremis, pestiferisque plagis nunquam fuit commotus, sed corde tam stupido fuit, vt Deo posse resistere putauerit. de eisdem ita loquitur Esaias; Sciui, quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. Frontẽ æream habere dicuntur; quia nullo pudore afficiuntur, vt dicit Ieremias; Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, id est, nullis contumelijs, nullis ignominijs vllam facis significationem pudoris. Contumacia igitur à parùm attenta consideratione doctrinæ, & præceptorum Dei incipiens extrema fit, cùm nullis plagis, nullis verberibus, nulla denique vi homo adducitur, vt Dei iussis obediat; ex suisque gradibus, quos sapientissimè vates noster hoc loco ponit, quãtùm quisq; in ea profe-

Cuiusmodi malum animi obduratio sit.

Esa.48.b.

Iere.3.b.

Contumacia à quo incipiat, & quã do extrema fiat.

Quomodo eis men sit non audire verbum Dei. profecerit, intelliget. Auget etiã scelus contumaciæ Iudæorum ex adiunctis verbi Dei; quòd inquam non fuerit ab hominibus, sed à Deo, cui omnes natura dicto audientes esse debemus: quippe qui sit totius mundi Rex, & Imperator, à quo creati, & in vitam editi sumus; à quo alimur, & quidquid boni habemus, accepimus. Ac denique extremæ dementiæ est, ei non obedire, qui sit Dominus exercituum, id est, tantis copijs munitus ad eos delendos, qui ei repugnabunt: qui est tandem omnipotens, vt Septuaginta interpretes conuertunt. Quare facilè rebelles, & repugnantes perdere, ac dissipare potest. Quod optimè intellexit Regum potentissimus Nabuchodonosor, re *Dan.5.* ipsa doctus, cùm sanus factus dixit; Non est qui resistat manui eius, & dicat quare fecisti sic. Cum dicit;

In Spiritu sancto suo per manum prophetarum priorum. De Spiritu illo loquitur, quo agebantur prophetę Dei oracula efferentes. hoc est, eis verbis ausi sunt nõ obedire, quæ licet ab hominibus enunciarentur, erant tamen Dei sententiæ, quas per os prophetarum priorum loquebatur. quemad- *Hebr.1.* modum Paulus dicit; Multifariam, multisque modis olim Deus loquẽs patribus in prophetis.

Et facta est indignatio magna à Domino exercituum. Egit de culpa, & scelere populi; nunc de pœna, atque supplicio, id est, vehementer eos vltus est, atque puniuit, vt ipse statim declarat, mox huius indignationis modũ narrans, cùm in exilium pulsos, ac patriã *Qua ratione Deus irasci dicatur.* eorum vastatam esse dicit. Quare cũ Deus pœnas repetit, irasci dicitur: nõ quòd vlla perturbatione ipse commoueatur; sed quòd speciem irati hominis exhibere videatur. quomodo autem locus hic conciliãdus sit cum illo primi capitis; Ego iratus sum pa- *Zach.1.* rũm: tum, cùm à nobis tractaretur, expositum est.

Et factum est sicut locutus est, & sicut non audierunt sic clamabunt, & nõ exaudiam, dicit Dominus exercituum. Correctiùs hũc locum legit Plantinus, qui ita legit; Sicut locutus est; & non audierunt, &c. & ita est in Hebræo, & in Septuaginta. Et est quidem tanto scelere digna, & aptissimè accommo- *Pœna eius qui Deũ monentẽ non audit.* data pœna, vt is, qui Deum cùm clamaret recta monendo, non audiuit, nec ipse vicissim audiatur, cùm clamauerit ab eo auxilium petendo. Est enim insignis impudentia, vt is non vereatur in angustia positus ad eum confugere; eius auxilium implorare, quem saluis, integrisq; rebus suis semper contempsit, & pro nihilo duxit. Idipsum magno verborum pondere Sapiens docet in Prouerbijs dicẽs ver- *Prou.1. c.* bis Dei; Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne cõsilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, quum vobis id, quod timebatis, aduenerit. Cuius rei mirabile extat exẽplum in 2. Ma- *2.Mac. 11.* chabæorum vndecimo capite: quo loco miserabilis Antiochi Regis immanissimi mors narratur: qui viuens fuit à vermibus confectus: cùmque acerbissimo dolore, & intolerabili affectus cruciatu Deum anxiè precaretur, dicit scriptura: Orabat hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Quemadmodum ergo, vt interiori capite noster vates narrat, cùm esset vrbs opulenta; & ab hostibus tuta, Deus non desine-

desinebat monere, denunciare, ac cœlos denique ipsos per prophetas suos testari, ipsique rebus ad voluntatem fluentibus elati, tantos clamores, as si duasque voces despiciebant: quò factum est, vt postea inclinatis iam rebus, viribusque destituti; quamuis Dei opem, & patrocinium implorabant, nunquam eis auxilio fuit, neq; eorum preces audisse vnquam significauit, ita vt Ieremias dicat cùm tantas sui populi miserias videret; Oppo suisti nubem tibi, ne transeat oratio: ita rebus nostris saluis, & integris, bonaque valetudine fruentibus, Deus per concionatores non desinit nos monere, suadere, deterrere: Valde ergo timere debemus, ne si claudamus aures eius monitis, consilijs, obiurgationibus, atque præceptis, cùm calamitate aliqua iactati, aut à morte (quod est grauissimum) circumuenti ipsius ope egeamus, vicissim etiam ipse aures suas claudat, nosque de salute certantes irrideat, ac inimicorum libidini relinquat. Rectè ergo monet Dauid dicēs; Hodie si vocē eius audieritis, nolite obdurare corda vestra: cras enim nescimus quid nobis futurum sit. Si autem Deum audiamus, & eius iussis obtemperemus, ac præcepta teneamus; sine dubio ipse preces nostras audiet, in calamitatibus aderit, securosque ab omni reddet periculo, vt ipse in Prouerbijs pollicetur; Qui me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

Threa. 3. e.

Psal. 94. b.

Si Deū nos audiamus vicissim & ipse preces nostras audiet.

Pro. 1. d.

14 *Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt: & terra desolata est ab eis, eò quòd non esset transiens, nec reuertens: & posuerunt terram desiderabilem in desertum.* Par pari relatum est, vt ij, qui mitissimum Dei regnum despexerunt, in alia regna varia dispergantur: & ij, qui Deo, quem Regem verum suum nouerant, obedire noluerunt, incidāt in manus Regum crudelissimorum, vt ex aliorum tyrannide discant facilitatem, & humanitatē Dei. Ita Esaias anxiè queritur dicens; Domine Deus noster possederūt nos Domini absq; te. Dici verò non potest, quàm intolerabiles, & immanes sint omnes ij, qui absque Deo dominantur; quamque miserum sit eorum imperium, quod non vt ratio, sed vt libido postulat, administratur.

Quas pœnas afficiantur, qui Deo regi nolunt obedire.

Esa. 25.

Quam intolerabiles sint qui absque Deo dominantur.

Et terra desolata est ab eis, eò quòd non esset transiens, nec reuertens. Solet homines vt vrbes firmas, & ab hostibus tutas efficiāt, eas mœnibus, amplissimis fossis, turribusque cingere: at nulla re firmior, tutiorque redditur, quàm iustitia, ac pietate: contrà verò nihil est quod ita vastet, & exinaniat non solùm vrbes, sed etiam prouincias, quā vitia, atq; scelera. Est enim vitium serpens, lateque manans, quasi turbo, ac tēpestas regni, contra quod nullo certo, firmoque præsidio muniri possumus. Quis enim exinaniuit Sodomā, nisi vitia, atque peccata? quis ita vastauit Iudæam, prouinciā frequētissimā, vt non esset transiens, nec reuertens, (vt hic noster dicit vates) nisi vitia atque peccata? hoc eis prædixerat futurū Esaias; Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequā. Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succēsæ igni, regionē vestrā corā vobis alieni deuorāt, & desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Siō sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, id est, ferè ciuibus omnibus, & oppidanis orbabitur; cuius rei peccata in causa

Nihil est quod ita vastet prouincias quam vitia atque scelera.

Esa. 1. b.

esse significauit, cùm priùs peccata obiurgauit. Dauid quandiu vitam sine crimine egit, latè propagauit fines imperij sui, nedum se à Philistæis, & hostibus finitimis defendit: at postquam scelus illud admisit, parùm abfuit, quò minùs res sua funditus euersa periret. Quare nulla re se meliùs Rex sapiens muniet, quàm iustitia, & æquitate; neque vllos maiori studio hostes regno suo pellere, quàm iniquos, & sceleratos homines debet. id quod Salomon in Prouerbijs monet dicens; Dissipat impios Rex Sapiens, & incuruat super eos fornicem. Fornix, siue rota est genus supplicij, quo vtebantur Hebræi. quod consilium suscipiens sanctissimus ille Rex Iosias, Deiram; de qua noster propheta disserit, in populum propter scelera sua impendentem, ac iamiam venturam, per totum suæ vitæ tempus sustinuit. Ac præterquam quòd terra incolis spoliata, vastaque omnis facta est, inculta præterea, & ita sterilis reddita fuit, vt cùm antè amœnissima & fertilissima fuisset, desertissima videretur solitudo: eoque noster propheta adiunxit.

Nulla re se meliùs Rex Sapiens munit quàm iustitia.

Prou. 20. d.

4. Reg. 23.

Posuerunt terram desiderabilem in desertum. adeò vt bestijs efferata fuerit, vt narratur quarto Regum decimoseptimo. Ex quo illud cognoscitur, quod Dauid ait; Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. adeò pestifer turbo, ac dira tempestas est scelus, atque flagitium, vt non solùm homines infirmatos enecet, innumerabiles per varias mundi partes dispergat, vrbes diruat, agros populetur, atque vastet; sed etiam pauimentum ita inficiat, atque contaminet, vt ex fertilissimo sterilissimus fiat.

4. Reg. 17.

Quantũ malum scelus sit

Psal. 106. d.

CAPVT. VIII.

1 *ET factum est verbum Domini* A
exercituum, dicens,
2 *Hæc dicit Dominus exercituum,*
Zelatus sum Sion zelo magno, & in
dignatione magna zelatus sum eam.
3 *Hæc dicit Dominus exercituum:*
Reuersus sum ad Sion: & habitabo
in medio Ierusalem: & vocabitur Ie-
rusalem Ciuitas veritatis, & Mons
Dñi exercituum, mons sanctificatus.
4 *Hæc dicit Dominus exercituum:*
Adhuc habitabunt senes, & anus in
plateis Ierusalem: & viri baculus in
manu eius præ multitudine dierum.
5 *Et plateæ ciuitatis complebuntur*
infantibus & puellis ludentibus in
plateis eius.
6 *Hæc dicit Dominus exercituum,*
Si videbitur difficile in oculis reli-
quiarum populi huius in diebus illis,
nunquid in oculis meis difficile erit,
dicit Dominus exercituum?
7 *Hæc dicit Dominus exercituum:*
Ecce ego saluabo populũ meũ de ter-
ra Orientis, & de terra Occasus solis.
8 *Et adducam eos, & habitabunt*
in medio Ierusalem: & erunt mihi in
populum, & ego ero eis in Deum in
veritate, & in iustitia.
9 *Hæc dicit Dominus exercituum,* B
Confortentur manus vestræ, qui audi-
tis in his diebus sermones istos per os
prophetarum in die, qua fundata est
domus Domini exercituum, vt tem-
plum ædificaretur.

10 *Siqui-*

10 *Siquidem ante dies illos merces
hominum non erat, nec merces iumen
torum erat, neque introeunti neque
exeunti erat pax præ tribulatione: &
dimisi omnes homines vnumquemque
contra proximum suum.*
11 *Nunc autem non iuxta dies prio-
res ego faciam reliquijs populi huius,
dicit Dominus exercituum.*
12 *Sed semen pacis erit: vinea dabit
fructum suum, & terra dabit germẽ
suum, & cæli dabunt rorem suum: &
possidere faciã reliquias populi huius
vniuersa hæc.*
13 *Et erit: sicut eratis maledictio in
Gentibus, domus Iuda & domus Is-*
C *rael: sic saluabo vos, & eritis benedi-
ctio: nolite timere, confortentur ma-
nus vestræ.*
14 *Quia hæc dicit Dominus exerci-
tuum, Sicut cogitaui vt affligerẽ vos,
cùm ad iracundiam prouocassent pa-
tres vestri me, dicit Dominus, & non
sum misertus.*
15 *Sic conuersus cogitaui in diebus
istis vt benefaciam domui Iuda & Ie-
rusalem: nolite timere.*
16 *Hæc sunt ergo verba quæ facie-
tis, Loquimini veritatem vnusquisq;
cum proximo suo: veritatem & iudi-
cium pacis iudicate in portis vestris.*
17 *Et vnusquisque malum contra
amicum suum ne cogitetis in cordi-
bus vestris: & iuramentum mendax
ne diligatis: omnia enim hæc sunt quæ
odi, dicit Dominus.*
18 *Et factum est verbum Domini
exercituum ad me, dicens.*
19 *Hæc dicit Dominus exercituũ,
Ieiunium quarti, & ieiunium quinti,
& ieiunium septimi, & ieiunium deci
mi erit domui Iudæ in gaudiũ, & læti
tiam, & in solennitates præclaras: ve* D
ritatem, tantùm & pacem diligite.
20 *Hæc dicit Dominus exercituũ,
Vsquequo veniant populi, & habitẽt
in ciuitatibus multis.*
21 *Et vadant habitatores vnus ad
alterum, dicentes, Eamus & deprece
mur faciẽ Domini, & quæramus Do
minum exercituum, vadam etiã ego:*
22 *Et venient populi multi, & gen
tes robustæ ad quærẽdum Dominum
exercituum in Ierusalem, & depre-
candam faciem Domini.*
23 *Hæc dicit Dominus exercituũ,
In diebus illis, in quibus appreben-
dent decem homines ex omnibus lin-
guis Gentium, & apprehendent fim-
briam viri Iudæi, dicentes, Ibimus vo
biscum: audiuimus enim quoniã Deus
vobiscum est.*


T factum est verbum Domi- 1
ni exercituum, dicens,
2 *Hæc dicit Dominus exer-
cituum, Zelatus sum Sion
zelo magno, & indignatione magna zela
tus sum eam.* Deus sibi Sion desponsa-
uerat: nam quemadmodum vir, qui
vxorem ducit, ferit cum ea huiusmo-
di fœdus, vt sua ipsa, vicissimque ipse
eius sit: ita & Deus cùm populo fœ-
dus icit, vt narratur Exodi vigesimo- Exod.24.

quarto, vt se, & non alium haberent pro Deo, ipseque vicissim omnia eis ad vitam degendam necessaria cumulatè præbiturum spondet: Deusque pro sua misericordia populum hunc tam ardenter amabat, quàm vir sponsam, quam vnicè diligit. Nulla verò pulchritudine, nullis eius diuitijs cómotus eã sibi locauit. Erat enim omnibus parentum præsidijs orbata, captiua, neglecta, ac deniq; vestibus nuda: siquidem erat in potestate Pharaonis, velut mancipiũ vile, obsequijs vilissimis addicta: eam tamen Deus redemit, restituit, vestiuit, ornauit, dotemque ei maximam dixit, ac deniq; sibi duxit, cuius matrimonij rationé copiosissimè, illustribusq; verborum & sententiarum figuris persequitur Ezechiel vigesimoseptimo capite: sed ipsa promissis non stetit; quamuis tot accepisset beneficia, virum suum negauit, & multis alijs sui potestatem fecit; ad idola defecit, idola habuit pro Deis, idolis officia, quæ Deo debebãtur, præstitit. Hinc Dei zelus vehemẽter comotus est: quò enim maiori eã amore prosequebatur, eò maiori fuit elatus ira: quod cuique viro vsu veniret, qui tam anxiè vxorem suam deperiret, & ob eam rem dicit,

Cuiusmodi fœdus Deus cũ populo iecerit.

Quam vnicè Deus populũ suũ diligebat

Ezech. 16.

Et indignatione magna zelatus sum eã. Id est, vehementer tantam perfidiam
3 vltus est, totque homines fame, peste, ac ferro cædi permisit, vrbem incendio vastari, templum dirui, reges, & hominum magnam vim per tot annos in hostium potestate esse. Hinc intelligitur non minùs diligendum, & amandum esse Deum incommodis afficientem, quàm beneficia præstantem. Vt enim beneficentia eius; ita & punitio ab eximio, & ardenti amore proficiscitur; quòd fidem, quam ei in baptismo dedimus, impudenter violemus: cum ipse etiam nos captiuos in Dæmonis vinculis detentos, omni præsidio spoliatos, ac planè nudos, ac despectos, Dæmonis potestate liberauerit, gratiæ, fidei, spei, charitatisque donis decorauerit, sibique nostras animas desponsauerit. Quare si nos aliquãdo calamitatibus conflictari patitur, si supplicijs afficit, nó id cótingit q̃ nos perdere cupiat, quos tã vnicè iã inde ab incunabulis dilexit, sed vt meliores efficiat, aut nos ad se, si ab eo defecimus, conuertat. Ita Paulus consolatur christianos varijs modis vexatos, postulatq; ne despondeant animũ: nam pœnæ, & calamitates eorum nó ex ira, sed ex amore Dei erga eos nascuntur: quod vt persuadeat, proponit, quàm acerbis ærumnis sanctorum, & amici Dei conflictati sint; præcipitque vtilius sententiæ, quæ est in Prouerbijs, nunquam memoriã deponamus. Obliti estis (ait) consolationis, quæ vobis tanquam filijs loquitur dicens; Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. in disciplina perseuerate, tanquam filijs vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? & ob eam rem parùm huiusmodi incommoda durant, & multis bonis sæpe commutantur: sit denique quod noster propheta mox dicit.

Nõ minùs diligendũ esse Deum incómodis afficiẽtem quã beneficia præstantem.

Heb. 12.

3 *Reuersus sum ad Sion, & habitabo in medio Ierusalem.* Deseruit Deus Sió, & ob eã rem ingressi sunt hostes eius, tãtaq; ei damna, ac detrimenta intulerunt: nunc reuersurũ se esse dicit. quare egredientur hostes, atque omnia damna,

Nemini bonum priuatur, qui à Deo deseritur, at cui Deus adest omnibus bonis abundat.

damna, ac detrimenta cũ eis. Vt enim
omni bono priuatur is, qui à Deo
Opti. Max. destituitur: ita cui Deus
adest, omnibus bonis abundat; qua-
propter bona, quæ secum vrbi Deus
allaturus est, statim numerat: quę om
nia eò spectant, vt hos nuncios ab eis,
qui erant Babyloniæ, missos, de qui-
bus capite superiori diximus, conso-
letur, & omnem luctum, atque mœ-
rorem, in quo superioribus annis ia-
cebant, deponere iubeat. Sed magno

Quanto studio Deus populi arrogantiam comprimat.

pere considerandum est, quanto stu-
dio Deus populi arrogantiam com-
primat: nam antequam ea immensa
beneficia narret, quæ ei præstaturus
est, ne suo putaret eam ieiunio, & vi-
tæ austeritate meruisse, docuit supe-
riori capite, nihil laudis apud Deum,
nihil commendationis ieiunium eius,
& parsimoniam habuisse, quòd suam
magis vtilitatem ieiunando, sicut co-
medendo, & bibendo, quàm Dei glo

Quo pacto docent Deu beneficia ipse non pro meritis nostris sed pro sua benignitate præstare.

riam quærebant. quare non suis meri
tis debet putare hæc beneficia se fuis-
se consequutum; sed Dei vniuersa be
nignitati, ac liberalitati accepta refer-
re. Similis locus est in Esaiæ capite pri

Esai.c.1.

mo, in quo magna populi scelera,
multaque vitia commemorat, quæ
magno quodam supplicio coercẽda
videbantur: at non supplicia, sed ma-
gna beneficia populo exhibenda ad-
iungit; Væ (ait) genti peccatrici, popu
lo graui iniquitate. &c. cui exprobra-
tioni subiungit. Et cõuertam manum
meam ad te, & excoquam ad purum
scoriam tuam, & restituam iudices

Esai.64.

tuos, vt fuerunt priùs. Ita ipse Esaias
capite sexagesimoquarto Dei patro-
cinium implorat, anxieque petit, vt
cœlos Deus dirumpat, & ad nos tãtis
malis liberandos veniat. quàm verò
indigni tanto beneficio simus, ita fatę
tur dicens; Ecce tu iratus es, & nos pec
cauimus, in ipsis fuimus semper, & sal
uabimur. Et facti sumus vt immundi
omnes nos, & quasi pannus menstrua
tæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Nam

Quæ nobis beneficia Deus sine vllis nostris meritis contulerit.

quòd Deus homo fieret, quòd nos
peccatorum vinculis liberaret, quòd
sacramenta totiùs gloriæ, dignitatis,
clementiæ, bonitatisque diuinæ fon-
tes nobis perpetuis temporibus dura
turos relinqueret, non modò nullus
vnquam homo meruit, sed infinitis
peccatis id fieri prohiberemus, nisi
tam immensa, infinitaque Dei beni-
gnitas, & clementia fuisset. Ita cùm vl
lum lethale crimen fecerimus, ne vllis
meritis nostris fidamus, sed ad vnam
Dei benignitatem, & misericordiam
confugiamus, per quam plurimi sce-
lerati, & profligati homines sunt con
seruati, ac ex ipsis tartari faucibus erre-
pti. Iam ad immensa hæc, & innume-
rabilia beneficia accedamus, ac tantas
consolationes, quas hic propheta Ec-
clesiæ proponit, tractemus.

Ex quo vt bona nostra manant.

Et habitabo in medio Ierusalem. Hinc
omnia reliqua bona manãt: cui enim
Deus adest, quid boni deesse potest?
aut quæ est alia ætheris præstantia, &
excellentia, nisi quòd ibi sit habitatio
Dei? Quare si Deus habitet in medio
Ierusalem, vniuersas ætheris diuitias,
vniuersaq; ornamenta Ierusalem ha-
bebit. quod potest ad templum in vr
be ædificatum referri; quòd domus
Dei in scripturis dicitur, & quod à
gloria Dei completũ fuisse narratur

2.Paral.5.d &.7.a. Psal.77.g.

in Paralypomenis. & de tabernacu-
lo quod erat in Silo, Dauid dicit; Ta-
bernaculũ suum vbi habitauit in ho-
minibus: quia enim in eo tantùm ta-
bernaculo, vbi erat arca, Deus edebat
oracula, ibi ipse singulariter habitare
dicitur. Sed perfectiùs Ierusalem spiri
tualem

Corpus Christi Dei templum perfectissimũ fuit. tualem, id est, Ecclesiam innuit, quando verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Corpus enim eius fuit perfectissimum Dei templum. hanc habitationem promisit ipse per Ezechielem, postquam ei formam templi futuri proposuerat, & habitabo, dicens, in medio eorum semper. Ioan. 1. Ezech. 43.

Et vocabitur Ierusalẽ ciuitas veritatis. Id est, quæ veram doctrinam teneat, quã populum repudiasse dixerat Oseas his verbis. Non est veritas, nõ est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. quæ omnia supplicio illo grauissimo, quo Ierusalem est euersa, conformata esse putãdum est. Fortè huiusmodi supplicium fuit ignis, quo ab scoria repurgatum fuit argentum; de quo mentionem facit Esaias primo capite; quod literaliter doctrinam veram significat. Sed quãuis hæc expositio nõ sit aliena ab hoc nostræ prophetę loco, eius tamen sententiam vniuersam minimè declarat. quare vt plenè intelligatur, ad Ierusalem spiritualem referri oportet. Nam veritas temporibus Christi expressa fuit; antè vmbra quædam, & imago erat offusa Ecclesiæ. & ita de illo dicit Ioannes; Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Tum orta est de terra veritas, vt ait Dauid, cùm apparuit ille plenus gratiæ, & veritatis Christus Iesus, vt Ioannes testatur. Osee. 5. Esai. 1. c. *Veritas temporibus Christi expressa fuit.* Ioan. 1. Psal. 84. Ioan. 1.

Mons Domini exercituum. Alludit ad montem Moria, in quo erat posita Ierusalem: eadem ratione dicẽdi, quã templum ædes Dei appellatur: quia in eo verus Deus colebatur. Eadem etiam ratione & Ierusalem vrbs, vel mõs Domini appellatur: quia verum Deum eius ciues obseruabant. Sed imprimis pertinet ad Ecclesiam hæc sententia, quæ mons Domini in scripturis appellatur: quòd sit vera corporis effigies illius imaginis, (Ierusalem inquam) quæ in monte sita erat: de qua ita loquitur Paulus; Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuẽtis Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorũ, qui cõscripti sunt in cœlis. Et vt vrbes natura munitæ in montibus, & locis editis ædificari solẽt: ita cùm Ecclesia sit non hominum manu, & artificio, sed per se, vique sua ei à Deo tributa satis munita, mons meritò nominatur. Mons etiam, quia propiùs quàm reliquæ orbis partes ad cœlum accedit: eòque dicit Micheas; In nouissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super omnes colles. Aliud nomen videamus, quo Ierusalem est vocanda. *Cur Ierusalẽ mons Domini appellatur.* *Ecclesia imprimis mons Domini est.* Heb. 12. f. *Cur mons Ecclesia nominatur.* Mich. 4.

Mons sanctificatus. Magna cura lex illa antiqua cauebat, ne immundi essent in populo Dei: & ob eam rem, qui immundiciem aliquam contraxissent, quod multis modis vsuuenie bat, nisi priùs se purgassent, templum ingredi sine magno crimine non poterant. itaque vniuersa ferè lex illa in nitore, non mentis, sed corporis præcipiẽdo versatur. Significat ergo propheta; homines tum magna diligentia legem seruaturos. Sed vt illa legis antiquæ puritas erat imago illius puritatis, quæ tam mirificè in Euangelio proponitur, quam boni viri tenentes, soliciti admodum sunt de mentis puritate, atq; nitore, vt nullo (inquam) peccato teneantur: ita & hoc loco non iter propheta imprimis illam tangit puritatem: nam verè, atque germane *Legis antiquæ puritas erat imago illius puritatis quæ pænè longe præcipitur.* *Vere Ecclesia sancta est.*

Ecclesia

Ecclesia sancta dicitur. Etenim (vt Paulus Ephesijs scribit) Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eã lauacro aquæ in verbo vitæ. Aquæ enim illi cineribus vitulæ rufæ infectæ, ad homines mundandos institutæ, successit aqua Baptismi, verbis sacrosanctis roborata, quæ valet ad omnia hominum peccata purganda: quę verba hoc loco Paulus vocat verbũ vitæ. Nam licet multi iniqui homines in christianis numerẽtur, ob eam rem non contaminatur Ecclesia, vt sancta, & pura esse desinat: siquidem semper superest aliqua hominũ multitudo, concioque fidelium, quam propriè, legitimèq; Deo charissimã dicemus: nihil verò sordidum, & iniquum Deus amaret. Ex amore ergo quo Deus Ecclesiam suam prosequitur, quem nunquam neque abijciet, neque interrumpet; facilè probatur eam sanctissimam esse, perpetuisque temporibus futuram. Quare rectè Esaias de illa dicit; Induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancti: quia non abijciet vltrà, vt pertranseat per te incircuncisus, & immundus, id est, homines alieni nunquam tui potientur, ita vt sub illorum ditionem cadas, nitoremque, & munditiam amittas.

Ephe. 5. c.

Aqua vitula rufa successit aqua baptismi.

Iniqui Christiani impedimento non sunt quo minus Ecclesia sancta sit.

Esai. 52. a.

4 *Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum.*

5 *Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus & puellis ludentibus in plateis eius.* Qua dicendi ratione ex effectis firmissima pax significatur, quã Ecclesia erat vsura. Nam bello instante res imbecillæ, vt minus se defendere, ac tueri possunt: ita faciliùs, citiùsq; occumbunt. Quid autem imbecilliùs, quàm senex, qui non nisi baculo, scipione ve innixus incedere potest? aut puer, qui quòd robore ad vllum ferendũ onus careat, de laboribus exemptus in plateis ludere permittitur? Quare cùm multi horum similes salui, superstitesq; sunt, summæ tranquillitatis est significatio. quod & ad Ierusalem, & ad Ecclesiam spectat. Nam Ierusalem magnam pacẽ multos annos traxit: neque enim rex Persarum, neque nationes finitimæ eam vsque ad Holophernem vllo bello tẽtarunt. Si autem id Ecclesiæ attribuatur, ita accidisse facilè cognoscetur; quod magna copia persequi possem, nisi eam alij meliori loco seruarem: sed satis nobis nunc sit illud Esaiæ de hac re testimonium dicentis verbis Dei; Ecce ego declinabo super ipsam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem melle suauissimo: id est, non solùm ei pacem, sed summam etiam iucunditatem tribuam. Sed mihi non placet vt senes hi, de quibus hic propheta loquitur, sint homines prudentia, & magna virtute prædici, iuxta illud Ecclesiastici; Cani sunt sensus hominis: nam tales robustissimi viri in Ecclesia habentur, qui non solùm si pax in Eccclesia fuerit, sed etiam vt bellis acerbissimis, & magnis perturbationibus agitetur, superstites erũt: neque vllis hostium viribus cædent: præsertim quòd vbi propheta eos solùm senes commemorat, qui vtuntur scipione, decrepitos potiùs, qui nõ ita consilio valent, significare videtur. Quare magis mihi probatur, vt pueri, ac senes hoc loco significent eos, qui infirma virtute sunt; quorũ magnus numerus in Ecclesia vitam agit: ita vt neque rerum, quæ credi iubentur magnitudine

Ecclesia magnam pacem trahit.

Quos senes in Ecclesia futuros propheta significet.

gnitudine, neque earum, quæ cohiberi præcipiuntur dificultate terreantur: quemadmodũ Esaias summam in Ecclesia concordiam, quæ est pacis alumna, amplificans ait, Et delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, id est, homines antè infesti, atque truculenti, nullis vel imbecillis hominibus dãnum inferent; sed omnes pacem trahent, nihil incommodi, ac detrimenti timentes.

Esai. 11. b.

Esaiæ locus declaratur.

6 *Hæc dicit Dominus exercituum, Si videtur difficilè in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, nunquid in oculis meis difficilè erit, dicit Dominus exercituum?* Solent homines stulti, & arrogantes omnia viribus suis metiri, vt quod ipsi non intelligant, putẽt esse incredibile; quod ipsi, neque vlla humana vis faceret, existiment fieri non posse: quorum temeritas, vt vehemẽter displicet omnipotenti Deo; ita exitus habet plerumq; calamitosos. Vt ille, de quo narratur in quarto libro Regum; qui cùm vrbi penè fame confectę Eliseus magnam sequẽti diè ciborum copiam futuram nuntiaret, dixit. Si Dominus fecerit cataractas in coelo, nunquid poterit esse quod loqueris? qua de causa cũ eam sequenti die vsuuenisse videret, hominum tamen cõcursu conculcatus animam egit, ac eius particeps non fuit. Huius similes homines hoc loco noster propheta coercet. Nam qui ingentes ruinas solùm vrbis attenderent, paucitatemque hominum, exigua præsidia, tenues, & infirmas opes, atque adeò terrorem, qui homines tot, tantasque calamitates perpessos occuparet, omnino id posse fieri desperaret. sed hæc omnia missa fieri oportebat, ac prophetam modò verbis Dei loquetem attendere. Cùm dicit;

Quorundam hominum temeritas exitus plerunq; habeat calamitosos.

4. Reg. 7. a.

Si videtur difficile in oculis reliquiarum populi. Eò dicit, quòd pauci admodũ ex captiuitate redierunt, & innumerabilis multitudo bello perijt: sicut vaticinatus est Ieremias, Vsque ad racemum colligẽt quasi in vinea reliquias populi. Eodem modo infinita Iudęorum multitudo incredulitate sua concidit, & in diaboli ditionem redacta fuit, Christo prædicante, & Ecclesiam labefactatam restituente, vt Paulus, Esaia teste citato, ita futurum probat. Esaias (ait) clamat pro Israel; Si fuerit numerus filiorũ Israel tãquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Verbum enim consummãs, & abbreuiãs in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram, & sicut prædixit Esaias: Nisi Dominus Sabbaoth reliquisset nobis semen: sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. hęc Paulus. Quod si tam exiguas reliquias quispiam temerarius despiceret, tantasq; in eas excitatas potentissimorum hostium procellas, custodias martyrum plenas, christianorum greges, veluti mancipia vilissima, metallis, & ergastulis, & muniendis vijs, & alijs ignominiosis vsibus addicta, nefanda suppliciorum genera eis instituta, libros sacrosanctos publico edicto igni traditos; ridiculũ esse duceret; si quispiam ei affirmaret, Ecclesiam per orbem terrarum esse propagandam, tot Reges, Imperatores, & optimates in eius potestatem venturos, & in eisdem locis, quibus martyres ignominijs omnibus, & exquisitis cruciatibus tru-

Iere. 6. b.

Rom. 9. f.

Quantis difficultatibus Ecclesia premenda fuerit.

trucidabantur, magna esse populi reuerentia, ac religione colendas, tépla, adytaque esse Christo, & sanctis eius seruis ędificanda ab eisdem, qui Christi memoriam pro virili parte delere conabantur. quę omnia longè magis incredibilia nascente Ecclesia christiana viderentur ei, qui à rerum humanarum cursu ad Dei potentiam infinitam animum nó auocaret, quàm ea, quæ de Ierusalem materiali diximus: præstita tamen hodie videmus, Deo gratias immensas agamus, & admirabilem eius potentiam prædicemus; & ex hoc intelligamus, nullas res tam labefactatas, & funditus esse perditas, quas ipse facilè restituere nó posit. Quare in eo omnes spes, & rationes nostras ponamus, neque vlla aduersa, & calamitosa fortuna ita frangamur animo, vt hac spe firmissima excidamus. Hac se spe erigebat Dauid cùm senio se videret confectum dicens; Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam. Os meum annuntiabit iustitiam tuam: tota die salutare tuum. id est, illam iustitiam, qua non sinis iustum ab improbis oppressum vinci, ac penitus euerti; sed ei mirabiliter salutem præstas. Quoniam (ait) non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini. in Hebræo est; non cognoui ספרות *cephoroth*, numeros. idest, nullis numeris cóprehendi possunt, aut nullis literis exprimi (vt vult noster interpres) modi, quibus salulutem præstas, si de potentijs magnis tuis ad differendum veniam. quem Psalmum quidam non indocti interpretes de Ecclesia literaliter, & historicè scriptum esse arbitrantur: quod si ita habeat, multò meliùs in nostrú hæc propositum conueniunt.

Nullas res tã labefactatas esse quas Deus facilè restituere nõ posit.

Psal. 70. *Psalmus locus exponitur.*

7 *Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus solis. Et adducam eos, & habitabunt in medio Ierusalem.* Quoniam dixerat complendas esse plateas Ierusalem senibus, infantibus, & puellis; quo pacto id præstandum sit, his verbis ostendit: Quoniam populum per Orientem, & Occidentem dissipatum conuocaturus est in eandem vrbem: quæ si ad materialem Ierusalem applicentur, quòd parùm amplè, & copiosè ei tributa sint, animus istiusmodi contemplatione minimè satiatur: at Ecclesiæ attributa, tanto splendore, & amplitudine cadunt, vt mens nihil ampliùs id contemplando requirat. Per Christum enim salutem consecuta est innumerabilis multitudo per vniuersas mundi regiones dispersa: quod Christus testatus est apud Matthæú; Dico autem vobis quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum, id est, in Ecclesia. Id ipsum Dauid etiam testatur dicens; Deus Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram à solis ortu, vsque ad Occasum. Hic Deus Deorú Christus, verus Deus est, qui omnes per Euangelium ad se conuocauit, neminemq; sua Ecclesia excludi voluit, sed vt omnibus eius portæ pateant. Ex eo verò quod dicit, *Adducam*; intelligitur hoc tam magnificú, & excellens factum, quod ad Ecclesiá veniamus, ei nomina demus, obedientiáq; profiteamur ei, minimè nobis arrogádú, sed Deo imprimis ascribendú esse. Vt enim verè, & propriè ipse Israelitas eduxit ex AEgypto, & hostium potestate liberauit, licet ipsi pedibus suis exierunt, & iter fecerunt;

Matth. 8.

Psal. 49. *Psalmus locus exponitur.*

Quod veniamus ad Ecclesiam Deo potius quam nobis ascribendum esse.

runt: ita quamuis voluntate, & arbitratu nostro ex peccatorum vinculis fuerimus emissi, Deus tamẽ nos emisit, & ergastula libertate donauit. & ita iusti omnes fatentur, vt est in Apocalypsi; Redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.

Apoca.5.c.

Et habitabunt in medio Ierusalẽ. Phrasis Hebræa est, esse in medio alicuius rei; pro eo, quod est esse intra aliquã rem: vt facilè cognosci licet in Iosue, vbi dicitur de sacerdotibus arcã traducentibus per Iordanem; Ingressisque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis. in Hebræo est, pedibus eorum in primo flumine tinctis. ac de ijsdem, paucis interiectis eodem capite dicitur, Stare in medio Iordanis? quare cum dicit hic. *Habitabunt in medio Ierusalem.* id est, habitabunt in Ecclesia, in fidelibus, ac ciuibus eius numerabuntur. Vel ob eam causam hoc dictum est, quòd in Ecclesiæ medio, vt à Christo, & ab Apostolis instituta est, omnes eius ciues, ac fideles filij habitant. Nam omnes æquo iure viuunt, eisdemque legibus tenentur Barbari, Gentiles, & Iudæi eiusdem sunt participes Euãgelij, eorundem Sacramentorum, promissionum, reliquorumque bonorum omnium: omnes ad se vocat, omnibus eadem præmia proponit: neq; alia conditione omnes; quàm filios suos carissimos futuros pollicetur, vt Paulus Romanis scribit; Iustitia autẽ Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum. Non enim est distinctio, &c. & alio loco; Omnis quicunq; credit in illũ, nõ cõfundetur. Non enim est distinctio Iudæi, & Græci. Nam idẽ dominus omniũ, diues in omnes, qui inuocãt illũ.

Phrasis Hebræa in medio esse alicuius rei pro eo quod est esse intra aliquam rem.

Iof.3.c.

Omnes christiani in medio Ecclesiæ habitant.

Rom.3.c.

Rom.10.c.

8 *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum in veritate, & in iustitia.* Est quidem magnæ dignitatis, & gloriæ appellatio, quòd quisquam populus, Dei populus, ac diuina respublica appelletur. Quid enim excellẽtiùs? quid præstantiùs, quàm quod diuinũ est? Quare nulla respub. melior esse potest, quàm ea, quæ diuina est. Quocirca si respub. christiana alijs omnibus conferatur, longo interuallo eas quidẽ anteibit. Quis enim rex? quis princeps? quis deniq; dominus cum Deo cõparabitur? quæ leges meliores excogitari possunt, quàm quæ Dei consilio, & infinita sapientia compositæ, & latæ sunt? Et quamuis reliquæ respub. omnes Dei sint, quod ipse ciues earum creauit, & res eis semper necessarias suppeditet: quia tamen Ecclesia tãtùm eius leges, & statuta tenet, quibus ciuium vitam dirigit, tantùm Dei populus, & respub. appellatur. Non fecit taliter omni nationi, iudicia sua non manifestauit eis, ait Dauid. & Moyses; En Dominus, inquit, elegit te hodie, vt sis ei populus peculiaris sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius: & faciet te excelsiorem cunctis gentibus. Quod eadẽ etiam ratione dicitur, quam homines vsurpare solemus, vt ea ciuitas alicuius vel Regis, vel Principis dicatur, qui iussis eius paret: ita & populus christianus quia Dei iussis, atque præceptis obtẽperat, Dei meritò dicitur: cæteri inimici, atq; rebelles habẽtur.

Quanta sit Ecclesiæ dignitas.

Cur Ecclesia tantum Dei populus appellatur.

Psal 147.

Deut.26.

Et ego ero eis in Deum. id est, me Deum suum Ecclesia ex ijs gentibus congregata ducet; reliquos omnes, qui Dei nominantur, missos faciet, atque contemnet: me tantùm colet, & obseruabit: ex me tota pendebit, atque

atque omnes spes, & rationes suas in me vno collocabit. quod potiùs Dei erga nos beneficium, quàm nostrum in eum officium existimãdũ est. Ipse enim potiùs elegit Ecclesiã, quàm Ecclesia ipsum: sed tamen nonnihil laudis ex ea re Ecclesiæ debetur. Non enim vi, & armis superata, sed sponte sua, arbitrioque suo se Deo subiecit, manusque ei, nomenque dedit, ac ducem suum, Deumque elegit, vt Moyses auctor est in Deut. Dominum elegisti hodie, vt sit tibi Deus, & ambules in vijs eius, vt custodias ceremonias illius, mandata atque iudicia, & obedias eius imperio. Idẽ de vnoquoque homine sit iudiciũ, vt ille homo Dei vocetur, qui leges Dei perfringere, ac violare non audet, sed ei obsecundat, illumque Deum suum, ducem, atque patronum deligit.

Nonnihil laudis Ecclesiæ coniectum est ex eo quod se Deo subiecerit.

Deut. 26. d.

Quis nam homo Dei vocetur.

12. *Et ego ero eis in Deum in veritate, & in iustitia.* Veritas, & iustitia pro eadẽ re hoc loco vsurpantur; significatq; iustitiam illam, & singularem virtutem, qua redditur vnicuiq; quod suũ est; & æquale constituitur: quæ veritate imprimis dirigitur, vt neque cuiquam attribuat, quod suum non est, neque detrahat, quod suũ est. & ob eam rem superiori capite noster propheta dixit; Iudicium verum iudicate. quæ virtus eminet maximè, & apparet in Regibus, & in eis, qui alijs ius dicunt, quòd illorum præcipuũ munus sit æqualitatem inter certãtes decernere. qua de causa eis præter cæteras virtutes necessaria est: quoniam, vt ait Salomon in Prouerbijs, Iustitia firmatur solium eorum. quare hoc loco vates dicit verbis Dei, quomodo se geret inter nos dux, ac rex noster; quòd magna æquitate, & iustitia præditus erit; sicut Esaias dicit. Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. hoc est, iustitia, & veritate erit ornatus, quæ regem summopere decent. Quocirca pauperes populi sui securos ab omni oppresione reddet, neq; vllus erit locus calumnijs, neque simplices & aperti homines iure suo fraudabuntur. Nam in veritate educet Deus eorum iudicium, vt ait Esaias; ac quidquid eis per vim, & iniuriam fuerit ablatum, iusto, & æquali pondere restituetur, vt ipse dicit apud Esaiam. Et ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura. Quod ex re iustorum ac piorum virorum vehementer est, idque ipsi amant, vehementer expetunt, & omni studio prosequuntur, vt singulare incommodorũ suorum remedium. cõtrà verò nihil est, quod magis terreat iniquos, quàm quòd omnia ad æquitatem reuocanda sunt.

Iustitia imprimis veritate dirigitur.

Iustitia maximè necessaria regibus.

Prou. 16. b.

Quo pacto se inter nos dux noster Deus gerit.

Esai. 11. b.

Esa. 42. a.

Esa. 28. e.

Iusti viri vehementer cupiunt iustum iudicium reddi.

Nihil est quod magis terreat iniquos, quam quod omnia ad æquitatẽ sint reuocanda.

9 *Hæc dicit Dominus exercituum, Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum in die qua fundata est domus Domini exercituum, vt templum ædificaretur.* Hic exitus, & determinatio totius orationis est, vt animos erigant ad opus, quod in manibus habent perficiendum ij, qui se, & Aggæum hortantes audiũt, ab ea die, qua opus templi repetitum est. Se enim, & Aggæũ intelligit cùm prophetas dicit: hi enim populum excitabant ad templum, & vrbẽ instaurandam, vt narratur in Esdra his verbis; Prophetauerũt autẽ Aggæus Propheta, & Zacharias filius Ado, prophetãtes ad Iudæos, qui erãt in Iuda, & Ierusalẽ, in nomine Dei Israel. Tũc surrexerũt Zorobabel filius Salatiel, & Iosue filius Iosedec, & cœperunt ædificare templum Dei in Ierusalem,

1. Esd. 5. a.

&cum eis prophetæ adiuuantes eos: Quod verò dicit vates.

A die quæ fundata est domus Domini. Simile est eius, quod dixit Esdras loco citato; Cœperunt ædificare templum Dei in Ierusalem. quæ non ita intelligenda sunt, vt tunc primùm cœptum opus sit, fundamentaque iacta, vt quidam Hebræus intelligere absurdè videtur. Nam iam diu templum ædificari cœperat, vt narrat idé

1.Esd.3.

Esdras.1.c.3. Omnisq́; (ait) populus vociferabatur clamore magno in laudãdo Domino, eò q fundatũ esset templum Domini. Quod opus intermissum est per quatuordecim annos; quibus regnauit Assuerus, vt est in.c. 4.Esdræ; Et anno secundo Darij rursos repetitum auctoribus Aggæo, & Zacharia. quare intelligendum est à die, qua opus ædis repeti cœptum est. Erãt enim lapides illi, qui ponebãtur super pristina fundamenta, quasi totius operis consequentis fundamentum. Superiora igitur quæ præmissa sunt, eò spectant, vt animos exuscitet populi ad opus gerendum, ne putaret frustra laborem suscepturus: ve

Præmium vehementer ad res administrandas excitat.

hementer enim præmium ad res administrandas excitat. Ob idque non tantùm à Deo leges feruntur, sed vnà etiam præmia proponuntur: idq́; nõ solum in veteri, sed etiam in noua lege: vtque lex noua præstantior est: ita præmia præstantiora proponit. præ

Leu.26.

mia legis veteris videre est Leuit. vigesimosexto. in noua verò Christus di

Matt.5.b.

cit apud Matthæum; Cùm vos oderint homines, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Et vt Christus hoc loco, cùm magna ob iniquos homines ignominia conflictamur; eximiam gloriam nos in cœlis manere, em spectare, ne frangamur animo vult: ita & noster propheta futuram vrbis amplitudiné proponit, ne propter inimicorum terrores animis cadant Iudæi. Nihil enim magis ad opus quoduis perficiendum excitat, quàm si prosperè casurum sciatur.

10 *Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, neque merces iumentorum erat.* Vt eam futuram vrbis felicitaté, quam Dei verbis pollicetur, confirmet, ostẽdit eam quasi iam apparere, & arridere quodammodo, ita vt magnos, si attendant, fructus se videant percipere ex eo, quod ædificationi dent operã. quod vt apertè mõstret, comparat ea tempora, quibus vacabant, cum ijs, quibus operi incũbunt. Antè (ait) quoquo se verterét, omnia eis erãt infesta. quæ omnia in tres par

Quidquid infestum est in tres partes subtiliter propheta distribuit.

tes subtiliter distribuit. Nam homines solent quidpiã boni quærere vel ex agro, quem colunt: vel intra vrbé, vel extra ipsam. Si ad agrum irent, nil inde fructus reportabant, vsq; eò, vt neque operis in eo colendo locatis satisfacerent: & ob eam rem dicit, ante dies illos merces hominum non erat, neq; merces iumentorum, sed labor omnis susceptus irritus erat, & manis. quod ita eis euenturũ, si legé eius perfringeret, Deus in Leuitico prædi

Leuit.26.

xerat; Consumetur (inquiens) incassum labor vester, non proferet terra germé, nec arbores poma præbebũt.

Nec introeunti, nec exeunti erat pax præ tribulatione. Si verò extra vrbem quidpiam inuestigarét, quo sterilitatis incõmodum leuaretur, in magnis etiam versabantur angustijs: nam omnia itinera erãt hostium excursionibus infesta: quare tam intrantes, quàm

excun-

exeuntes ex vrbe adeò magnũ subibát periculũ, vt illud etiam eueniret,
Deut.28.b. quod Moyses in Deuteron. prædixit, Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.

Et dimisi omnes homines, vnumquemque cõtra proximum suum. Addit quod est extremum malorũ, quæ eueniunt
Dissidia ci- ciuitatibus, vt dissidia, seditionesque
uium extre- magnæ sint inter ipsos ciues. Quæ e-
mum ciuita- nim tam stabilis, & firma ciuitas, &
tis malum. táto præsidio munita esse potest, quę discordijs, & dissensionibus ciuiũ nó euertatur? Quod dicit, *Dimisi omnes homines, &c.* id est, iniquo animo aliũ in alium ferri permisi: laxatis enim rationis, ac diuinæ legis habenis, cùm nihil reliquum sit, quod libidinis impetus comprimat, id facilè cõsequitur,
Esa.3.a. quod Esaias.c.3. fore præsensit dicés; Et corruet populus vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum tumultuabitur: puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.

11 *Nunc autẽ non iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius, dicit Dominus exercituum.* Diximus voluisse prophetã ea tépora, quibus intermissum erat ædificium, cõparare cum ijs, qui bus operi se accinxerát: illa infelicissima fuisse monstrauit, pergit hæc felicia, & quasi aurea esse docere; vt cùm se iam ex officio suo fructũ ferre cognouerint, de reliquis promissis non
Qui vitam dubitent. Ita etiã accidit, vt ij, qui vitã
cum virtute cum virtute colunt, nó solum vitam
colunt multis æternã, postquã animam efflauerint,
bonis præ ca- cõsequãtur, sed multis etiã bonis præ
teris vel in cæteris in hac vita fruãtur. Nam cùm
hac vita ad vitã illã beatam toto pectore aspi-
fruuntur. rent, quasi quodã odore eius suauissimo lõgè percepto, deliniti recreãtur,
Mar.10.d. & ita Christus dicit apud Marcũ de ijs, qui abiectis rebus omnibus in eius se consuetudiné insinuauerint, Accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, & in seculo futuro vitam æternam. Quare hæc bona, quæ vates tempore ædificationis vrbis, & tépli euenisse dicit, possunt etiam multò perfectiùs ad tempora, quibus spiritualis Ierusalem per Apostolos ædificabatur, referri, sicut illa, quæ ante promissa fuerunt, retulimus.

Sed semen pacis erit, & vinea dabit fructum suum. Probat quod dixerat futurũ esse. *Semen pacis erit.* id est, tam vberes fructus percipietis ex agro, quàm pacatis rebus agro bene culto percipere soletis. quod generaliter dixit, singulariter deinde ad maioré declarationé, & amplificationé pronũtiat. *Vinea* (inquit) *dabit fructum suũ, & terra dabit germen suum.* In Hebræo est יְבוּל iebul, quod fructũ significat, vt illud psalmi; Terra nostra dabit יְבוּלָהּ Psal.84.
iebula, fructũ suũ, & cœli dabunt roré suũ. quæ omnia opponũtur ei, quod dixerat de superioribus annis ante ædificationé; Ante dies illos merces hominũ nó erat, neq; merces iumétorũ, vt iam declarauimus. Id ipsum in lege pollicebatur eis, qui diuina præcepta tenerent: Si in præceptis meis ambula Leu.26.
ueritis, terra gignet germen suũ, & pomis arbores replebũtur. Ad quod respiciens Oseas propheta, eadé ratione dicendi explicat diuitias immensas, quas Ecclesia per Christũ possessura est. Et erit (ait) in die illa, id est, qua sibi (vt dixerat antè) despõsaturus erat in æternũ domum Iuda; quod literali Ose.2.d.
ter, & historicè de Ecclesia dicitur, Exaudiã, dicit Dominus, exaudiã cœlos, & illi exaudiét terrã, & terra exaudiet triticũ, & vinũ, & oleũ. Vt enim diuitiæ lege veteri promissæ erát imagines diuitiarũ spiritualiũ lege noua

Diuitijs corporis animi diuitiæ sæpè in scriptura significantur.

tribuendarum: ita & illis diuitijs hæ sæpe significantur: tum quòd alio nomine caremus ad has, quas mundus expertus non est, declarãdas. Ex quo fit vt Christus ipse eadem dicendi ratione loquens de spiritualibus diuitijs fuerit vsus, cùm apud Marcum capite citato dixerit eos, qui rebus omnibus repudiatis eum fuerint secuti, accepturos in hoc seculo domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros: id quod de spiritualibus diuitijs, vt optimè declarat Hieronymus in Matthæũ, intelligi oportet, id est, res eas accipiet, quæ multò pretiosiores, ac iucundiores ei sint, quàm omnes periturae huius æui diuitiæ. Fructus enim spiritus, quos (vt Paulus ait) percipiũt, qui vitam cum christiana pietate colunt, omnibus humanis copijs longo interuallo anteire putandum est: quos numerat ipse dicens, Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, &c. Quod dicit; *Cœli dabunt rorem suum.* id est, quo fruges alantur, & crescant. *Et possidere faciam reliquias populi huius vniuersa hæc.* Reliquias populi vocat eos, qui sunt ex hostium potestate erepti, quòd pauci fuerint; multique perijssent. Reliquias etiam populi vocat Paulus loco à nobis citato eos, qui ex Iudæis ad Christi se coniunctionem contulerunt, quòd pauci admodum fuerunt, multi verò illum repudiarunt. *Et erit: sicut eratis maledictio in gentibus, domus Iuda & domus Israel: sic saluabo vos, & eritis benedictio.* Id est, sicut antè qui quempiam execrabantur, vt irati, & extrema incommoda precarentur, sis vt Iudæus, dicebant; quod erat vltima infelicitas: ita post hæc qui cui omnia faustè, & feliciter euenire optauerint, dicent, sis vt Iudæus. Et hæc ratio dicendi sæpe in sacris eloquijs vsurpata, & ad calamitatem, & ad cuiuspiam felicitatem amplificandam. vt apud Ieremiam Deus docens quod sit ab eo statutum supplicium Iudæis, qui in vrbe remanserunt, ait; Et dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ: in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ ejeci eos. id est, in vniuersis locis, in quibus fuerint, ita ignominiæ, & execrationi omnibus erunt, vt veniat in prouerbij consuetudine, Iudæo miserior. Ità Christus per Dauidem suas exaggerans calamitates ait; Factus sum illis in parabolã, id est, abijt inter eos in prouerbium, vt mecum viros comparet calamitosissimos. Contrà verò Esaias, vt significaret immensam futuram felicitatẽ populi, ait; In die illa erit Israel benedictio in medio terræ. Ex hoc intelligi licet, quãtum remedium Deus vel summis malis afferre soleat, vt facilè extremam infelicitatem, cum extrema felicitate commutet. quare rectè Dauid canit; Beati omnes qui confidunt in eum: quippe qui tam splendida, & effusa copia respodet spei. Quare nemo debet vel in summa rerum omnium desperatione animũ despõdere: nonnunquã enim quò magis salus distare videtur, eò propinquior est. Quare oportunè, similter vates quod antè proposuerat, adiungit. *Nolite timere, confortentur manus vestræ.* Id est, quare ne præteritorum malorũ memoria animus vester exhorrescat, existimantes, quòd regijs edictis, aut excursionibus hostium finitimorum, aut seditionibus ciuium vestro-

Marc. 10.

Marci locus exponitur.

Gal. 5. d.

Rom. 9. f.

Quid sit maledictionem esse.

Iere. 24. d.

Ieremiæ locus exponitur.

Psal. 68. b.

Psalm. locus exponitur.

Esai. 9. d.

Quantũ summis malis Deus remedium afferre soleat.

vestrorum, quò minus vrbem, & templum restituatis, prohibebimini: Deus vobis adest, omnia detrimenta depulsurus, & cómoda infinita prę̃staturus: quæ omnia si ad Ierusalē spirituale, id est, Ecclesiam accómodetur, multò aptiùs, illustriùsq; cadet: cùm apparuit ille, (de quo dictum est interprete Paulo ad Gal. 3. c.) In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ. De Ecclesia etiam christianorum eodem auctore Paulo dictū fuit Abraham; In te benedicentur omnes gentes. Et vt veri, ac perfecti christiani bonis omnibus sunt referti, & si quam in hoc æuo felicitas esse potest, eam ipsi obtinent: ita nulla melior, præstantior, & felicior optatio fingi potest, quàm alicui perfecti christiani vitam optare. Ita Paulus, quanuis in vinculis esset, Agrippæ regi dicere non dubitauit, Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt hodie fieri tales, qualis & ego sum.

Gal. 3. c.

Gen. 12.

Nulla felicior est optatio quā alicui perfecti christiani vitam optare.

14 *Quia hæc dicit Dominus exercituum, Sicut cogitaui vt affligerem vos, cùm ad iracundiam prouocassent patres vestri me, dicit Dominus, & non sum misertus:*
15 *Sic conuersus cogitaui in diebus istis vt benefaciam domui Iuda & Ierusalem: nolite timere.* Magno quidem, & firmissimo argumento probat ea bona, quæ Dei verbis promittit, populo ventura. Nō enim minùs cōstãs Deus est in bene promissis faciendis, quã in iis, quæ minatus est, exequendis. Vt ergo ea quæ ob peccata maioribus vestris minatus est, nō reuocauit, sed exprópsit: ita etiam quæ nunc vobis pollicetur, non mutabit, sed efficiet. Cuius argumentationis vim maximam intelligent longè meliùs ii, qui Dei ergà homines vsum, & consuetudinem cognouerint. Quamuis enim Deus tam infinita polleat natura sua iustitia, quàm misericordia; longè tamen magis misericordiam, quàm iustitiam inter nos exercet. Quare quod nobis benè pro sua misericordia promittit, potiùs quàm quod pro sua iustitia minatur, euenturum putandum est. Nam non semel accidit, ea mala, quæ Deus minitatus fuerat se illaturum, pœnitentia irrita fuisse facta. vt dixerat intra septuaginta dies Niniuem esse vastandam, euertendam, & solo æquandam, sicut narratur in libro Ionæ. At postea totius populi fletu commotus iracundiam compressit, neminemq; lædi permisit. Minatus etiam fuerat per tres dies pestem in populo propter scelus Dauid grassaturam: miserabiles tamen Dauidis preces postea non sustinens vno die contentus fuit. At in tota sacra scriptura non reperitur (aut saltē mihi non succurrit) aliquod bene populo, simplexq;, & absolutum promissum, quod postea criminibus populi fuerit mutatū. Nam gratia, & gloria nusquam simpliciter promittitur; sed ea lege, dum fidē, & charitatem habeamus. At simpliciter multis in locis Christū venturū pollicetur Deus; nullis mundi peccatis id potuit impediri. Spopondit Abrahamo ex genere suo orturum, nullis nefandis generis eius criminibus, quò minùs id fieret, prohibitū fuit: idē dicò de genere Dauidis. Promissa fuit etiã populo terra Chanaã: at quãuis multa, & nefaria scelera, dum iret, admiserint, nihilominus stetit Deus promissis. Dixit nō auferēdū esse sceptrū de Iuda, nec Ducem ex genere eius, quòusque veniret Christus: nulla id flagitia reuocare potuerunt. multa alia bene promissa possem in medium

Quod nobis Deus pro sua misericordia promittit, potius quā quod pro sua iustitia minatur euentuū putandum est. Accidit quæ Deus minatus fuerat pœnitentia irrita fuisse facta.

Nullum simplex Dei absolutū; promissum fuit mutatum.

proferre, quæ nullis ſunt ſceleribus reuocata; niſi hæc ſufficerent. Quare plus confidendum eſt Dei bene promiſsis, quàm minis eius timendum; cùm bene promiſſa ſemper vel magnis flagitijs repugnantibus conſtare videamus, minas autem nónunquam officijs in integrum eſſe prouocatas. Quare vehementiſsimam ex hac re prophetæ noſtri argumentationem eſſe intelligimus, quam non ab æqua li, ſed à minori petitam eſſe puto. Incommoda, quibus populum affectum dixerat, intulit: ergo beneficia, quæ modò promittit, afferet: pœnas repetijt, cùm ſit alienum eo, qui omnibus prodeſſe cupit, vt detrimentum cuipiam importet, ſicut ipſe per Eſaiam dicit; Vt faciat opus ſuum, alienum eſt opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo. Opus itaque hoc tam à ſe alienum ad iracundiam à vobis prouocatus fecit: multò ergo meliùs quod ipſe vehementer cupit, vt omnibus ſit beneficus, vobis iam reconciliatus faciet. *Eſai.28.21.*

Nolite ergo timere. Hoc eſt quod ſibi probandum propoſuerat, aptiſsimeque ex tanto argumento propoſitum concludit.

16 *Hæc ſunt ergo verba, quæ facietis; Loquimini veritatem vnuſquiſq; cum proximo ſuo.* Id reſpondet ei parti ſuperioris capitis, qua expoſuit cauſam, cur maiores eorum tot damna, tot incommoda perpeſsi ſunt, quòd legem Dei petulantiſsimè violârunt, neque prophetas, eos à ſceleribus reuocantes, audire voluerunt: ſed pertinaciſsimè improba, & nefaria ſententia permanſerunt. Cùm ergo Deus ius æquum omnibus dicat; ſi mala, ad quorum memoriam exhorreſcunt, effugere volunt, cauere debent ne in crimina incidant, quæ tantæ calamitatis cauſa fuerunt. ſecùs enim eadem eos fata manent, eædem eis impendent ærumnæ: non quòd bona modò promiſſa non tribuet: nam cumulatiſsimè Eccleſiæ, vt dixi, reddita ſunt: ſed quòd vt illa reddantur, eorum ipſi participes non erunt, ſi ſceleratos parentes fuerint imitati; ſed illorum potiùs pœnas, & ſupplicia ſubibunt: quod ita accidiſſe videmus. Nam eaſdem filij, quas parentes pœnas perſoluerunt, quòd Dei legem neglexerunt ac Chriſtum verum Dei filium, & eius Apoſtolos, ac diſcipulos audire noluerunt: ſed potiùs crudeliſsima, & indigniſsima morte ipſum multârunt, & multos diſcipulos varijs ignominijs affecerunt, varijſque modis necârunt. Ex quo factum eſt, vt vrbs, & templum, ſicut antea, funditus euerſa perierint, & homines infiniti fame, peſte, & gladio occiderint. Quare id altiſsimo, ac ſapientiſsimo Dei conſilio fit, vt beneficia, quæ promittit, ſemper reddat; illorum tamen improbi minimè ſint participes. Exponit ergo propheta quæ facere ipſos oporteat, vt ſe ex tot malis, & incommodis extrahant, quæ parentes eorum acceperunt. *Altiſsimo Dei conſilio fit, vt beneficia quæ promittit ſemper reddat, & illorum improbi participes non ſint.*

Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo. Id eſt, fide bona, & non dolo malo inter vos agite. Eſt enim veritas ſummopere Reipub. neceſſaria: nam ea ſublata, omnem conſociationem, & hominum communitatem ruere neceſſe eſt. Quæ enim communicatio, quis vſus, quæ inter homines conſuetudo eſſe poteſt; ſi fidem inter ſe non habeant? quare homines fraudulenti, & doloſi maxi- *Veritas Reipub. maximè neceſſaria eſt.* *Homines fraudulenti maximæ ſunt fraudi Reipub.*

maximæ sunt fraudi Reipub. Et cùm Deus hominum inter se societatem, & amicitiam vehementer amet, & eam imprimis commendet, ex hoc facilè cognoscitur, quantùm mēdaces, & fallaces homines abhorreat. Ac deniq; mendaciū è regionē veritati opponitur, quæ Deus est: contrà verò nihil est quod magis virū pium, ac christianum deceat, quàm simplicem, & apertū esse, nihil ex occulto, nihil ex insidijs agendum putare; veritatem semper pro virili colat, fraudemque fugiat. id quod monet Paulus Ephe. scribens, Propter quod deponentes mēdacium, loquimini veritatē vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Pulchra sanè similitudo, quæ & vim argumenti habere debet apud eos, qui christianam pietatem colūt, qua profitemur Christum esse caput Ecclesiæ, nosque membra reliqua eius. Vt ergo vnum membrum nec fraude, nec dolo malo agit cum alio membro, sed simpliciter, & apertè quidquid boni, malive habet cum eo communicat: ita & nos gerere cū proximis nostris oportet, neminem in fraudem inducentes, nemini fucum facientes; sed simplices, ac diligentes veritatis cultores esse debemus, vt vera, viuaq; membra nos Christi præbeamus. Hac veritate discipulos suos Christus imbuere nitebatur, cùm eos docebat dicēs. Estote simplices sicut columbæ. Hanc virtutem, præter reliquos sanctos viros veteris instrumenti, coluit sanctissimus ille Iob, de quo scriptura narrat, fuisse simplicem; & rectum. Ob hanc denique eximiam virtutem captus esse spōsus fatetur Ecclesiæ amore cùm dicit, Vulnerasti me soror mea in vno oculorum tuorum. Oculorum autem eius formam descripserat dicēs; Oculi tui columbarum, id est, simplices, vt ipse in Euangelio loco iam citato dixit. Habitus enim oculorum columbæ nihil fraudis, nihil insidiarū, sed magnam simplicitatem præ se ferunt. Ita Ecclesia, præter cæteras Respub. omnes, omni mendacio, malitia, doloque vacat, nihil celat, quod cuiquam fraudi sit, sed veritatem apertè, manifesteque docet, nullo adhibito orationis fuco, omnibus detractis verborum præstigijs: imitatur deniq; sponsum suum, qui in extremo vitæ cursu vehementer apud hostes suos gloriatur, vt Ioannes narrat; Ego palàm locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil. Nulla enim res magis Christum Doctorem, & Ecclesiam etiam magistram decet, quàm tam simplex, & aperta veritas: quare magno ei incommodo sunt ij eius filij, qui deserta veritate, mendacio, maliciæ, & pręstigijs se dedūt. ac vtinam non cadat in tempora nostra illud, de quo Ierem. vehementer dolet populo suo temporibus suis accidisse; Et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. &c. Vnusquisque se à proximo suo custodiat; & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit: & omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrē suū deridebit, & veritatem non loquentur. Qua de causa euersa fuit illa Respub. doli, mendacijq; plena; ne Deus, summus veritatis amator, mendacij patrocinium suscepisse videretur, si tam perfidos, & fraudulentos homines tueretur. Ideoque nunc propheta noster veritatem eis colere præcipit, si in Dei gratiam redire, & in vrbe, ac patria sua habitare volunt.

Nihil est quod magis virum pium deceat quàm simplicē, & apertū esse.

Ephe. 4. c.

Pulchra similitudine Paulus monet ut simpliciter agamus.

Quanta simplicitate Ecclesia agat.

Ioan. 18.

Iere. 9. a.

Veri.

Veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris. Veritas in hominũ congressibus, & vsibus summopere necessaria est; sed multò magis in iudicijs: nã si ea, quę est in cõgressibus, violetur, vni aut alteri id fraudi erit: at si iudex quatenus reipub. personã agit, à veritate desciscit, vniuersæ Reipub. damnum infert. Si enim non seruetur æquitas in iure dicendo, vniuersa Respub. ægra, & peruersa esse ducitur. & ob eam rem singulariter veritatem, & æquitatem iudiciorum cõmendat; quod superiori capite desiderare prædicauit, vbi dixit, Iudiciũ verum iudicate. Cùm ait;

Veritas maximè in iudicijs necessaria.

Iudicium pacis. AEquum intelligit. Non enim vlla meliori via qui iudicijs conflictantur, conciliari possunt, quàm si suum cuique à iudice tribuatur, æquitatemque constituendo: secus enim dissidiæ non comprimẽtur, quæ semper ex iniquitate, & iniuria proficiscuntur: meritoq; alter clamabit, vociferabitur, Deum & sanctos eius viros testabitur sibi fraudẽ esse factam. Sapiẽter enim Esaias ait; Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium. & Dauid; Iustitia, & pax osculatę sunt. *In portis vestris.* Dicit, quòd olim pro vrbium portis ius dici consueuit; vt iudices intelligerent, tam ciuibus, quàm peregrinis æquum ius esse dicendum; & vt significaretur, iustitia, & æquitate magis, quàm alia re vrbes custodiri: ita vt potiùs ipsa ciues tueatur, quàm illorum patrocinio egeat. & ita intelligitur illud Dauidis; Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta. id est, iudices quos oportebat me innocentẽ defendere, contra me ferebant sententiam.

Iudicium pacis est equum iudicium.

Esai. 32. d.

Psal. 85.

17. *Et vnusquisque malum contrà amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris.* Eadem sententia est, quæ illa, quam capite superiori declarauimus. Malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Pro eodem enim vsurpari solent amicus, & frater. Vel, omnes Israelitæ communi nomine fratres vocantur, quòd eodem sint patre Iacob nati: amici autem sunt, inter quos aliqua necessitudo, aut familiaritas intercedit. voces Hebrææ sunt, אָחָה *ahe*, & רֵעֶה *rehe*, quibus eadẽ vis subiecta est apud ipsos, quæ fratri, & amico apud interpretem nostrum vulgatũ.

Et iuramentum mendax ne diligatis. Qui Deũ iurat, testẽ eum eius, quod dicit, citat: quod si pro dignitate fiat, religionis munus, & officium est. Sic Moyses in Deut. ait; Dominũ Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. & Angelus in Apocalyp. iurauit per viuentem in secula. Ac denique Deus ipse iurauit 22. c. Genesẽôs; Temerè tamen, & inconsultè cuicunque testimonio iusiurandum accommodare, est temerarium, & valde periculosum: periculũ enim est ne peieret, qui id audet: nam fortè falsi aliquid loquetur, & consuetudo eum ad iurandum impellet. ob eamque rem monet Ecclesiasticus; Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Sed sermo hominis christiani, vt docet ipse Christus, esse debet, est, est, non, non; quod autem his abundantiùs est, à malo est. Extat & quædam Decretalis Epistola Cornelij. 2. q. 4. c. sacramentum autẽ, qua hoc Christi testimonium exponens, alijs sacræ scripturæ testimonijs probat, quàm alienum sit à viro christiano iurare, præcipitque, vt si quando fieri necessitas postulet, vt ab homine ieiuno, magnaque cum reuerentia fiat. At qui iureiurando falsi quid piam

Si pro dignitate iusiurandum fiat religionis est munus.

Deut. 6. c.

Apoc. 10. b.

Gen. 22. c.

Temere cuicunq; testimonio iusiurandum accõmodare est valde periculosum.

Eccle. 23. b.

Quam sit impius qui peierat.

Matth. 5. f.

piam confirmat, est planè impius, & sceleratus, qui non veretur eum testẽ mendacij producere? cuius naturæ nihil magis quàm mendaciũ repugnat. quare ne id fiat Dei nomine prophetа præcipit.

Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. Vniuersus decalogus duobus præceptis comprehenditur, charitate nimirum erga Deum, & erga proximum. Charitas erga Deum requirit, vt eius nomen sanctissimum reuereamur, & alienum ab ea nimiũ est, vt per Deum mentiẽtes iuremus. Hoc ergo præcepto leuiter tangit reliqua duo, quæ ad Dei cultum, & reuerentiam spectant. Charitas erga proximum exigit, ne vllam ei iniuriam faciamus: quod si caueamus, omnia præcepta conseruabimus quæ proximũ attingũt, siquidẽ omnia iustitiæ ratio nẽ includunt. Ob id ergo vates dicit;

Omnia hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. Et quia lex vniuersa vetus, & noua, religione ac iustitia comprehenditur, quas duas virtutes leuiter hoc loco propheta tangit: quod eis contrarium est, verè est omne id, cuius Deus odium habet, vt quæ sint ei eadem ratione contraria, qua iustitiæ, & religioni aduersantur. Similiter enim (vt Sapiens ait) odio sunt Deo impius, & impietas eius.

Lex vniuersa religione ac iustitia cõprehenditur.

Sap. 14. a.

18 *Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens,*

19 *Hæc dicit Dominus exercituum, Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam & in solemnitates præclaras.* Explicat eam quæstionem, quam legatos Babylonia sacerdotes, & prophetas rogatum venisse capite superiori dixerat, de ieiunio soluendo, vel non soluendo.

Omnia verò prædicta eò sunt intercecta, vt doceret non ieiunio modò, sed honesta, ac sancta vita Deum potiùs placari: quia propter impiam, & flagitiosam vitam se nobis tantùm ipse immutat; quòd si ad officij munus redierint, luctum in gaudium, mœrorem in lætitiam, diem ieiunij in diem festum conuertet: vt intelligamus, vnâ tantùm iustitia, ac pietate mixos iucundam, ac beatam vitam à Deo nos consecuturos. Pax multa diligentibus legem tuam, ait Dauid. & non est illis scandalum. idest, nihil eos terret, nihil cõturbat. Cæterum magnam difficultatem Hieronymus esse putat in hoc loco, cuius explicationem ex recessibus vetustatis eruendam existimat: & ob eam rem multos interpretes latuisse. Cur, inquam, hęc quatuor ieiunia temporibus à propheta dictis fuerint instituta: cuius rei rationem licet ipse dicat ex ipsis Hebræis esse petendam, & de illorum sententia hunc locum explanet: rei tamen momentum non attigisse videtur, Hebræorum culpa, quibus ipse maximè assensus est. Nos tamen hunc locum, non ex Hebræorum auctoritate, sed ex ipsa sacrosancta scriptura explanabimus. Primùm inter omnes constat, hæc quatuor ieiunia fuisse instituta propter quatuor acerbas calamitates, quas his mensibus acceperunt Iudæi. Sed difficultas est, quæ nã hæ calamitates fuerint? Hieronymus ex Hebræorum sententia dicit; Ieiunium quarti fuisse institutum, quoniã hoc mense Moyses de monte descendens legis tabulas abiecit, vt narratur Exodi trigesimosecundo capite. & muri primùm rupti sunt ciuitatis, vt est in quinquagesimo Ieremiæ capite. Ieiunium verò quinti indictum est, quòd eo

Iustitia ac pietate mixti beatã à Deo vitam consequemur.

Hieronymus.

Difficile Hieronymus indicat quòdam Zacharie locum.

Hebræi nõ recte intellexerunt qua de causa quatuor fuerunt ieiunia instituta à synagoga.

Exod. 32.

Iere. 52.

eo mense iussi sunt per quadraginta annos in deserto manere, propter seditionem ortam ex nuntio, quem exploratores è terra sancta attulerunt. & quòd hoc mense fuerit templum à Nabuchodonosor incensum, atque destructũ. Sed tabulas fuisse fractas, & populum in deserto positis mensibus manere iussum, nullo sacræ scripturæ loco probatur. quare nihil est cur non commentum esse putemus.

Qua de causa quatuor ieiunia instituta fuerunt in synagoga. Quid? cur modò quærunt de soluendo ieiunio propter illas clades indicto, cùm eiusmodi calamitates multò antè leuatæ fuerint? Quare aliter hæ calamitates exponendæ, & probandæ sunt, vt fidem habeat oratio. Prima igitur calamitas accidit mense decimo, quo ciuitas obsessa fuit ab exercitu Nabuchodonosor, vt est in

4. Reg. 25. Ezech. 24. 4. Reg. vigesimoquinto; & in Ezechiele c. 24. & hac de causa institutũ fuit ieiunium decimi, id est, Decembris. Sed de hoc non conuenit nobis cum Hieronymo, & alijs Hebræis quos ipse sequitur. Nam dicunt ieiunium decimi fuisse institutum, quòd eò mense acceperunt nuncium qui erant Babyloniæ, vrbem esse captam. Sed hoc nullo sacrosanctæ scripturæ loco nititur. Deinde nemo censet accepisse cladẽ, quãdo eius acceptæ certior fit, imo cupiunt scire omnes rerum suarum statum, nec dolent se resciuisse; sed pertulisse malum. At dicunt; vltimo loco ieiunium decimi à vate nostro numeratur: ergo non primam, sed vltimam calamitatem referre videtur. Sed vates non rerum, sed numerorum ordinem fuit secutus. Et ob eam rem post ieiuniũ quarti, & quinti, & septimi, ieiunium decimi posuit, quamuis priùs fuerit indictũ. Secunda calamitas accidit mense quarto, quo muri rupti sunt, & ciuitas capta, fugitq; rex Sedechias ex vrbe, vt narrat Ieremias trigesimonono capite. Iere. 39. Tertia calamitas accepta fuit quinto mense, quo templum, & regia, & reliquas præcipuas domos incendio vastauit Nabuzardam Imperator exercitus, ac mœnia, quibus cingebatur vrbs, solo æquauit, vt est in. 4. Reg. vigesimoquinto. 4. Reg. 25. Quarta calamitas fuit mense septimo, quo Ismael interfecit Godoliam, vt narratur vigesimoquinto capite. 4. Reg. 25. Propter has igitur calamitates ieiunium quarti, & quinti, & septimi, & decimi fuit institutũ. Nec oportet alias ex vetustissima memoria afferre calamitates, quę ijs mensibus accidisse nullo firmo testimonio probari potest: neque ad huius loci explicationẽ vllo modo pertinent. Nam si propter illas, quas fingunt Hebræi, ieiunia fuissent instituta, & non tãtùm propter has, quas narrauimus; stultum esset quærere de soluendo ieiunio, cùm hæ fuerint calamitates leuatæ; cùm non propter has tantùm, sed propter alias fuerit, vt hi auctores putant, ieiunium indictum. Ex ijs autem quæ à nobis positæ, & probatæ sunt, facilimè hic locus explanatur: vt quia calamitates has, propter quas hæc ieiunia instituta sunt, viderẽt esse detractas, quærerent, num ieiunium vltrà progredi deberet? Nam si primum ieiunium institutum fuit, quòd eo mẽse ciuitas obsessa est à Rege Persarum; iam nullos hostes habebant infestos, pace, & amicitia facta cum Rege Persarum. Si secundum ieiunium fuit institutum, quòd eo mense muri fuerint vrbis diruti: iam ex voluntate Regis Persarum ædificãtur. Si tertiũ, quòd templum, & principes domus fuerint euersæ; iam templum instauratur,

ratur, & ædes multæ restituuntur. Si quartum, quòd interfecto Godolia ciuitas penè fuerit deserta: iam frequentatur multis vndiq; ad eam confluẽtibus. Cum igitur omnibus fuissent calamitatibus liberati, dubitabant de ieiunio, quod calamitates attulerat, vtrùm esset soluendum. Quare rectè hoc modo mihi locus hic declarari videtur. Hoc denique nostri prophetæ loco motus Calixtus Papa in quadã Epistola Decretali Dist. 76. ca. ieiunium quod. decreuit quatuor anni temporibus ieiunium in Ecclesia conseruandum. quò Deus terræ fructus tueatur, & fruges ab iniurijs cœli defendat. Sequitur in propheta.

Cur in Ecclesia fuerint quatuor indita ieiunia.

Veritatem tantùm, & pacem diligite. Repetit frequenter quid eos facere oporteat, quò lætam, & beatam vitã à Deo consequantur. In nostra enim potestate est, vt & calamitatẽ à nobis deprecemur, & multis bonis à Deo tributis fruamur; dum veritatẽ, & pacem colamus. Diximus dudũ in duas partes veritatẽ fuisse à nostro vate distributam, & in eam, quæ versatur in hominum congreßibus; & in eam, quæ in iure dicendo. Vtramq; hoc loco requirit, & præter hoc, vt pacem diligãt. hoc est, ne ita veritatis studiosi sint, vt æquale, & quod sibi debetur, semper requirant, ac secum denique pro suo iure semper agi velint: ex quo sæpe magna nascuntur dißidia, & lites infinitæ. Sed est liberale quidem, tum etiam plerumque fructuosum, de iure suo quidquam concedere: nam & humanæ societati ita seruiemus, & pacem, qua nihil in repub. præstantiùs, cõseruabimus. hoc Paulus monet ad Hebræos duodecimo capite; Pacem sectamini cum omnibus, etiam cum ijs, qui vobis iniuriam faciunt, vt optimè declarat Oecumenius Græcus. Nam si affectus iniuria, neque vlcisci quæram, neque meum ius persequar, si poßum sine magno detrimento in ea re conniuere, citò pax fiet. Est enim illud magni, ac clarißimi viri, quod Dauid ait, Cum ijs, qui oderunt pacem, erã pacificus. Est igitur perfecti Christiani munus non callidè, nec versutè; sed ex æquo & bono cum omnibus agere; quam verò ipse ab alijs iniuriam acceperit, modestè ferre.

Liberale est, & plerũque fructuosum de suo iure quidquid concedere.

Hebr. 12.

Oecumenius.

Perfecti christiani munus.

20 *Hæc dicit Dominus exercituum, Vsquequo veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis.* Hoc fœdus ictum est à Deo cum populo suo, vt si legem eius ipsi seruarent, omnia ipse eorum incommoda sarciret, & magna commoda præstaret. Posuit ergo propheta, quæ Deus à populo suo requirat: ponit mòdò quid ipse à Deo expectare debeat. Id damni acceperat Ierusalem, quòd cum antè celebris, & frequentißima fuerit, ita deserta sit, vt viæ eius frondibus ferè iam, & virgultis intercluderentur, vt lamentatur Ieremias; Viæ Sion lugent, eò quòd non est, qui veniat ad solennitatem. Cui malo, tanta bonitate Deũ esse occursurum Propheta dicit, vt non ciues, sed populi multi ad eam confluant; ita vt colonias oporteat deducere, non vnam, aut alteram, sed multas. Quod dicit Latinus interpres vsquequo; Hebræus dicit עוד hod, id est, adhuc: refertur que ad tempus futurum, vt quidam Hebræus doctus in grammaticis dicit. vt Genesis. 29. Superest adhuc multum diei. Quare licet Hieronymus non admodum repudiet quorundam Hebræorum huius loci explicationem,

Leui. 26.

Quid à Deo debeant expectare qui obsequuntur ei.

Thre. 1.

Gen. 29.

qui de temporibus Zorobabel intelligi asserunt, quo tempore data libertate, & facta ædificādi potestate, multi Iudæi Ierosolymam venerunt: ego tamen magis assentior alijs Hebræis, qui habētur inter eos doctissimi, qui non nisi de Christi temporibus rectè explicari dicunt. primùm, quòd illud aduerbium, de quo dixi, tempus spectet futurum: deinde quòd nusquam legatur tantam ciuium frequentiam fuisse regnante Zorobabel. Imo Daniel prædicit; Ædificabitur platea, & muri in angustia temporũ. & in Nehemia. 12. legitur eos, qui incumbebant operi, armatos esse contra hostium impetus. Quare cum viæ essent hostibus infestę, magnus de vrbe concursus esse non potuit. Iam verò non hominum, sed populorum concursum dicit esse futurum. at omnes Iudæi in vno populo numerantur. quo circa non solùm Iudæorum, sed etiā barbarorum, Græcorum, & Latinorum, & aliarum gentium, atque natiõnum frequentiam, ac cõcursum fore significat. quod nisi tēporibus Christi nunquam accidit. Et ob eam rem Hieronymus ipse fatetur, pleniùs id per Christum euenisse, quando Ecclesia ex varijs gentibus composita fuit; cùm deniq; illud effectum est, quod dicit Esaias. Et erit in die illa, adijciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthiopia, & ab Elam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab Insulis maris: & leuabit signũ in nationes, & cõgregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Ex ijs facile intelligitur ea omnia, quæ sequũtur in hoc capite, ad Christi tempora

Dan. 9. c.

Per Christũ concursus populorum ad Ecclesiam conuersus.

Esai. 11. c.

tantùm conuenire, loqui que de vocatione gentium.

21 *Et vadant habitatores vnus ad alterũ, dicentes, Eamus, & deprecemur faciē Domini, & quaramus Dominũ exercituũ, vadam etiam ego.* Explicat quo studio, & animi ardore populi ad Christum, Ecclesiámq; cõueniēt: nõ leuitate, aut humana curiositate, aut rerũ adductino uitate, sed ingenti desiderio, & ardēti cupiditate se, resq; suas Christo, & Ecclesiæ deuouendi, ac spes omnes suas in Deo viuo, & vero collocādi. quod significat dicens populos dicturos,

Eamus, & deprecemur faciem Domini. Id est, reliquas spes fallaces abijciētes ab eo vno pacem, veniā, & salutē petamus. Deniq; dicēt ei illud, quod Oseas præcipit dicendum ab eis, qui se totos ad Deum conuertant; Omnē aufer iniquitatem. & Accipe bonũ, & reddemus vitulos labiorũ nostrorum, id est, accipe sacrificium, & preces nostras audi, laudesq; proba. Nā te decet (vt ait Dauid) hymnus in Siõ, & tibi reddetur votum in Ierusalem.

Et quaramus Dominum exercituum. id est, omnes vias percurramus, per quas ipse ambulare, aut inuestigari solet. Priùs ponit id, quod primo faciendum est; vt deprecemur Dominum; ab eo inter alia petentes cum Dauide vt nos semitas, ac vias suas doceat: deinde eas magno studio, & pro virili parte persequi. Ecclesia autē fidelissima interpres oraculorum Dei, harũ viarum certam notitiam præbet; ipsa diuinas leges, præcepta, atq; consilia verè, & incorruptè docet; quas postquā didicerimus, illud est faciēdum, quod Dauid ait; In toto corde meo exquisiui te. Felix autē qui in hac re ita delectatur, vt reliquas omnes curas pro nihilo putans, huic vni omni studio,

Quanto studio populi ad Christum Ecclesiamque conuenient.

Osee. 14. a.

Psal. 64.

Psal. 24.

Ecclesia viarum Dei certam notitiã prabet.

Psal. 118.

studio, industria, & solicitudine incumbendum existimat.

Quales futuri sunt qui veri fuerint alijs auctores quærendi Deum.

Vadam etiam ego. Pulchrè describit eos, qui veri futuri sunt auctores alijs quærendi Deum. Nam qui alium ad hoc studium adhortatur, ipse verò illud negligit, ac potiùs res alias, quàm Deũ quærit; irrisor potiùs, quàm bonus doctor est ducendus: quod enim verbis docet, re ipsa dedocet. Difficilè enim est, vt suum is mihi consilium probet, quod sibi non probari planè video. Aliter verus ille magister docuit, qui dixit, Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Aliterque egregius ille prædicator Paulus informabat discipulum suum Titum, cùm illi scriberet; In omnibus teipsum præbe exẽplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & grauitate. Is ergo verè monet ad Deum quærendũ, qui præter alia verè dicit, vadã etiam ego.

Ioan.13.b.

Tit.2.b.

22 *Et venient populi multi, & gentes robustæ ad querẽdum dominum exercituum in Ierusalem, & deprecandam faciem Domini.* Locum notat, ad quem populi frequentes venturi sunt, & in quo de Deo, & vijs eius quærent, ad omnéq; se pietatem informabunt: in quo deniq; Deum orabunt, & obsecrabunt, & assiduè precabuntur: qui est Ierusalẽ, id est Ecclesia. de qua dicit Esaias; Et erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur. Extra eam verò nemo viã Dei neq; scire, neque inuenire potest. Et quemadmodũ nõ nisi Ierosolymis Deo gratũ erat sacrificium: ita modò nõ nisi in Ecclesia; extra quam nemo Deũ placare, nemo sibi recõciliare potest. & quemadmodum Ierosolymis tantũ ædificato tẽplo respõsa dabat: ita in Ecclesia solùm doctrinã suã, & præcepta, & instituta docet: est enim, vt ait Paulus Timotheo scribẽs, colũna, & firmamentũ veritatis. Quod verò dicit. *Gentes robustæ.* in Hebræo est עֲצֻמִים *hazumim*, Vatablus quẽdam Hebræũ non indoctũ sequẽs dicit, ad numerũ referri, id est, gẽtes multę, magnæq; numero: quemadmodũ illud Ieremiæ. Multiplicatæ sunt mihi viduæ eius super arenã maris. quo loco pro multiplicatæ, in Hebræo est verbũ prædictũ: sed non solũ ad quantitatẽ, vt isti putãt; sed etiã ad qualitatẽ refertur. Significat enim propriè עָצַם hazam, augere: quod tribus modis fieri potest; vel quãtitate coniuncta; vel discreta; vel etiam qualitate. qua diuisione omnis eius ambiguitas, & homonymia, quæ quidem Hebræis magna est, tollitur. Nam aliàs dicunt esse roborare, aliàs multiplicare, aliàs claudere, aliàs ossa conterere, nullã metaphoræ, & translationis rationẽ ostendentes. Sed cũ Esa. 33. vers. 15. & c. 29. vers. 10. claudit oculos exponũt; si exponerẽt, cõprimit, cõstipat, atq; quasi condensat oculos, ne aut acies prodeat, aut species intrent, significãtiùs, maioriq; pondere declararetur. at cũ quidpiã cõstipatur, densiùsq; fit, quãtitas augetur coniuncta, & illud Ieremiæ. 50. vers. 17. vbi exponunt exossauit, id est, contriuit ossa eius: si interpretarentur, auxit ossa eius, elegantiùs dictũ esse viderẽt: nam id fieri nõ poterat, nisi fractis ossibus, quo numerus eorum augeretur. hinc fit vt עֶצֶם bezem, cum sex punctis os significet: quoniam auctius, ac densius præ reliqua corporis carne est. significat eadẽ de causa quod forte est, corpusq; habet. Ex hoc facilè cæteræ significationes cum illa vna proposita cõuenire intelligentur: nam in his duabus difficiliùs erat metaphoræ rationem

Ecclesia locus est in quo Deum quærere & precari oportet.

Esai.35.c.

1.Tim.3.d.

Iere.15.b.

עָצַם *hazã accuratè explicatur.*

Esa. 35. vers. 15. & 29. vers. 10.

Ierem. 50. vers. 17.

exponere. Sed quòd ad incremétum etiam qualitatis spectet, intelligitur apertè ex Psal. 104. vers. 24. Auxit populum suum vehementer, & וַיַּעֲצִמֵהוּ *uahazimehu*, id est, firmauit eum super inimicos eius; non intelligendum est plures solos Israelitas fuisse, quàm cũctos Aegyptios; sed quòd valétiores, maioreque vi, & fortitudine prǽditi erant. & Deuter. 8. vers. 17. עֹצֶם יָדִי *hozem dai*. id est. Fortitudo manus meæ fecit mihi substantiam hanc: quæ fortitudo, neque ad quãtitatem coniunctam, neq; seiunctam referri potest: sed ad solam fortitudinem, & industriam animi. Quare vtraq; significatio hoc loco nostri vatis intelligenda est. hoc est, non solùm referta erit Ecclesia multis, sed etiam fortissimis, ac robustissimis hominibus, qui vniuerso mundo, carnisque libidini, & rabido inferni furori resistant, nullisq; hostium conatibus, aut nefarijs, acerbissimisq; bellis frangentur, aut Ecclesiã deserere cogẽtur. de Ecclesia enim ait Esa. Timebit te populus fortis, & ciuitas gentium robustarum laudabit te. Cùm dicit,

Psal. 104. vers. 24. — *Deut 8. vers. 17.* — *Fortissimæ gentes ad Ecclesiam conuolabunt.* — *Esa. 25. a.*

Ad quærẽdum Dominum exercituum in Ierusalem, & deprecandam faciem Domini; ad id alludere videtur, quod ex instituto Dei olim à Iudæis fiebat, vt ad Ierusalem diebus festis omnes conuenirent, & quoties sacrificium facere, aut pro pace, ac salute, aut pro peccato volebant.

23 *Hæc dicit Dominus exercituum, In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes, Ibimus vobiscum: audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est.* Prædixit quanta, quàmq; vera solicitudine Ecclesiæ magistri Euangeliũ docturi sunt: modò prædicit, quo affectu, quo studio, & ardore discipuli veram doctrinam percipient: non inuitè, non languidè magistris adhærebũt; sed ita illos amplexabuntur, ita fouebunt, & in manibus habebunt, vt decem vnius Doctoris Iudæi fimbriam comprehendant rogantes, & obsecrantes, vt illos discipulos sibi velint adiungere, vt illos in vsum, ac consuetudinem suam velint recipere. idque facient non animi leuitate pulsi, sed magna ratione commoti: *Quoniam audiuimus*, dicent; *Deum vobiscum esse*. id est, vobis fauere, atque adesse; itaque vobis esse addictũ, vt nisi vos amicitiæ fores aperiatis, nemo in gratiam eius veniat. vos denique claues audijmus habere regni cœlorum, ita vt voluntate, arbitratuque vestro claudatur, & aperiatur. ne ergo nos contemnatis, ne supplices, & ad pedes vestros abiectos repudietis: moriemur potiùs, quàm à vobis aut discedamus, aut à complexu vestro diuellamur. Quę omnia docentibus, ac concionantibus Apostolis contigisse scimus. Quis enim significet, quo studio, qua pietate & charitate discipuli tum magistros suos prosequebãtur? de hac re Paulus ad Gal. ita disserit; Sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christũ Iesum, vbi est ergo beatitudo vestra? id est, qua vos beatos, ac felices putabatis, quòd me magistrum haberetis: tanto erga me ardebatis amore, vt toti ex me, tanquam ex Christo Iesu penderetis. Testimonium (adiũgit) enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Cùm dicit, *Decem homines*; numerus est finitus pro infinito, sicut illud Leuitici. Postquam confregero baculum panis vestri, ita vt decem mulie-

Quo studio discipuli doctrinã Christi percipiẽt. — *Mat. 16.* — *Qua pietate discipuli sacra doctrinæ magistros prosequebantur.* — *Gal. 4.* — *Leu. 26. d.*

res in

res in vno clibano coquant panes. & in Apocalypsi. Habebitis tribulationem diebus decé. Nam in Actis narratur, Petro prædicãte quinq; millia hominum eius doctrinam professos esse, ac eius vna oratione Christo se deuouisse. & non homines tantùm, sed prouincias plusquàm decé Pauli se doctrinæ dedisse, in Actis, & in eius Epistolis narratur. Ex hoc etiam intelligi licet, quanti magistros suos faciant ij, qui veræ doctrinæ, veræque pietatis amore ducuntur. Equidé existimo chariores esse eis, quàm alijs parentes esse solent: imo ipsi libentiùs parentum suorum, quàm horũ aspectu, ac vsu carerent. Nullã in vita esse puto nec iucundiorem, neque firmiorem amicitiam, quàm eam, quę ijs hominibus cum magistris suis intercedit. Cuius rei nõ leuis significatio est in Ioannis sexto capite, quo narratur Christus ab alijs desertus discipulos suos rogasse, Vos vultis abire? qui responderunt, Domine quò ibimus, quia verba vitæ habes. Vsque adeò eum amabãt, obseruabãt, & spes suas in eo posuerãt, vt si ab eo discederét, quò se conuerterent, ignorarent. Vicissim etiam ipsi magistri tanto amore discipulos suos prosequuntur, vt Paulus dicat, quod vix erat credibile, Cupio Anathema esse pro fratribus meis. & alio loco. Ego auté libentissimè impendã, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minùs diligar. Deniq; si quis flammas amoris inauditas videre cupit, legat Pauli Epistolas, præsertim eam, quæ est ad Galatas. Ex charitate verò, quam erga pietatis christianæ, & sacrarũ scripturarũ magistros nos habere fuerimus experti, intelligemus quantũ & pietaté christianã,

Apoc. 2. c. *Act. 4. a.*

Sacra doctrina amatores magistros suos plurimi faciunt.

Sacra doctrina magistri discipulos suos vehementer diligunt.

Rom. *2. Cor. 12.*

& sacras literas diligamus. Nemo mihi vnquã persuadebit, se veritatis, ac virtutis nimis esse cupidũ, si harũ auctores, & magistros leuiter amet. Illud etiam in hoc capite animaduersione dignum est, decies in eo hanc orationem repeti.

Veritatis nimis cupidus non est censendus, qui leuiter eius auctores amat.

Hæc dicit Dominus exercituũ. Quod Græcus interpres vertit παντοκράτωρ, omnipotés, quia cùm res eximiæ, admirabiles, & propè incredibiles, si ex rerũ humanarũ cursu cóiectura fiat, promittantur, vt certã ei fidé habeamus, non de suo hæc dicta existimari vult, sed de eius oraculo, qui omnia potest, cui nihil factu est difficile: & ad huiusmodi considerationem confugere nos oportet, cùm in magnas fidei, ac religionis nostræ difficultates incurramus.

Cum in magnas nostra religionis difficultates incurramus Dei summã potentiã considerare oportet.

CAPVT. IX.

1 *ONus verbi Domini in terra* A
Hadrach, & Damasci re-
quiei eius: quia Domini est oculus ho-
minis, & omnium tribuum Israel.
2 *Emath quoq; in terminis eius, &*
Tyrus, & Sidon: assumpserunt quip-
pe sibi sapientiam valde.
3 *Et ædificauit Tyrus munitionem*
suam, & coaceruauit argentum quasi
humum, & aurum vt lutũ plateartũ.
4 *Ecce Dominus possidebit eam, &*
percutiet in mari fortitudinem eius,
& hæc igni deuorabitur.
5 *Videbit Ascalõ, & timebit: & Ga-*
za, & dolebit nimis: & Accaron, quo-
niam confusa est spes eius: & peribit
rex de Gaza, & Ascalon non habi-
tabitur.

6 *Et sedebit separator in Azoto,& disperdam superbiam Philisthinorũ.*

B 7 *Et auferam sanguinẽ eius de ore eius,& abominationes eius de medio dentium eius: & relinquetur etiam ipse Deo nostro,& erit quasi dux in Iuda,& Accaron quasi Iebusæus.*

8 *Et circundabo domum meam ex his qui militant mihi euntes & reuertentes,& non transibit super eos vltrà exactor: quia nunc vidi in oculis meis.*

9 *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ECCE REX TVVS veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascendẽs super asinum & super pullum filium asinæ.*

C 10 *Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacẽ Gentibus,& potestas eius à mari vsque ad mare,& à fluminibus vsque ad fines terræ.*

11 *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.*

12 *Conuertimini ad munitionẽ vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.*

13 *Quoniam extendi mihi Iudã quasi arcum, impleui Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia, & ponam te quasi gladium fortium.*

14 *Et Dominus Deus super eos videbitur,& exibit,vt fulgur iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet,& vadet in turbine Austri.*

15 *Dominus exercituum proteget* D
eos: & deuorabunt, & subiicient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur vt phialæ,& quasi cornua altaris.

16 *Et saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi sui: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.*

17 *Quid enim bonũ eius est, & quid pulchrum eius nisi frumẽtum electorum,& vinum germinans virgines?*



Nus verbi Domini in terra 1
Hadrach, & Damasci requies eius: quia Dominus est oculus hominum, & omnium tribuum Israel. Exposuit capite superiori propheta, quãtis beneficijs Deus cumulaturus, quantis gloriæ ornamẽtis affecturus erat Ecclesiam: hoc verò capite declarat, quàm magnificè hostes sit eius vlturus, & quàm eximiam victoriam reportaturus. משא *massa*, onus est prophetiæ, quæ calamitatem venturam minatur: opprimit enim tanquã onus. cuius verbi est frequẽs vsus in prophetis, pręsertim maioribus. vt apud Esaiam; Onus Moab, onus Damasci, onus AEgypti: inscriptio est earũ prophetiarũ, quibus has ciuitates, atq; prouincias vastãdas prędicit. Hæc autẽ nostri vatis prophetia re vera potiùs fausta, atq; fœlicia nunciat, quàm grauia, aut formidãda. Vaticinatur enim Euãgeliũ gentibus exponẽdũ, & eius vi multas vrbes in Ecclesiæ potestatẽ redigendas. Sed quia idololatria propè funditùs per Apostolos,

Onus in sacra scriptura quid significet.

c. 15. 17. 19. 21.

Nunciat propheta multas vrbes Euangelij vi in Ecclesiæ potestatẽ esse redigendas.

stolos,& reliquos cócionatores delẽda,atq; excidenda est, eiusq; excisionem eo modo describit futurã, quo ea,quę bello fit esse solet,ob eam rem onus, id est, calamitatem,& euersionem hanc prophetiam vocat. Liranus ex aliquorum Hebręorum sententia, harum vrbium euersionem, de qua noster propheta loquitur, eam esse putat, quæ ab Alexandro facta est: quod mihi omnino nó probatur: ná multa,vt videbimus,ad id conuenire non possunt: tum quia nonnullis dedit turpis erroris ansam. quare totum caput de bello à Christo, & Apostolis cum idololatris, atq; gentibus suscepto cú Hieronymo exponamus.

Liranus.

Hieronymus.

Onus(ergo)*verbi Domini*. Id est, prophetia grauis à Domino; qui quidem grauiter minatur terrę Hadrach. Omnes vrbes,quas hic nominat, erant finitimæ agro Iudæorum; quæ quoniá eis erant notissimæ, propterea potissimùm nominantur. Cæterùm species est pro genere, id est, metonymia figura: non enim has solùm, sed omnes etiam omnium gentium, & idololatrarum vrbes verbo Euangelij subactas intelligit. *Damasci requies eius*. Id est, calamitas etiam Damasci: quæ vrbs erat opulentissima, ac nobilissima gentiliũ, adiacés Libano, Syriæ caput: cui Paulus bellũ indixit: nam in hac vrbe cœpit ipse Euangelium prædicare, factus repentè diuina gratia ex hoste immanissimo defensor acerrimus veritatis. Vocat vrbem hanc, requiem Dei, id est, erit sedes, ac domicilium imperij diuini, nam pulsis idolis vnus ibi Deus coletur: quod mirum valde tum esset Iudæis, vt in ea vrbe, quæ idolis tota dedita erat, sedes Dei poneretur, quæ olim Ierosolymis tantùm erat: alludere enim videtur ad propitiatorium, quod super arca positum, & inter Cherubim sedis, ac solij Dei imaginem gerebat. Septuaginta tamé vertunt, θυσία id est, sacrificium eius, quod idem est. Nam Ierosolymorum templo solùm sacrificium antè fieri poterat, & nomen Hebræum מנחה *minha*, mutatis punctis, vt mutari possunt. nam non attinent ad substantiam verbi, sed ab Hebræis postea apposita sunt; vtrunque significat. Si enim legamus מְנֻחָה *menuha*, significat requiem: si verò מִנְחָה *minha*, genus est sacrificij sæpe in Leuitico vsurpati. Quomodo autem Liranus Alexandri victoria Damascum sedem Dei esse factam aptè exponet, latet quidem me.

Act. 9. c. d. In Damasco Paulus cœpit Euangelium prædicare.

Quia Domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israel. Subijcit eius quod dixerat, rationem, futuram esse Damascum sedem, & requiem Dei: quia desinét idola respicere, & in illis sperare, & in me vnum oculos suos vnà cum veris Israelitis conijcient; in me spes omnes suas ponent. id enim intelligit cùm dicit;

Dominus est oculus hominis. Vel vt oculus pro mente ponatur ea sententia; se fidei subijcient, id intelligent, id sibi persuadebunt, quod Deus eos docuerit. Septuaginta vertunt, κύριος ἐφορᾷ ἀνθρώπους Dominus respicit homines, id est, subsidio est, atque fauet. Hoc loco animaduertédum censeo, quòd Damascum Dei sedem propheta dicat, quòd eum spectet, in eoque confidat, idem quibuscunque vrbibus continget, quæ se Deo sic præstiterint: nec solùm vrbibus, sed etiam hominibus, qui Deũ ex animo coluerint, ac in eo rationes omnes suas collocauerint. quod Christus ipse promittit dicens: Qui diligit me, sermones meos ser-

Qui Deũ colunt, sedes eius fiunt.

Ioan. 15. seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

2 *Emath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Sydon: assumpserunt quippe sibi sapientiam valde.* Emath, atque Tyrus vrbes erant gentilium finitimæ Iudæis, quas in ditionem Dei venturas, ac intra terminos suę hereditatis includendas hic propheta prædicit: licet magnam ad se defendendum sapiētiam, vel calliditatem, & astutiam potiùs comparauerint. Nihil magis veræ sapientiæ aduersatur, quàm huius seculi sapientia: sicut nihil magis veritati repugnat, quàm error. Ex quo fit, vt nulli rudiores sint ad discendam veritatē fidei, ac religionis nostræ, quàm qui huius seculi sapientiam tenent. siquidem non solùm non discunt, non percipiunt, sed etiam tanquam mentecaptos irridēt magistros suos. Quo enim pacto simplicitatem, ac veritatem christianam, aut sibi persuadebit, aut intelliget is, qui nulli dolo, nullis insidijs parcere decreuit, dum quod velit consequatur? Quare valde mirum est, ac prodigij simile, si sapiens huius seculi suam abijciens sapientiam, ac stultitiam esse iudicans, discipulus incipiat fieri Christi, fideiq; se, ac religionis præceptis, & documentis subijciat; atque in animum inducat, nullam esse æstimādam sapientiam, nisi quæ Christum doceat crucifixum. Tanti fecit Paulus huiusmodi virum vincere, ac in potestatem Christi redigere, vt quia vnum huiusmodi, Paulum nomine, Proconsulem Cypri, virum (vt in Actis dicitur) prudentem, superauerit, ac Euangelij discipulum fecerit, cùm ipse Saulus vocaretur, Paulus vt ille, quem vicit, deinde appellatus est, au-

Nihil magis vera sapientia aduersatur quàm huius seculi sapientia.

Prodigij simile est si sapiens huius seculi discipulus incipiat fieri Christi.

Acto. 13.

Qua de causa Paulus se sic mutarit.

ctore Chrisostomo; qui hanc solam huius mutationis causam reddit. Quemadmodum ij, qui facinus aliquod præclarum in bello faciunt, vel illud in imaginibus suis ponunt, vel ex eo nomen accipiunt; vt Scipiones, Africani; quia subegerunt Africam: Germanicus, quia Germaniam: Torquatus, quia hosti torquem detraxit: ita Paulus, quia Paulum virum prudentem superauit. Ad extollendam igitur victoriam, quam de Tyro, & Emath Deus reportauit, dicit multa fuisse sapientia armatam, multa calliditate instructam; cessit tamen stultitiæ prædicationis, vt loquitur Paulus, ad Corinthios scribens. In qua re Dei virtutem, & incredibilem bonitatem, ac clementiam prædicare, laudare, & admirari debemus, qui callidas, & vineis (vt ait sponsa in Canticis) infestissimas vulpes, in agnos simplicissimos, oues'que conuertit. 1. Cor. 1. 2.

Chrisostomus.

3 *Et ædificauit Tyrus munitionem suam, & coaceruauit argentum quasi humum, & aurum vt lutum platearum.* Persistit in amplificanda victoria Christi; quod ea ratione rectissimè fit, si quàm munita fuerit Tyrus contra Euangelium Dei explicetur. Posita prima munitione, quòd erat huius seculi sapientiæ, ac calliditatis plena, quam omnium maximam ego iudico; ponit secundam, quæ validissima etiam est, quòd erat argento, & auro referta: quod quantum repugnet euangelicæ veritati, quæ nullos nisi pauperes amat, nullos magis quàm diuites odit, facilè cognosci potest. Nam Christus apud Matthæum dicit, fallacia diuitiarum suffocari verbum Dei, & sine fructu effici. & apud Marcum, Matt. 13. c.

Diuitiæ repugnant valde Euangelio.

Marc. 10. Facilius esse ait, camelum per foramē acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Cùm ergo se tantis præsidijs Tyrus muniret, no in ditionem Ecclesiæ caderet; redacta tamen in potestatem est, & paupertatē christianā omnibus suis diuitijs ante posuit; aurū, & argentū abiecit, & crucē Christi amplexa est. quis id crederet? quis vnquā speraret? quis tam rudis disciplinæ aut barbarus, aut Scytha est, qui diuinam potentiā, immensamq; Dei vim, in tā eximio facinore non cognoscat? vereque illud esse factum, quod Christus, loco apud Marcum citato, discipulis quærentibus, quis ex diuitibus seruari posset, si facilius esset camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum? respōdit ille; Apud homines impossibile est, sed nō apud Deum. Quare quòd Tyrus tantis cumulata diuitijs, tantis aucta dolis, & insidijs, ac seculi sapientia, fuerit tamē superata, & in ditionem Ecclesiæ redacta, non humanæ, sed planè diuinæ virtutis est: eique magna omnium admiratione attribuendum est, quod sequitur;

Valde difficile est diuitem Euangelio sperari.

Marc. 10.

4 *Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni deuorabitur.* Explicat modum expugnationis Tyri, per ea quæ vsuuenire solent in expugnanda vrbe. Tyrus erat vrbs natura sua munitissima: nā erat tota circundata mari: franget tamen eam maris fortitudinem, de qua vehementer gloriatur, neque mari depellet incēdium, quo à expugnatoribus conflagrabit. Eximia quidem, & magnifica virtus victoriæ verbi Dei, cui nulla humanæ industriæ vis, nulla insita potentia potest resistere; omnem frangit copiam, debilitat omnia præsidia, nullis tantis criminibus, nullis tantis flagitijs ditionem suam diabolus munire potest; licet cor, & voluntatem hominis obtinens se omnium vitiorum Oceano cingat; omne scelerum frigus, omnem peccatorum colluuiem exhauriet, atque consumet ignis, quem verbum Dei excitare in mentibus solet. Si enim semel doctrina Dei hominem vel vitiosissimum ad amorem Dei, & studium pietatis incēdat; facilis, & expedita omnium, atque adeò innumerabilium, & teterrimorum vitiorum expugnatio erit. Ignis hic, quo Tyrus, & aliæ vrbes incensæ sunt, fuit ille in Apostolos è cœlo delapsus in die Pentecostes; de quo Christus dixerat auctore Luca; Ignem veni mittere in terram; quid volo, nisi vt accendatur? de quo multis egimus. c. 2. huius prophetæ. Tanta igitur machina mirùm non est, si capta Tyrus, & expugnata sit; cui neque mundus vniuersus, neq; omnes inferorum acies potuerunt resistere. Quare, *Dominus* (vt ait propheta) *possidebit eam*. Id est, suam efficiet, in eiusq; ditionem pulsis idolis cadet, Deum viuum, & vnum colet, eique opes, ac diuitias suas dicabit. quod optimè præuidit Dauid in eo Epithalamio, quod sponsæ Christi Ecclesiæ canit, cùm dixit. Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis, id est, ex argento, & auro illo tanto, quantum est lutum platearum, munus tibi concinnabit, teque obnixè obsecrabit, vt per te ab sponso tuo peccatorum suorum veniam impetret. cum ergo propheta dicit, Dominus possidebit eam, difficilè per Alexandrum Liranus exponet esse factum.

Qualis sit victoria verbi Dei.

Quo nā igni gentilium vrbes incensæ sint.

Luc. 12. g.

Psalmi locus exponitur.

5 *Videbit Ascalon, & timebit: & Gaza, & de-*

& delebit nimis, & Accaron, quoniam confusa est spes eius: & peribit rex de Gaza, & Ascalon non habitabitur. Omnes hæ sunt vrbes finitimæ, aut non multo interuallo distantes. Et animaduertendum est, prophetam persistere in metaphora expugnationis vrbium, atque ea, quæ tum accidere solent, transferre in victoriam de gentibus & idololatris per Euãgelium adeptã. Et quemadmodũ vna vrbe capta, & expugnata, finitimis magnus terror inijci solet: ita vt ante oculos proponat progressionem, & cursum admirabilem Euangelij, quem nemo valebit reprimere; describit iter præclarissimi ducis, qui alias vrbes vastabit incendio, alias vi capiet, alias terrebit, & de sua salute desperantes de deditione cogitabũt. & ob eam rem dicit,

Ex ijs quæ in expugnatione vrbium accidere solent, explicat propheta verbi Dei victoriã.

Timebit Ascalon, Gaza dolebit. id est, Accarõ sui præsidij spe excidet, Rex Gazæ occidet.

Ascalon non habitabitur. Nam omnes idololatræ expellẽtur, vastabitur, & excidetur idolorũ cultus. Si enim cursum Euangelij animo contemplemur, omnium Imperatorum victorias eius trophæis longè inferiores reperiemus: neque enim citiùs distantissimæ terræ cuiusquam pedibus obiri potuissent, quàm Euangelij nõ cursibus, sed victorijs lustratæ sunt. Quas enim victorias Paulus ex infinitis Asiæ, & Europæ prouincijs reportauit? quas Andreas ex Scythia, Thracia, & Epiro? Matthæus ex AEthyopia? Thomas ex India? vt paucis annis (auctore Paulo) Euangelij fama totum confecerit, ac peragrauerit orbem terrarũ. has victorias luculentissimè cecinit David dicens; Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis: id est, saggittæ tuæ, quæ sunt verbum Dei, penetrabunt ad corda inimicorum tuorum: facies enim vt ex animo inimicitias deponant, tibique subijciantur; populosque multos vi saggittarum tuarum subiges, atque in ditionem redіges. & Psal. 2. inducit patrem cum filio loquẽtem; Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & possessionem tuã terminos terrę. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli cõfringes eos.

Euangelij trophæa omniũ Imperatorũ victoriis longè inferiores sunt.

Psal. 44. Locus Psal. exponitur.

Psal. 2.

6 *Et sedebit separator in Azoto, & disperdam superbiam Philisthinorum.* In Hebræo prp separatore est ממזר *mamzer*, de cuius significatione non conuenit inter Hebræos. quidam gentis nomen esse dicunt Ierusalem propinquæ: alij dicunt significare hominem spurium: alij extraneũ. Hieronymus hoc loco vertit separatorem. & in Deuterono. vertit de scorto natum. Sed Targus Chaldaicus hunc locum nostri propetæ ita exponit; Et habitabit Israel in Asdod, in quo fuerunt sicut extranei, quæ interpretatio mihi vehementer placet, caditque in vulgatum, ita vt separator sit idem, quod extraneus: quoniã se ab alijs separat. Idem significare videntur septuaginta, qui vertunt, ἀλλογενεῖς. alienigenas. Asdod enim erat ciuitas Philistinorum, qui alienigenas, atque extraneos ducebant filios Israel; quoniam non erant in Palestina nati, sed ex AEgypto venerant. Viri ergo Israelitæ, id est, credentes occupabunt Azotum vrbem munitissimam. *Et disperdam superbiam Philisthinorum.* Id est, comprimam fastidium, & arrogãtiam, ob quam erant alienati à filijs Israel, indignosque illos habebant vsu, & consuetudine sua. quod fiet quando in potestatem illorum veniant, quos à se repellebant. Ita enim plerunque contingit,

Deut 23.

Accidit vt qui aliũ nullo suo merito cõtemnit in manus eius incidat.

tingit, vt is, qui aliũ nullo merito suo cõtemnit, & iniuria afficit, in manus eius postea incidat. Sic Saul omni studio quærens Dauidem ad eum interficiendum bis eum casus tradidit in potestatem Dauidis, sic vt eum si voluisset, potuisset impunè interficere. Ac denique iniqui omnes, qui viros virtute preditos frequenter appetunt ab eis in fine seculi venient iudicãdi. Sed præclarè quidem cum homine improbo agitur, si veniat in potestatem viri probi: nam solent pro maleficijs acceptis, beneficia præstare. Sic Philistini quamuis iniqui erga credentes fuerint, cum in eorum imperio fuerunt, præclarè de illis meriti sunt, vt ex sequenti clausula intelligitur. Illud verò magnum supplicium, & meritum est quidem, vt iniquus in manus incidat alterius iniqui.

Illud meritũ supplicium est vt iniquus in manus incidat alterius iniqui.

Et auferam sanguinẽ eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentium eius. Paucis omnem iniquitatem, & malitiam comprehendit in duas partes distributã: nam aut iniqui sumus erga proximos, aut erga Deum. Primam tangit primis verbis cùm dicit, *Sanguinem eius de ore eius.* Id est, iniurias, & oppresiones, & alienorũ bonorum direptiones: alluditque ad habitum, & speciem bestiæ sanguinariæ, quæ ex dilaceratione os sanguine infectum habere solet. Vatablus & alij interpretantur, Auferam blasphemias ex ore eius. quod mihi sanè non probatur: non enim huic dicendi modo alium similem in diuinis oraculis proferet: vt nos verò exponimus, loquitur Esaias cap. 1. Manus vestræ sanguine plenę sunt. qua dicendi ratione ex omnium interpretum sententia, quos ego viderim, homicidia, & iniurias alias declarat, quibus proximos appetebant: alluditq; ad bestias etiam sanguinarias, quæ manibus alias bestias dilacerant, atq; discerpunt. *Auferam ergo sanguinem ex ore eius.* Id est, faciam vt neminem lædant, nulli perniciem, aut nocumentum afferant: beneuolos eos, & mitissimos efficiam, sæuitiam & atrocitatem deponent. quod Esaias vaticinatus est ad eãdem etiam immanium bestiarum rationẽ alludens, Lupus, & agnus pascentur simul, leo, & bos comedẽt paleas. id est, homines sæui, qui & viribus ad nocendum pollent, non erunt imbecillibus detrimentosi, leo, & bos comedent paleas, id est, quos dixi, desinent esse truces, & alijs obesse, humaniter se gerent, comiter inter alios versabuntur. Egimus de prima parte iniquitatis, illis verbis comprehensa, *Auferam sanguinem eius de ore eius.* Secundam illis verbis tangit, *Et abominationes de medio dentiũ eius.* In Hebræo est שקצים *sequuzim*, abominationes: & ferè semper vsurpatur pro sacrificijs, & pro reliquo cultu, qui idolis solet exhiberi. vt illud. 4. Reg. 23. vers. 24. Sed & phytones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda, & Ierusalem, abstulit Iosias. quoniam ex sacrificijs, quæ idolis faciebant, ipsi etiam edebant, ob eam rem dicit, Auferam abominationes de medio dentium eius. id est, desinent idola colere, & alios Deos, ne vnum obseruabunt.

Iniquitas omnis aut erga Deũ aut erga proximum est.

Sanguis in ore quid significet.

Abominatio est sacrificia & reliquus idolorum cultus.

4. Reg. 23. vers. 24.

Et relinquetur etiam ipse Deo nostro & erit quasi dux in Iuda, & Accarõ quasi Iebusæus. Id est, Philistæus numerabitur in ijs, qui ad Deũ pertinent: Dei esse dicetur, & ita se mihi addicet, ita partes meas suscipiet, vt dux, & imperator fidelis, quem bellum administrare

ſtrare attingit aduerſus inimicos Dei, vel ita gratia apud me valebunt Philiſtini, cùm antè mihi inimici eſſent vt eos duces,& tribunos militũ meorum faciam: confidam equidem eis. Quàm hæc excellens,& omnium pręſtantiſsima victoria fuerit, explicuimus capite ſecundo noſtri prophetæ.

Magna benignitate Deus amplectitur eos, qui ei victi cedunt. Hic animaduertere licet, quanta benignitate, & humanitate eos Deus amplectatur, qui ei victi cedunt, manuſque dant: non enim iure belli vtitur, vt eos mancipia ſua faciat, ſed in altiſsimo dignitatis gradu nonnunquam vel in hoc æuo locet, vt duces, vt principes in Eccleſia conſtituat, aut muneribus alijs ampliſsimis præficiat. *Qua ratione Deus nobiſcum bello cõtendat.* Non enim nobiſcum bello contendit, vt nos perdat, aut vt gloriam ex victoria conſequatur; ſed vt pater cum filio malè ſano, vt ſanet, & hæreditate dignum reddat. *1. Tim. 2. b.* ſicut Paulus docet; Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Cùm ſceleratis certat, nõ vt ſeruituti ſubijciat, ſed vt ſeruitute liberet. *Miſerabilẽ ſeruitutẽ ſeruiũt qui ſunt ſceleribus obſtricti.* Nulli enĩ indigniorem, & miſerabiliorem ſeruitutem ſeruiunt, quàm qui ſunt ſceleribus obſtricti: ſeruiunt enim cupiditatibus, temerarijs, & iniquis dominis; quæ ad turpiſsima, & ſtultiſsima facinora compellunt, & mentis ſtatũ labefactant; ſeruiunt mundo, atque hominum vulgo, quo nihil inſanius, nihil inſipientius; & eum cõmendationis, & gloriæ ſuę auctorem amant, qui ex opinione, & caſu potiùs, quàm ex veritate res æſtimat, cuius iudiciũ cum fortuna, qua nihil mobiliùs, cõmutatur. Omnes te laudabunt, admirabuntur, felicemque prædicabunt, ſi proſperam fortunam trahas: at ſi pauliſper effluat, rurſus reuocata ſententia, miſerum, infelicem, vita, laude, & gloriæ ornamentis indignum iudicabunt. Quid autem intolerabiliùs, quàm inſanis, & temerarijs ſeruire dominis? Ex hoc intelligitur illud, quod narratur. 2. Paralip. 12. præſertim illa *2. Paral. 12.* Dei ſentẽtia perpetuæ memoriæ conſecranda; Veruntamen ſeruiẽt Seſac: vt ſciant diſtantiam ſeruitutis meæ, & ſeruitutis regni terrarũ. Qui enim à Deo deficientes ſibi inſeruiunt, verè mancipia ſunt: at verò qui Deo obtemperant, non ſerui, non mancipia eius, ſed duces, principes in regno Dei, atq; adeò amici eius ſunt. Quod dicit, *Et Accaron quaſi Iebuſæus.* Iebuſæi habitabant in Ieruſalem in arce Sion antequam eos expugnaret Dauid. ſignificat ergo Accaron habitaturum eſſe in Eccleſia, quæ eſt vera Ieruſalem, id eſt, in chriſtianis ac fidelibus numerabitur: atq; adeò arcem occupabunt, præſidijs omnibus ad ſe ab hoſtibus defendendos vtentur, in tutiſsimo loco collocabuntur. Et qui*dem Deus firmiſsimum parat locum eis omnibus, qui ad eum confugiunt. *Parat Deus locum firmiſsimũ iis qui ad eum confugiunt.* ideo Dauid ait; Deus noſter refugiũ, *Pſal. 45.* & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis: propterea non timebimus dum turbabitur terra.

8 *Et circundabo domum meam, ex his qui militant mihi euntes, & reuertentes.* Quod dupliciter exponit Hieronymus, id eſt, Eccleſiam meam muniam præſidijs militum meorum, qui eundo, & reuertendo varijs mihi muneribus funguntur: vel muniã eam meorum Angelorum præſidio. & vtraq; expoſitio aptè cadit: nam & Angeli *Deuoti chriſtiani acerrimi ſunt Eccleſiæ propugnatores.* & duces, ac Eccleſiæ principes Apoſtoli, Doctores, & alij milites, id eſt, veri, & deuoti chriſtiani Eccleſiæ ſunt acerrimi propugnatores. In Hebræo

bræo eadem est sententia. verba tamen aliter reddi possunt, quæ sunt וְחָנִיתִי לְבֵיתִי מִצָּבָה מֵעֹבֵר וּמִשָּׁב *vehaniti lebethi mezaba mehober vmisab*, id est, castra ponam apud domum meam, propter exercitum, propter transeuntem, & redeuntem. Eandem etiam sententiam Septuaginta viri ita transferunt καὶ ὑποστήσομαι τῷ οἴκῳ μου ἀνάστημα τοῦ μὴ διαπορεύεσθαι μηδὲ ἀνακάμπτειν. id est, proponam domui meæ exaltationem, ne quisquam ire, aut redire possit. Exaltationem vocarunt vallum, quo castra cingi solent, ne hostium pateant incursibus. & hos hostium incursus significat editio Hebræa, illa oratione, propter exercitum, propter transeuntem, & redeuntem. Græca verò illa oratione, ne quisquam ire aut redire possit. quæ omnia eò pertinent, vt declaretur, firmissimo Deum præsidio Ecclesiam suam munire contra Dæmonum acies, & contra improbos perfidorum hominum conatus. Ita Dauid ait, Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. in Hebræo est idem verbum quod hic חנה *hana*, castra ponet Angelus Domini in circuitu timentium eum. Quod re ipsa sibi accidisse vidit Iacob, cum è Mesopotamia rediret, essetque valde solicitus de fratris sui erga se animo; cuius animum vt Deus erigeret, bonaque spe confirmaret, magnas ei Angelorum copias circa illum castra fecisse ostendit, vt narratur in Genesi. & ea de causa vocauit locum illum, Mahanaim, id est, castra. estque nomen ab eodem verbo deriuatum, quod hic ponit propheta. Eadem castra Eliseus vidisse narratur apud oppidum, in quo ipse erat. Quare qui firmissimum præsidium, & tutissimum portum aduersus huius seculi procellas, & ærumnas quærit, ad Deum veniat, ei, si eius est hostis, cedat, atque in ære suo poni postulet.

Quanto præsidio Deus suā muniat Ecclesiam.

Psal.33.

Gen.32.

4.Reg.6.

Quid nobis faciēdum sit vt firmissimū præsidiū aduersus seculi procellas reperiamus.

Et non transibit super eos vltrà exactor. in Hebræo est נֹגֵשׂ *noges*, significat eum, qui exigit tributum, qui nomine Principis, aut Imperium tenentis instat, & vrget alios ad aliquid præstandū. Sic qui vrgebant filios Israel in AEgypto, & lateribus, ac ædificijs operam dare cogebant, vocantur exactores. quare huiusmodi magistratus aduersus eos erat institutus, qui seruitute, ac duro imperio premebantur, vt obsequia ab eis ergà principes, & dominos suos exigeret. Vt ergo significet propheta, magna christianos libertate donandos, & ab omni seruitute vendicandos, nō transiturum vltrà inter eos exactorem dicit. Sed operæpretium est intelligere, cuiusmodi hæc libertas sit, qua Deus Ecclesiam fruituram esse promittit: quæ non est alia, quàm ea qua Christus nos tyrannide, & dura seruitute diaboli liberauit, in cuius eramus potestate: iste erat exactor, & carnifex crudelissimus, cui æternas pœnas pendebamus, qui nos ad scelera, atque flagitia adigebat. de qua libertate luculenter etiam disserit Esaias. Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madiam. iugum, onus, virga, sceptrum, exactor, omnia spectant ad acerbam tyrannidē, & inexplicabilem oppressionem, qua eramus constricti. Quare hæc libertas non corporis putanda est, vt quidam perperàm intellexerunt, qui alijs occasionem attulerunt conuitijs insectandi doctrinam christianam, quòd

Exactor quis sit.

Quam libertatem Ecclesia consecuta sit.

Esai.9.a.

Non corporis est libertas ea, quam Ecclesia fuit adepta.

seruos dominis non obtemperare docebant contra naturæ ius; quos Paulus increpat. 1. Timoth. 6. Quicunq; sunt sub iugo serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant; quia fratres sunt; sed magis seruiant, quia fideles sunt. Estque de hac re Concilij Gangrensis Decretum ca. 3. quod anathemate multat eos, qui prætextu religionis doceant seruum Domino non obedire. Fuit enim hæresis hæc cuiusdam Eustachij, vt in Epistola eiusdẽ Concilij ad Episcopos narratur. De hac etiam christiana libertate pluribus egimus libr. nostro primo de Vera Religione capi. 15. nam eam nostri temporis hæretici satis impiè, & imperitè interpretantur. Est ergo hęc libertas spiritus, de qua Paulus dicit; Vbi spiritus, ibi libertas. Quare non nisi carnales, & præceptorum Dei rudes homines serui existimandi sunt; qui quidẽ dominis iniquissimis sunt obstricti, diabolo, mundo, & carni: vt dudum diximus.

1.Tim.6.a.

Quia nunc vidi oculis meis. id est, ita hæc omnia futura esse intellexi. & vidisse dicit, vt certissimum esse declaret, sicut ea, quæ oculis nostris cernimus.

9 *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Quoniam magna, & præclara bella Ierusalem esse confecturam propheta dixerat, difficile, ac penitus incredibile videretur eis, qui illam tunc tam imbecillam, tanto timore perculsam, tam ciuibus exhaustam viderẽt: quare vt nemo de ea re dubitaret, declarat, quo duce, & Imperatore hoc sit gerendum; Christo videlicet. nam hic locus non nisi de Christo explicari potest, vel Hebræis doctissimis inter eos assentientibus: præsertim quia Matth. dicit tum hoc esse præstitum, cùm Christus asino sedens Hierosolymam ingressus est. quare temerarium esse iudico secùs opinari. Iubet igitur propheta Sion magnam habere lætitiam, atque adeò clamores, & cachinnos edere præ gaudio. Nam summam Christus Ecclesiæ, & vniuerso mundo lætitiam attulit. quod facilè probabitur eis, qui non solùm illius vrbis Hierosolymitanæ; sed etiã totius orbis miserum ante Christum statum cognouerint; quàm in acerba diaboli, atque peccati potestate vniuersum hominum genus tenebatur; quanta nos libertatę ipse donauerit; quantas diuitias, atque innumerabiles copias omni volenti contulerit. Hunc Regem, & assertorem excellentissimum vniuersa Ecclesia, iam inde à mundi principio desiderauit, in votis habuit, & precibus à Deo diuturnis petiuit: in eo enim vno omnes spes subsidij sui posuerat. quare meritò eam propheta exultare iubet, & triumphare præ gaudio; quippe qui tantum ei nuncium afferat. Hic illud oportet diligenter attendere, proprium esse viri sancti, atque virtute præditi præter cæteros homines, vel in hac vita hilarem, & lætitijs omnibus esse lætum. nam tota ad illos hæc; quam propheta nuntiat, spectat lætitia. Vellem verbis exequi posse, quantum huiusmodi viri, licet inopes, & omni hominum præsidio destituti sint, animi lætitia, & voluptate præstent ijs, qui huius seculi bonis fruuntur, & qui felices, ac fortunati habentur.

Christo duce præclara res sunt in Ecclesia gerenda.

Mat. 21.a.

Quam miser Ecclesiæ fuerit status ante Christum.

Magnus Christus Ecclesiæ vtilitates attulit.

Proprium esse viri sancti hilarem esse.

bentur. Ego verò ita mihi persuadeo, & sic animum induco meum, hos solos, si qua felicitas, ac vera lætitia in hac vita est, eam percipere. Nam ipsi modò apud animum suum omnia tranquilla, & pacata habent, cùm omnia vnius æquissimi principis, rationis scilicet arbitratu gubernentur: nulla ibi libido, nulla perturbatio tyrannidem exerceat. quare nihil contra voluntatem, nihil alio repugnante fit, ex quo omnis tristitiæ, & doloris oritur occasio. Præsertim quòd mala, quæ extrinsecus accidunt, modesto, & æquissimo animo ferunt, scientes quòd Dei voluntate fiant, cui non minùs ratio ipsa subiecta est, quàm cæteræ perturbationes rationi. Et hoc magis, quòd vehementer confidant, mala omnia sibi à Deo patre suo amantissimo inferri, non propter eorum incommodum, sed commodum, magnasque inde vtilitates reportaturos. Ex quo illud efficitur,
Prou.12.c. quod Salomó dicit in Prouerbijs; Iustum non cótristabit quidquid ei acciderit. Denique cùm ratio sua non non minùs subiecta sit, & obtemperet Deo, quàm affectus, atque libidines suæ ipsi rationi; quemadmodum libidines facilè patiuntur, quod eas ratio comprimat, atque coerceat: ita & ipsa ratio non ægrè fert, quod Dei voluntas fiat, quamuis ipsa damna, & detriméta perferat. Ita Christus morte crudelissima, & iniquissima sua im
Matt.6. minéte dixit æterno patri; Non mea, sed tua voluntas fiat. & Dauid; Proba me Domine, & tenta me; vre renes
Psal.138. meos, & cor meum. Quare non dubito, quin magnum sit argumentú perfectæ, & cum officio coniunctę vitæ; semper gaudio quodam intrinseco, & lætitia frui; Iustitiæ fructus (ait Pau

Magnum argumentū esse perfectæ vitæ semper gaudere. Gal.6.

lus) pax & gaudiú. minimè verò damnamus, aut improbamus tristitiá, quę secundum Deum est, quæ operatur (vt idem Paulus ait) pœnitentiam salutarem: quæ etiam quò perfectior, eò iucundior: nam à maiori charitate, & amore erga Deum proficiscitur, & spem facit impetrandæ veniæ, & damni resarciendi. quare meritò noster dicit Propheta. 2.Cor.7.

Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. Sed Matth. hunc locum citans, aliter id enunciat; nam ait loco positorum verborum; Dicite filiæ Sion. quod vel ob eam rem est, quòd hæc verba non dictis nostri prophetæ respondeant, sed Esaiæ ca. 62. qui idem ferè exprimit oraculum dicens; Dicite filiæ Sion; Ecce saluator tuus venit. vel quia idem est iubere, vt Sion exultet, atque iubilet, vt ait propheta; & iubere, vt ei quasi Euangelia petendo idipsum dicatur. & ita septuaginta illud, quod in Hebræo, & vulgato est, iubila, vertunt κήρυσσε. prædica, id est, omnibus lætabunda nuntia, atq; Euangelia pete. Esa.62.d.

Ecce Rex tuus venit tibi. Christú seruatorem nostrum Regem vocat. cuius rei explicatio minimè quidem difficultate vocat: non enim ita in promptu est, quod regnum ipse obtinuerit, quam prouinciam administrauerit, vbi ius dixerit: præsertim, quòd ipse apud Ioannem dicat; Non misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. At verò alio loco apud eundem Ioannem dicit; Nunc iudicium est mundi: quod licet hactenus nusquam plenè explanatum viderim, ita fortè declarabo, vt nihil dubij, nihil difficultatis reliquum sit. Est autem res valde

Difficile est explicare an Christus Rex fuerit.

Quæstio est cognitione valde digna vtrum Christus fuerit Rex.

digna quæ à vobis omnibus perfectè sciatur. Christum verò regem fuisse, quatenus hominem, dubium nó est. Nam Magi quærebant Hierosolymá ingressi, vt narrat Matthæus; vbi est qui natus est Rex Iudæorú? turbæq; ei obuiam prodière plaudentes, atq; clamãtes; Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. Est tamen animaduertendum, quod sicut quicquid hac rerum vniuersitate continetur, duabus rebus comprehenditur, spiritu, atque corpore: ita duplex esse regnum existimandum est: nam aut, spirituum, aut corporum potestas, & regnum est. Huius autem seculi Reges, vel excellentissimi, atque potentissimi, tantùm in corporibus dominantur: non enim animas possunt aut soluere, aut ligare, aut occidere. ita Christus ait; Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. Christum auté quatenus hominem, tanto amore Deus prosecutus est, tantaq; est erga eum magnificentia vsus, vt sicut ipse è corpore, & spiritu compositus erat, ita eum & regem spirituum, & corporú etiá fecerit, vt tam latè ipsius regnú, & imperiú pateret, quàm ipsius Dei; ita vt nihil Deo subditum sit, quod nó Christo subijciatur, vt Paulus ait; In nomine Iesu omne genu flectatur terrestrium, cœlestium, & infernorú. Et licet simul atque conceptus est, ijs duobus regnis sit à Deo decoratus; non vno tamen, eodemque tempore vtriusq; hæreditatem creuit, sed alio atque alio tempore, sicut bis ipse in mundum venire decreuit. Primo aduentu regnum illud spirituum obtinuit, reliquo tantò clarius, quantò spiritus corpori præstat; eique ius dixit, legesq; tulit. ita & omnes mortalium animi in eius sunt potestatem redacti, vt ipse & soluere, & animas ligare, & occidere possit: nemoque nisi per ipsum hãc exerceat potestatem, quá ipsi Petro, & eis, qui ei vicarij successere, reliquit. quod ipse Christus vocat regnum cœlorum cùm Petro dixit; Claues regni cœlorum tradidi tibi; & quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo: & quodcúque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. & in multis alijs locis. Hoc auté est regnú Ecclesię quod possidet Summus Pontifex, Christi personam sustinens, quod per se, & sponte sua nulla huius mundi regna, nullos magistratus postulat, sicut neque Petrus, neque Christus ipse eos tenuit; ná ad corpus, vt dixi, toti pertinent. Hominum auté corpora adeò hoc primo aduentu in eius non sunt potestatem redacta, vt corpus eius in hominum potestaté traditum, omnibus ludibrio fuerit, in iudiciumq; sit ab alio homine vocatum, damnatú, & miserabiliter in crucem actum. & ita facilè intelligitur illud, quod Pilato, quæ situs an Rex esset, respondit; Regnum meum non est de hoc mundo: nam si ex hoc mundo esset regnú meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. nunc autem regnum meum non est hinc, id est, non est regnum eorum simile, qui satellitibus ad corpus defendendum sunt muniti: non est (vt omnia in pauca conferam) regnum corporale, sed spirituale. Nam carni, & corpori dediti homines nondum sunt in Christi potestatem redacti: multi enim adhuc multa contra illum moliuntur, neque præceptis, & iussis eius obtemperant; sed palàm illi audent resistere: & propter hos ipse dixit apud Ioan-

Christus Rex fuit quatenus homo. — Mat. 2. c. — *Duplex esse regnum spirituũ atque corporum.* — Mat. 10. c. — *Christus Rex corporum, & spirituum fuit simulatque cõceptus est.* — Philip. 2. — *Primo aduẽtu regnũ spirituum Christus obtinuit.* — Mat. 18. — *Cuiusmodi sit Ecclesiæ regnum.* — *Hominũ corpora primo Christi aduẽtu in eius nõ sunt potestatem redacta.* — Ioan. 20. — *Ioannis locus exponitur.* — *Ioannis locus exponitur.*

Ioan.3. Ioannem; Non misit Deus filiũ suum vt iudicet mundum. horum tamen animi peccatorum vinculis à Christo constricti tenentur, & eius sunt rei, ita vt à nullo, nisi de volũtate eius, possint absolui. & hoc est iudicium mundi, quod nunc ipse apud Ioannẽ futurum esse dicit, id est, de reis, & criminosis hominibus, vtrùm sint in diaboli potestatem perpetuis temporibus tradendi, an verò sint in libertatem filiorum Dei asserendi. quod iudicium totum est spirituale, quo diabolus victus, & damnatus est. Nam neminem potest tanta libertate prohibere, nisi eum, qui sua eam voluntate repudiarit, sceleribusq; se obstringendum tradiderit, atque in ijs vinculis detineri voluerit. Noluisse autem regnum vllum huius seculi administrare, indicio est, quòd cùm quidam eum regem facere voluissent; se abscondit, vt narrat Ioannes ca. 6. Illud tamen est notandum in eo responso, quod Pilato dedisse diximus; Nunc regnum meum non est hinc. nunc dicit: nam postea futurum etiam est in secundo aduentu, vt corporum regnum obtineat tanta vi, atque potentia, vt nemo resistere, nemo repugnare, aut quidquam moliri audeat, sed ei amici sui, nemine prohibente, aut impediente, æternis temporibus seruient: inimici autem omnes vnà cum corporibus suis in perpetuam apud inferos custodiam tradentur. De hoc regno intellexit ipse cùm Caiphæ, apud quem ligatus accusabatur, de regno suo etiam quærenti respõdit;

Mat.26.f. Videbitis filium hominis sedẽtem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc enim iudicabit is, qui modò est nullo merito suo in iudiciũ vocatus: ac non vnius solùm, aut alterius prouinciæ, sed totius orbis terrarum rex adeò erit potens, vt omnes ad vnum homines, & Angeli volentes nolentes eius voluntati pareant. de hoc regno loquitur etiam Paulus; Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo, & patri, quum euacuauerit omnem principatũ, & potestatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Meritò ergo illum noster propheta Regẽ vocauit, cùm tot regna, quot ipse Deus possideat. Cum hac expositione maximè conuenit, quod post verba prædicta nostri prophetæ sequitur in Matth. Venit (inquã) tibi mansuetus, id est, nõ terribilis, & ad inimicos suos dissipandos, & confringendos paratus, vt secundo veniet aduentu: sed ita facilis, comes, & humanus adest, vt asino sedens veniat: non clamabit, non vociferabitur, non audietur foris vox eius: calamũ quassatum nõ conteret, & lignum fumigans nõ extinguet dicit Esaias primum eius aduentum describens. *Tibi.* id est, ad tuam vtilitatẽ, atq; commodum, non vt sceleratos perdat, vt perdet aduentu secũdo; sed vt seruet, ac hostis atrocissimi potestate liberet. totus deniq; Christus mundo à Deo dabitur. Sic enim (vt ipse ait) Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, non sibi: nam nullam ex hoc aduentu vtilitatẽ sibi reportaturus est, quam si vellet sibi sine tantis ærumnis non pareret. contrà verò angustias, dolores tormenta, & cruciatus maximos propter commoda, & emolumenta nostra perpessurus est. Sed priusquam eum propheta mansuetum appellet, dicit;

Venit tibi iustus & Saluator. Optabile, & val-

Margin notes (left): *Cuiusmodi iudicium Christus primo aduentu non reddidit.* — Ioan.7. — *Ioannis locus exponitur.* — *Cuiusmodi iudicium Christus primo aduẽtu fecit.* — *Secundo aduentu corporum regnum Christus obtinebit.*

Margin notes (right): *Pauli locus exponitur.* — 1.Cor.15.d — Esa.42.a. — Ioan.3. — *Christus propter nostrã tantum venit vtilitatẽ.*

Ex Rege iusto omnis pendet amplitudo reip.

& valde amabile est Regem habere iustum; ex quo omnis, reipub. dignitas, & amplitudo, omnis pax, & felicitas pendet. Sed non ob eam rem tantùm Christum iustũ appellat, quòd nemini iniuriam faciet, & ęquum ius omnibus dicet: sed quia hominibus iniustis, & à Deo alienatis iustitiam, nisi renuant, tribuet, & in Dei gratiã reducet, culpam omnem præstando, & nomina immensa expediendo: fecit denique vt inter Deum, & homines iustitia intercederet; ita vt non solùm ipsi se nexu liberare, sed Deum etiam debitorem cõstituere possent. de hac loquitur iustitia Dauid cum dicit, Iustitia de cœlo prospexit. & Esaias id expresiùs declarat dicẽs; In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorũ ipse portabit. idq́ue aptisimè cohæret cum eo, quod sequitur in propheta nostro; *Et saluator.* Nomina enim nostra expungendo, & iustitiam tribuendo nos seruauit, & ex ira atque iustitia Dei, & Dæmonis potestate eripuit. Vatablus hũc locum ita reddit; Et seruabit sese. & ita explicat totum, id est, Christus iustus, & innocẽs erit, licet nocens, & iniustus in crucem adactus videatur; seruabit tamẽ sese, id est, resurget, morteq́ue indigna liberabitur. Cui expositioni ego planè assentirem, si illã vllo modo Hebræa verba, ad quę ipse confugit, paterentur: quæ sunt נושע הוא *nosah hu*, pronomen autẽ illud demõstrãs הוא *hu*, nemo vnquã se, dixit significare, sed ipse. quare iungendũ est cum saluatore, vt ita dicatur Saluator ipse, vt est in Hebræo: & non seiungendũ, vt in Biblijs nonnullis Latinis seiunctũ est, & cũ voce sequenti copulatũ, ipse mitis. estq́; idẽ pronomẽ quod ponitur

Christus iustus vocatur quia iniustis hominibus iustitiam tribuat.

Christus fecit vt inter Deũ & homines iustitia intercederet.

Esa.53.d.

Christus nomina nostra expungẽdo, & iustitiam tribuẽdo nos seruauit.

in Genesi; cùm Deus serpenti prædixit, Ipsa conteret caput tuũ: quod masculino genere pleriq́; interpretantes ad Christũ referunt, vt ipse sit, qui dæmonẽ fregit, & hominũ genus sua potestate liberauerit. vt hic noster dicit propheta; qui fortè ad hunc locũ Geneseôs alludens, illud pronomen saluatori coniunxit: vel vt illũ eximiũ, & egregium seruatorem Christũ significaret, qui cæteros omnes virtute, & rebus gestis infinitis partibus anteiuit. septuaginta vertunt σώζων αὐτούς, seruãs eos retulêre pronomen ad homines seruandos. Sequitur in propheta. *Pauper.* id est, omnibus copijs, & opibus humanis destitutus, nullis hominum præsidijs nixus, vt diuitias immensas suas cum paupertate nostra commutaret, diuitijsq́; nos, & copijs diuinis augeret, vt Paulus scribit Corinthijs. Scitis gratiã Domini nostri Iesu Christi, quoniã propter vos egenus factus est, quum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. in Hebræo est עני *hani*, pauper, vt vertit Hieronymus: sed septuaginta vertũt πραΰς idem vocabulum quod Græco Matthæo est, id est, mãsuetus. ex quo cognoscetis tanti Euangelistas facere versionem Septuaginta interpretũ, vt illam ad verbum excipiant. Nomẽ autem Hebræum vtrumq́ue significare potest, si. ' . vltimum cum pauperem sonat, in. ו. vertatur; literæ valde similes, & ita vna pro altera frequenter irrepit, & grammatica etiam patitur, vt id nonnũquam fiat, quod vtraque sit litera, quam grammatici vocant quiescentem, & sint inter se valde similes: sunt enim eadem figura, tãtùm magnitudine, & breuitate differentes. dudum autem diximus de Christo mansueto.

Gen.3.c.

Christus diuitias suas cum paupertate nostra commutauit.

2.Cor.8.b.

Euangelistæ ad verbũ excipiunt versionẽ Septuaginta interpretum.

Et ascen-

Et ascendens super asinam & super pullum filium asinæ. Cuius paupertas, & mãsuetudo vel ex eo potest cognosci, quòd non curribus, aut equo vectus veniet, sed asina, & eius pullo. Omnia quæ Christus gessit, humanitatis, & comitatis plena sunt, sic vt nullos terreat, sed omnes ad se alliciat. Id tamen hoc loco mirari nõ cesso, quantùm Deus paupertatem extulit, quàm insignem, & præclaram reddidit, vel in hoc æuo, quòd eam adeò detestatur, & abhorret. Quis vnquam curru vectus aurato, magna Tribunorum, ac militum caterua constipatus, hostium duces vinctos ducens ante currum, cui vasa quæq; pretiosissimè cælata, magna vis auri & argenti, & magnificæ oppidorum figuræ præirent; quis denique splendidissima triumphi pompa Romam ingrediens, maiori plausu, & populi gratulatione exceptus est, quàm Christus vili asinæ sedens, egenis discipulis comitatus? cedat igitur, cedat superbia humilitati, rerum affluentia rerũ inopiæ, gloria mundana gloriæ Christianæ. Imperatori enim Romano triumphanti obuiam populus prodibat, triumphi apparatum fortè magis quàm eius virtutes mirans: at in hoc Christi triumpho nihil nouum, nihil inauditũ, nihil mirabile, nisi ipse Christus erat, eximia sua virtute solum populi ipsum spectandi studium accendebat. quare hæc vera gloria, veraque præstantia est: hæc digna est, quæ nos ad se totos rapiat: qui enim propter opum abundantiam prædicantur, ad mirabilesq; videntur, ea gloria ad diuitias potius, quàm ad ipsos homines manare videtur. Nam si eædem ipsæ diuitiæ alio vel abiectissimo homini attribuerentur, vt facilè accidere potest; sunt enim externa bona: non minùs tamẽ prædicaretur, omniũq; oculos in se cõuerteret. Quare ille solùm per se admirabilis est, & omnium linguis commendandus, qui rebus omnibus extranijs detractis, animi bonis, quæ neque tolli, neq; ad alium transferri possint, magnus, & excellens sit. ex quo fit, vt Paulus sapientissimè dicat; Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor, id est, quòd omnium hominum, & opum fuerim præsidio destitutus, quòd tot plagas acceperim, quòd in tot vincula fuerim cõiectus. Est enim vera Pauli gloria, quòd tantam gloriam nõ aliorum hominum subsidio; sed sua virtute fuerit adeptus. Rectè etiam Iacobus monet; Glorietur humilis in exaltatione sua. Itaq; vera gloria, & exaltatio, ab humilitate, & submissione nascitur. Mundus itaque velit nolit paupertatis, & humilitatis laudibus suffragatur. quare non solùm Dei, sed etiam omnium hominum consensu ipsa diuitijs anteponenda est. quòd si homines in re tam plana, & aperta tacerent, lapides clamarẽt, vt cum Christus hoc oraculum in effectu posuit, inuidis suis dixisse Matthæus testatur. Quod dicit; *Super asinam & super pullum filium asinæ.* Septuaginta vertũt ἐπὶ ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον, Super subiugale, & pullum nouum. Matthæus recitat super asinam, & pullum filium sub iugalis; vt intelligamus id, quod Hieronymus ait super primum c. Matth. Euangelistas nõ tam verba, quàm sententias ex scripturis citasse. Sed cum Christus asino sedens Ierosolymam ingressus est, & præstitit quod propheta noster prædixit; & alterius vaticinij (vt Chrisostomus ait super Matth.) initium dedit. Nam cùm vicissim

Christus vel in hoc æuo paupertatem extulit, & insignem reddidit.

Quàm mirabili triũpho Christus Ierosolymam ingressus fuerit.

Quis nam sit per se admirabilis.

Pauli locus exponitur. 2. Cor. 11. g

De quo rè merito Paulus glorietur

Iacob. 1. b.

Vera exaltatio à submissione nascitur.

Matt. 21.

Quid Christus significauerit super asinã & pullum ascendẽs

cissim asina, & pullo sedit(ita enim intelligendum est super asinam, & pullum ascendisse, vt ait propheta)significabat & populum Iudæorũ, & gentium in potestatem suam redactum iri. Asina, quoniam domita erat, Iudæorum populum significabat, qui legis iugum à Deo impositum portauerat. Pullus, quoniam indomitus, & vt aiunt septuaginta nouus erat, populum declarabat gentium, qui omni lege à Deo lata solutus, naturæ tantùm legibus tenebatur, atq; adeò hanc naturæ legem perferre non poterat: eius tamen immanitatem Christus domuit, & Euangelij iugum subire coegit. Christo denique subijci, & adhærere: vt Paulus Ephesijs scripsit;

Ephe.2.c.

Qui eratis illo tempore sine Christo alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.

Hebraismus exponitur.

Cęterùm quod propheta dicit; *Pullum filium asinæ*; In Hebræo est filium asinarum, id est, vnius ex asinabus: eadem phrasi, qua in Hebræo est illud

Iudic.12. verſ.7.

Iudicũ.12. Sepultus est in ciuitate sua Galaad. dicitur in Hebræo sepultus est in ciuitatibus Galaad, id est, in vna ex ciuitatibus Galaad. & Ionę primo.

Ionæ.1.

Ionas descẽderat ad latera nauis; vt est in Hebræo, id est, ad vnũ ex lateribus.

10 *Et dispergam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli.* In eo semper persistit, vt doceat, nullis humanis præsidijs, nullo hominum auxilio res tantas Christũ gesturum: neq; vt Iosue armorum vi terrã Palestinæ subegit; ita à Christo tot regna subigenda esse opinemur. Quod si Hebræi rebelles, & pertinaces diligenter animaduerterent, desinerent fortè putare regnum Messię, quando primùm venit, corporale, & Alexandri, & aliorum simile futurum: sed planè spirituale(vt diximus) quod bellum non armis, quibus corpus subijcitur, atque debilitatur; sed rationibus, signis, & prodigijs, sermone deniq;, & oratione gerẽdum erat, quibus mẽtes humanæ in ditionẽ rediguntur.

Regnũ Christi primum nõ armis sed sermone gerẽdum, id est, spirituale futurum.

Si enim armis Christi bellum esset administrandum, quid attineret eorum equos, & quadrigas dispergere, & dissipare, pro quibus pugnaturus est? Id ipsum vaticinatus est Micheas; Et erit in die illa, dicit Dominus, auferam equos tuos de medio tui, & dispergam quadrigas tuas, & perdam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas. id est, faciam vt omnibus humanis diuitijs spretis, me vno nitaris, in me vno omnes spes, & rationes tuas colloces.

Mich.5.d. Micheæ locus exponitur.

Hinc factum est, vt veri Christi discipuli diuitias, & seculi fortunas negligant, & indignas se ducant, ac de paupertate, detrimentis, & incommodis glorientur: in ijs enim rebus vis summa Christi eminet magis, & apparet: nullaque maior esse coniectura potest quempiam spiritu, & virtute Christi agi, quàm si opibus omnibus spoliatus, ab amicis, & cognatis desertus, ab inimicis circunuentus, nullis incommodis cedat, nunquam frangatur, & angatur animo, nullum humanum subsidium magnopere requirat; hic verè est Christi miles, & vnà cum illo currus, quadrigas, & arcus omnes belli dissipauit: ob eamque rem dicit Paulus; Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi, id est, vt intelligatur in me Christi virtu-

Cur Christi discipuli seculi fortunas negligant.

Quæ maxima sit coniectura quempiam spiritu Dei agi.

Qui verus sit Christi miles.

2.Cor.12.c.

virtutem esse, quæ potiùs in infirmita
te se, quàm in seculi potentia ostẽdit.
Et loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ. Id est, non solùm afferet Israelitis salutem, sed etiã gentibus: in Dei enim gratiã reducet vniuersum hominum genus, pacemque
Esaiæ locus exponitur. Esai.9.b. faciet firmissimam. Vocabitur enim princeps pacis, vt ait Esaias, id est, qui de pace firmanda, non de bello mouendo agat, & ob eam rem vniuersa belli instrumenta, & nocendi machi-
Marc.16. nas dissipaturum dixit. Loquetur pacem, Euangelium illis proponendo, sicut Apostolis dixit; Prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Pace verò christiana plures nationes, atque prouincias subiget, & in ditionem rediget, quàm vlli vnquam duces, & imperatores bello, & armis. nam erit ait pro- *Plures prouincias pace christiana Christus subegit quã alij bello.*
Psal.71. pheta. *Potestas eius. &c.* Sicut etiam Dauid prædixit; Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. & ipse Christus Apostolis cùm eis promulgandi Euangelij munus mandaret, dixit; Data est mihi omnis potestas in cœlo &
Matt.28.d. in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.

11 *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu in quo nõ est aqua.*
Christus victorijs suis ad inferos etiã penetrauit. Persequitur Christi victorias admirabiles, quibus non solùm lustrauit vniuersum orbem terrarum, sed ad inferos etiam penetrauit, eduxitque sanctos omnes Patres, qui iam inde à mũdi principio è vita migrarant, ibique vincti detinebantur, quia ad cœlum euolare, & Dei immensa gloria frui non poterant. quod fides, & religio nostra ita factum esse inter præcipuã fidei nostræ capita profitetur. Itaque lacum sine aqua vocat eam custodiã in qua prisci illi patres erant, quã esse sub terra nostra religio docet, cùm præcipit, vt credamus Christum ad inferos descendisse. Quo pretio hos captiuos in libertatem asseruisset, docet dicendo; *In sanguine testamenti eos eduxisse.* *Quo pretio nos Christus redemit.* Sanguinem testamenti nominat sanguinem Christi pro nostra salute fusum; quo etiam pretio fuère mortales omnes morte, inferno, & peccatis soluti. Sanguis autem testamenti vocatur, quòd sicuti sanguine hircorum, & vitulorũ (vt Paulus auctor est) vetus testamentum stabilitum est: ita & sanguine Christi nouum testamentum sancitum, & firmatum fuit. de quo testamento prædixerat Ieremias; Consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, non secũdum testamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra AEgypti. De hoc etiam testamento loquitur Paul. Noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationũ, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Et sicut ipse Christus sanguine sui testamenti meruit vt è sepulchro à Deo excitaretur auctore Paulo; Eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrũ Iesum Christum: ita eodẽ sanguine meruit, vt sancti viri, qui apud inferos erant, libertatem consequerẽtur.

Heb.9.c. Exod.24.c. *Sanguis Christi cur sanguis testamenti vocetur.* Iere.31.f. Heb.9.d. Heb.13.

12 *Conuertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi.* Existimo vinctos spei elegãti periphrasi vocare mortales omnes, quorum ea est natura sua conditio, vt spe semper melioris fortunæ viuant, & hac *Vincti spei cur mortales vocentur.*

& hac se spe in malis consolentur, quam naturam, & conditionem, creaturam, quæ mutationi subiecta est, Paulus habere dicit; Vanitati (ait) creatura subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: Qui igitur, ait, vobis bona cupitis, eaq; magna cum spe expectantes semper procuratis, ad Christum regem potentissimum traducimini: is enim vice præsidij munitissimi vobis futurus est, quo nunquam spe vestra deturbabimini. Vel Iudæos omnes intelligit, qui Christum venturum, magnisque eos bonis aucturum esse sperabant: & ob id eos vinctos spei vocat. nam pios viros intelligi, non ita compactè mihi ob id cohærere videtur, quòd hos nõ moneret, vt ad Christum conuerterentur, qui iam erant conuersi. Ad Christum ergo qui estis in spe, venite, quoniam, *Hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi*. Verba sunt Dei loquentis, exponentisq; causam, cur ad munitionem omnes eos, qui aliquid boni cupiunt, atque desiderant, conuerti iubeat. quoniam (inquit) hodie prædico, atque nuntio, quoniam beneficia eximia vobis tribuam: est enim mutatio numeri, tibi pro vobis, sæpè hebraismo vsurpata. Haud rarò etiam in hebraismo vsuuenit, vt duplicia, rem magnam, eximiã, & vehementé, firmamq; significent; petita fortè translatione à filis, aut rebus duplicibus, quæ firmiores, & validiores esse solent, quàm simplices. vel est numerus finitus pro infinito, vt duplex pro multiplici ponatur. vt in Ieremia, Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione cõtere eos, id est, multiplici. & in Esaia; Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, id est, multiplicia: quæ & ad bona, & ad mala referri possunt. id est, vel satis magnas pœnas Deus de Ierusalem sumpsit: quapropter ira eius iam sedata est. vel loco pœnarum, quas pro suis flagitijs debebat, à Deo pro sua immensa misericordia infinita accepit beneficia. Sed idem nostri prophetæ oraculum, eademque, sed explicata metaphora Esaias expressit, dicens; Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, & lætitia sempiterna erit eis. videte quomodo numero infinito quid duplicia significent, declarauit, adiungens lætitiam sempiternam. Quidam tamen exponũt duplicia, id est, duplex beneficium prẽstabo: nam & mittam Christum, & gẽtes seruabo. Sed prior expositio mihi magis probatur: ad quam etiam pertinet quod septuaginta reddunt, ἀντὶ μιᾶς ἡμέρας παροικίας σοῦ διπλᾶ ἀνταποδώσω. id est, pro vno die peregrinationis tuæ duplicia reddam: quod est, longè maiora beneficia conferam quàm mala intuli. Cùm ergo bona innumerabilia, præmium immensum, certum, & stabile proponatur eis, qui se totos ad Christum traduxerint, extremæ demẽtiæ est aliud bonum, præter Christum quærere: prẽsertim quòd sine Christo nihil est quod in bonis poni debeat: ipse enim apud se habet thesauros omnes atque diuitias Dei.

Rom.8.d. — *Vincti spei cur Iudæi vocentur.* — *Hebraismus est duplicia pro re vehementi, & firma.* — Iere.17.c. — Esai.40.a. *Esaiæ locus exponitur.* — Esai.61.b. — *Quanta dementia sit aliud bonum præter Christum quærere.*

13 *Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, impleui Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia, & ponam te quasi gladium fortium.* Dixerat Christus res magnas ab eo gerendas, multas prouincias domandas omnibus repudiatis humanis subsidijs: hoc loco exponit quibus armis, quibus auxilijs, quibusq; rationibus sit tã eximia facinora facturus. Iuda, Ephraim, & Sion,

Hebraismus exponitur.

& Sion, hoc idem significent, id est, Ecclesiam: *Impleui Ephraim.* Est phrasis Hebræa, id est, vt arcum vehementer contendi ad emittendam sagittã, ita. 4. Reg. 9. a. Porro Iehu tetendit arcum manu, & percussit Ioram. in Hebræo est idẽ verbũ quod hic, id est, impleuit arcum manu sua. quare idem est implere Ephraim, & extendere sibi Iudam quasi arcum. Significat ergo quòd opera, & auxilio Apostolorum, & aliorum sanctorum, qui quidem sunt filij Sion, & ex ijs Ecclesię societas constituitur, bellum Gręcię, quæ pro reliquis etiam nationibus gentium ponitur, illaturus est, atque eas in ditionem redigendas. idemque significat cùm dicit. *Suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia.* Idem etiam est hic gladius fortium, & arcus. Erant autem Apostoli, & Euangelistæ arcus; verba verò quæ de nostra religione faciebant, saggittæ, quibus hominum corda traijciebant, ad veritati manus dare cogebant. Saggittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorũ regis. quod haud dissimile est ab eo, quod apud Lucã Christus discipulis se daturum promittit; Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes aduersarij vestri. Græciam autem solùm nominat, quò vaticinium mirabiliùs fiat: nam Græcia præter cæteras omnes nationes, de literis, eloquẽtia, & philosophia gloriabatur. Et illud quidem mirabilitatem magnam facit, & prodigij simile est, quòd homines, qui nullas vnquam eloquentiæ, & philosophiæ frequẽtarũt scholas, qui nunquam humanas literas didicerunt (Apostolos intelligo) cum tantis philosophis, & eloquentibus viris contendentes, inferiores nõ fuêre: imo multos homines per Græciã conuicerunt: ita vt contempta omni philosophia, Christi doctrinam amplecterentur, licet cum illa pugnare videretur: quæ omnia ad Christi virtutem, laudem, & gloriam manant; eique sunt accepta referenda, qui hos arcus tanta vi contenderit, tamque validas vt conijcerent saggittas fecerit; qui his gladijs nulla humana industria acuminatis, atque politis, tantas hostium manus inciderit, tantas copias debilitarit. & hac de causa propheta ea dicendi ratione vsus est, vt arcus, Apostolos appellaret: à Deo verò intentos, vt ei imprimis tãtas victorias ascribamus. De ijs armis, quibus Christus orbi terrarum bellum intulit, grauiter loquitur Paulus Corinthijs scribens; Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia à Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Victoriam etiam quã Christus è mundo reportauit, subtiliter prædicat Esaias dicens; Sceptrum exactoris superasti sicut in die Madiam. Nam quemadmodum Gedeõ cum paucis militibus tantas Madianitarum copias fudit: ita & Christus cũ paucis discipulis omnem fregit mundi potẽtiam. Et quemadmodum Gedeon hostes suos non armis, non ferro, non equis, & curribus superauit: sed lumine de repẽte à militibus ostẽso: ita & Christus non equis, & quadrigis, & alio armorum genere, vt noster dixit propheta; sed mirabili, & inaudito doctrinę suæ, & prodigiorum lumine, cui mũdus vniuersus non potuit resistere; atq; illo clarissimo charitatis

4. Reg. 9. a.

Per Apostolos multas nationes esse domandas.

Erant Apostoli arcus, eorum verba saggittæ.

Psal. 44.

Luc. 21 c.

Mirabile valde esse Apostolos qui literas nõ didicerũt, oratores eloquentes & doctos vicisse disputando.

Apostolorum victoria Christo sunt accepta referẽda

1. Cor. 10. b

Esai. 9.

Victoria Gedeon cũ Christi victoria cõparatur.

ritatis igni, quo Apostolorum, & credentium corda inflammabat: cui etiā hostes truculentissimi, & potentissimi cessere. de quo Esaias loco etiam citato disserit adiūgens; Quia omnis violenta prædatio cum tumultu erit in combustionē, & cibus ignis. Tangit hostium immanitatem, sæuitiam & tragœdias, quas excitarunt aduersus Christum, & Apostolos; cum dicit; Violentam prædationem cum tumultu. perstringit autem vim inauditam verbi Dei dicens. Erit in combustionem, & cibus ignis, id est, tanta vi ac facilitate perrumpet exercitus Christi per aduersariorū acies, quanta ignis per paleas, & ligna, atque omnia quæ vrit: nam & ipsi hostes igne charitatis, & amoris Dei, ac doctrinæ eius accendentur. quod euenisse vidimus, cùm tot martyres, Apostolorū discipuli, propter Christum, & Euangelium vitam profundere non dubitabant.

Esai. 9.
Esaiæ locus exponitur.
Vis inaudita verbi Dei.

14 *Et Dominus Deus super eos videbitur, & exibit, vt fulgur iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.* Docet quanto studio, quāta vi, atque potentia Deus pro exercitu suo contra inimicos suos pugnaturus est; describitque habitum strenui ducis, qui primus hostium acies magno impetu aggreditur, & clara voce militū excitat animos. *Dominus Deus super eos videbitur.* Id est, pugnare cernetur pro Apostolis, vel vt est in Hebræo עֲלֵיהֶם *haleem*, contra eos, id est, hostes: quod idem est. & alludere videtur ad egressum filiorum Israel ex AEgypto, vt quemadmodum tum visus est pro populo suo contra hostes certare, ita, vt ipsi hostes dicerent (vt scribitur in Exodo;) Dominus pugnat pro eis contra nos: sic cùm vniuersum hominum genus è captiuitate Sathanæ, atque scelerum, in libertatem filiorum Dei asserere conaretur, cernebatur pro Apostolis pugnare; cùm tot virtute Dei Apostoli edebāt miracula, quibus homines conuincebant, ne de doctrina sua dubitarent. Ita Petrus vno miraculo (vt narratur in Actis) quinque hominum millia conuicit. & de Stephano dicit Lucas; Non poterāt resistere sapiētiæ, & spiritui, qui loquebatur; propter quod redarguerentur ab eo omni fiducia. *Et exibit vt fulgur iaculum eius.* Iaculum Dei, quo inimicos suos superauit, doctrina, & Euangelium eius est, quod vt fulgur egredi dicitur, propter eximium veritatis splendorem, quo obscuratas, & cōfusas hominum mētes illustrabat, & infidelium, ac contumacium hominū oculos perstringebat. Nam hac ratione perfectissimè illud præstitum fuit, quod canit Abacuc; In luce saggittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. In fremitu conculcabis terram: & in furore stupefacies gentes. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. qui versus vel ab Hebræis ipsis de salute, quam per Christum Deus orbi allaturus erat, intelligitur; qui ita exponunt: vt adesse populo tuo visus es cùm eum ex AEgypto eduxisti; ita videberis adesse cùm eum per Christum in libertatem asseruerìs. *Et Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.* Manifesta allusio est ad ea, quæ acciderūt, quando lex antiqua lata est. Nam vt narratur in Exodo; Postquam decem Decalogi præcepta sunt à Deo proposita, cunctus populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, neq; minor ergo ampli-

Quanto vi Deus sit pro Apostolis pugnaturus.
Exod. 14. f.
Sicut pro Hebræis contra AEgyptios ita pro Apostolis Deus pugnauit.
Acto. 3.
Acto. 6. c.
Iaculū Dei Euāgeliū est.
Abac. 3. a.
Exod. 19. c. & 20. c.
Comparatur modus ferendi legem nouam cum eo modo quo lata fuit lex vetus.

Ad vocē claram significandam sacrà scriptura tubæ similitudine vitur. *Esai.58.* *Matt.24.c.*

amplitudine, & maiestate Euãgelium proponetur, ita vt in toto terrarum orbe audiatur. Ad significãdam etiã vocem claram, diffusam, atque canoram, sacra scriptura tubæ similitudine vtitur, vt Esaias ait; Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. & apud Matth. Mittet Angelos suos cũ tuba, & voce magna. Quoniã igitur Euangelij fama Deo iuuante per omnes terræ partes manatura erat, dicit propheta noster, *Deus in tuba canet.* Tubarum etiam clangor edi solet, cùm signa in bello inferuntur, vt milites impellantur, & hostes terreantur; ita in belli metaphora persistens propheta tubam, orationes, & sermones Apostolorum Euangelium prædicantium vocat: quoniam eo & iustis, ac pijs viris animum faciebant, iniquis autem, & impijs terroré inijciebant: nam illis gloriam perpetuã pollicebãtur; istis verò supplicijs æternis minabantur. Ac denique hoc nostræ prophetæ loco moniti intelligemus deuicti, atque subacti mundi per Euangelium pulchram esse figuram Ierichò expugnationem, quæ narratur in Iosue. Etenim tantùm clangore tubarũ omnes muri Ierichò corruerũt: ita & Euangelio vniuersæ mũdi diuitiæ, honores, & opes deiectæ, atq; prostratæ ita sunt, vt à viris sanctis negligantur, & nõ pluris quàm stercus æstimétur.

Subacti mundi per Euangelium pulchra figura fuit Ierichũ tis expugnatio. *Iosue.6.*

Vadet in turbine Austri. Alludit (vt dixi) ad montem fumãtem, qui apparuit, quãdo lex fuit à Deo proposita. Dicit auté turbinem Austri: quia flante Austro frequentiùs turbines excitari solent. Tanto igitur impetu, tam magna vi Euangeliũ per orbé perrumpet, & omne robur impediens deijciet, atq; prosternet, quanta validissimus turbo ab Austro excitatus ruit, & obuia quæq; disturbat. Eodé etiã habitu, quo noster propheta, Dauid Deũ describit sibi suppetias ferétem; Et intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocé suã. Grando, & carbones ignis: & misit sagittas suas & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. qui etiã vates perstringit auxilium, quod Deus præstitit populo suo; vt è potestate eum Pharaonis eriperet: quoniã eo facto Deus magis quàm alio veteri populo potentiam suam declarauerat, quantoq; sit auxilio suis aduersa fortuna iactatis. Hinc fit vt cùm magnum Dei subsidium vellent significare, ex illo maximo dicendi rationes sumerent. Eodem spectat, quod Septuaginta interpretes vertunt ἐν σάλῳ ἀπειλῆς αὐτοῦ in cõmotione terroris eius. Tãgit enim hanc commotionem, quam pluribus loco citato exposuit Dauid.

Quanta vi per orbem Euangelium manabit. *Psal.17.* *Scriptura sumit dicendi rationes ex auxilio quo Deus populũ suum ex Ægypto liberauit.*

Dominus exercituũ proteget eos. Quibus verbis explicat quod dixerat, id est, deniq; eis Deus omnipotens aderit. illud enim. *Dominus exercituum.* Septuaginta vertunt Dominũ omnipotentem: aptissimeq; ac descriptissimè id verbũ hic positũ est à propheta: habet enim magnã energiam: quasi diceret, frustra cũ eis Reges, & viri potentes certabũt; frustra Euangelij cursum impedire contédent, & cõprimere moliẽtur: quippe Deus, qui tot habet lectissimos Angelorũ exercitus, qui deniq; est omnipotens, eorũ partes tuebitur. Quàm verò ab omni sit securus periculo is, cui Deus suppetias occurrit; explicat ipse copiose apud Ieremiam, cùm ei idem, quod Apostolis munus mandaret; Loquere (ait) ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum

Frustra Reges Euangelium comprimere molientur. *Ierem.1.d.*

 eorum.

eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terrã Regibus Iudæ, & principibus eius, & sacerdotibus, & omni populo terrę: & bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum, ait dominus, vt liberem te.

Et deuorabunt, & subijcient lapidibus fundæ. Dixit propheta Deum Apostolis adiumento futurum; exponit modò quæ res sunt ab ipsis gerendæ. verbum Hebræum אָכַל *acal*, est comedere, consumere, & excidere. soletque ad ignem consumentem trãsferri. vt
Esa. 29. vers. 6. Esaias; Flama ignis אוֹכֵלָה *ocela*, deuorantis. in Deuter. etiam vers. 24. Deus
Deuter. 4. vers. 24. tuus ignis אוֹכְלָה *ocela*, cõsumens est. Apostoli igitur tanto muniti præsidio, hostium agmen ita perrumpent, vt ignis paleas, & arundines deuorare
Nullus Euangelium cursu prohibere poterit. solet. id est, nullus Euangelium cursu prohibere poterit. quod ita euenisse videmus, cùm orbem vniuersum Regibus, & Imperatoribus inuitis peragrauerit. De qua re illud intelligi pu-
Sap. 3. b. to, quod scribitur in Sapientia. Iusti tanquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes, & do-
Locus Sapiẽtiæ exponitur. minabuntur populis. Sunt enim Apostoli iudices, & principes eorum populorum, qui ad Ecclesiam pertinẽt: quorum principatum, & dominationem mundus non aliter cohibere potuit, quàm arundines ignis scintillam discurrentem. quod amplissimis ver-
Esa. 30. bis vaticinatus est Esaias. Ecce (ait) nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portãdũ: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorãs. De longinquo dicit; quòd se lõgè lateq; diffundet. quod dicit, nomen Domini, & lingua eius, &c. manifestè prædicationem intelligit Euangelij, & famam eius, quæ in vltimas vsque terræ partes penetrauit. *Et subijcient lapidibus fundæ.* Ita etiã exprimũt Septuaginta viri. Arma verò illa spiritualia, *Arma Apostolorum spiritualia explicat propheta carnalibus armis.*
quibus in bello vsi sunt Apostoli, explicat armis carnalibus, quibus inter se dimicantes pugnãt. antè sagittarũ & iaculorum mentionem fecit, nunc fundarum, quod est etiã militare instrumentum ad hostes eminus feriendos; sed vilius, atq; deterius quàm arcus; sicut etiam lapides, qui funda iactantur, viliores sunt, minusq; nocẽt, quàm sagittæ, quæ arcu emittuntur. Amplificat ergo Apostolorũ in dimicando robur, atque virtutem, vt *Quanta erit Apostolorum in dimicãdo virtus.*
non solùm arcubus, & sagittis, sed etiam fundis, atque lapidibus hostes suos sint superaturi. Fundis etiam in primo congressu vti pugnantes solẽt: quare tam admirabili impetu hostes suos Apostoli aggredientur, vt eos primo congressu fundant. Hos lapides Hieronymus esse dicit auctoritates scripturæ sacrę: sed vt Euãgeliũ est sagitta, & iaculum: ita etiã & lapis esse potest, de lapide illo angulari, atq; excellẽtissimo Christo decisus. sed cuidã Hebræo, cui Vatablus assentitur, magis placet, vt verbũ Hebræum nõ per ablatiuũ, sed per accusatiuũ reddatur: nã vtrũq; patitur, hoc modo; subijciẽt lapides fundæ: vt Græcos, & *Infideles lapides fundæ appellat propheta.*
alios infideles, lapides fundę appellet, qui viles esse solent, & non nisi ad nocendum quæruntur: sicut in extremo capite homines pios, lapides sanctos vocat; vt lapides fundæ contrario nomine respondeant lapidibus sanctis. prædicit ergo propheta, Græcos ab Apostolis esse superãdos. quæ expositio etsi non sit absurda, verba tantum Hebræa spectando, prima mihi

mihi magis probatur, quòd eam vulgatus, & Septuaginta amplectantur.

Et bibentes inebriabuntur quasi à vino & replebuntur, vt phialæ, & quasi cornu altaris. Persequitur belli, quam sumpsit similitudinem. Et quemadmodũ magna illa, & excellens victoria esse censetur, qua magna fit hostium clades: ita ad amplificandam victoriam, quam Apostoli ex hostibus infidelibus reportarunt, dicit tãtum eorum sanguiné profusuros, vt ex riuis, qui è sanguine fient, sanguinem tãquam vinum bibere possint: ipsiq; Apostoli ita occisorum cruore inficientur, vt sic sanguine pleni videantur, sicut phialæ, quæ erant secundùm altaris cornu, in quas occisorum animaliũ, quæ sacrificabantur, sanguis effluebat. magna quidem, & splendoris plena amplificatio! hanc expositione Septuaginta amplectuntur, qui ita locũ hunc exprimunt καὶ ἐκπίονταί τὸ αἷμα αὐτῶν, ὡς οἶνον, καὶ πλήσουσι τὰς φιάλας ὡς θυσιαστήριον. Id est, bibent sanguinem ipsorum vt vinũ, & implebunt phialas quemadmodum altare; quæ dicendi ratio, ad idem significandum vsurpata est alijs sacrarum literarum locis; vt Dauid canens etiam victoriã Christi ait; Conquassabit capita in terra multorũ: de torrente in via bibit, propterea exaltauit caput. id est, tantus interfectorũ erit sanguis, vt ex eo, tanquã ex aquarum torrẽte in via bibere posśit. eum etiam Esaias describens, quando de hostibus suis triumphans in cœlum ingressus est, fingit vestibus cruentis sanguine inimicorum indutum ascẽdisse, tantumq; ducis splẽdorem Angelos admirãtes quæsisse; Quis est iste qui venit de Edom? &c. quare ergo rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Christumq; respondisse; Torcular calcaui solus, &c. & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. qui locus aptisśimè cũ hoc, qué in manibus habemus nostri prophetæ loco conuenit. Nam & sanguinis effusione victoriam eximiam explicat, & sanguinem ipsum cùm vino confert cum dicit; Torcular calcaui solus. quare vehementer hæc expositio mihi probatur; licet non placeat Hieronymo. Nam reijcere videtur in commentarijs Septuaginta trãslationem, & aliã ipse rationé persequitur.

Quãta Apostolorũ per Euangelium futura sit victoria.

Ex ijs que accidunt in victoria ex magno exercitu reportata explicat victoriã Apostolorum.

Psal. 110.

Esai. 59. a.

16 *Et saluabit eos Dominus Deus eorũ in die illa vt gregẽ populi sui.* Permixta est, atq; implicata oratio nostri prophetæ, & quæ difficilè intelligetur ab eis, qui ignorant, quid sit nõ viribus, sed virtute pugnare. Antè vates Apostolos comparauerat viris validisśimis, atque fortisśimis, qui celeriter hostiũ aciem prærumperent, tantamq; cædem facerẽt, vt se totos inimicorum sanguine cruentarent: nunc eosdem ouibus confert, quibus nulla sunt animalia magis à bello, & ab occisione abhorrentia; adeò vt quamuis lædantur, minimè noceant; quamuis damnum accipiãt, non inferant: deniq; si periculũ vllũ sentiant, nulla re, nisi fuga sibi salutẽ quærant. Quod ob eam rem adiũgit propheta, ne erraremus intelligẽtes bellũ ab Apostolis gerendũ eo modo, quo ab huius ęui ducibus administrari solet; neq; sagittis, iaculis, lapidibus carnalibus, sed spiritualibus (vt diximus) hostes appetituros: nõ deniq; imponendis, sed accipiẽdis vulneribus, nõ malis inferẽdis, sed beneficijs præstãdis, nõ bello mouẽdo, sed pace nunciãda victoriã esse consecuturos. Vt ergo id nos, ꝓpheta

Apostolos cũ ouibus propheta cõfert vt intelligamus quo pacto sit ab eis bellum gerẽdum.

Quo pacto Apostolo victoriam sunt consequuntur.

doceat, tanquam oues Apostolos à Deo esse custodiendos, dicit; Pastor enim seruat oues suas, nõ vt alijs ipsæ noceát, sed vt à nemine eis noceatur. & ob eam rem ipse discipulos suos ad docendum Euangeliũ mittens eis dixit; Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, id est, volo, vt incommodis affecti gratiam non referatis vllã. & hac de causa eis præcepit, ne vllis se huius vitæ præsidijs ad iter faciẽdum munirent, atque adeò vt neque saccu lum, neque peram, neque calceamen tum portarent. Quibus autem armis tectus esse debeat christianus miles, subtiliter, & sapientissimè docet Paulus dicens; Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeã salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbum Dei.) His armis instructus miles christianus securus ab omni periculo, contra vniuersos diaboli, mundique exercitus in aciem, dimicationemque veniet. Qui ergo in Christi firmissimis, & bellicosissimis copijs duci voluerit, ita se debet comparare, vt in non cædendo, sed fortissimè tolerando leonem, in non lædẽdo verò, sed libentissimè commodando ouem imitetur.

Quibus armis Christi miles tectus esse debeat.

Ephe.6.c.

Quo pacto gerere se debeat christianus miles.

Quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius. Varijs nominibus viri sancti appellantur propter eorum varia munia. dudũ oues, propter eorũ mitissimos, & humanissimos mores; lapides modò propterea quod ad vnã Dei Ecclesiã, & vrbẽ, quam lapis ille angularis Christus copulauit, omnes pertineant, omnesq; ad huius lapidis excellentissimi normam dirigantur. Motus ergo propheta ab vrbe Ierusalem materiali, quã habebat ante oculos, de qua restituenda, & lapidibus eius componendis populus tum erat solicitus; viros sanctos, de quibus sermonem induxerat, lapides nominat, ex quibus vera Ierusalem per orbem tantis victorijs propagãda, & ædificãda erat: de cuius ędificatione politissimis, & selectissimis lapidibus Esaias amplissimè verba facit quem locum hic fortè noster propheta tangit. ait ergo Esaias; Paupercula tempestate conuulsa, absq; vlla cõsolatione; Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. *sancti.* Sanctos vocat hos lapides; quia sint Deo dicati, atq; cõsecrati, & in diuitijs eius ponantur: vel ꝙ illius lapidis sanctissimi Christi similes sint, quos viuos Petrus appellat; quòd eorũ vita Christus sit; Ad quẽ accedentes (ait) lapidem viuum, &c. & ipsi tãquam lapides viui superædificamini domus spirituales in sacerdotium sanctum. Sancti etiam vertunt Septuaginta viri: sed in Hebræo est lapides נֵזֶר *nezer*, coronæ quod in eandem recidit sententiam: iusti enim diabolum, mundum, & carnem vincentes, Christi victoriam augẽt, dum nõ solùm hos hostes per se, sed etiam per milites suos vincit; de illisq; ipsis triumphantibus, Christus etiã triumphat, sic vt nõ sibi solum, sed etiã ipsi Deo victorię fabricẽt coronam. Sunt itaque sancti lapides pretiosissimi, ex quibus Dei corona composita est. Et quo-

Varijs nominibus viri sancti appellantur propter eorũ varia munia.

Viri sancti cur lapides vocentur.

Esai.54.c.

Cur viri sancti sancti vocentur.

1.Pet.2.a.

Viri sancti vincentes Christi victoriam augẽt.

quoniã propheta copiosè, magnoq; verborũ splẽdore sanctorũ victorias enarrauerat, descriptissimè adiungit, eos lapides coronę futuros. de qua corona disserit Esaias cũ Ecclesiã è iustis hominibus composita loquẽs; Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. quod dicit in manu Domini, significat dele ctationẽ, & voluptatẽ magnã, quam Deus ex sanctorum capit aspectu: in manibus enim poni solet corona eleganter fabricata, vt cernatur. *Eleuabuntur.* in Hebræo est מִתְנוֹסְסוֹת *mitnoses soth*, verbũ autẽ נס *nes*, propriè eleuare, & exaltare vexillũ significat: nã dicitur à nomine נֵס *nes*, quod propriè vexillũ significat. Eleuabũtur ergo lapides sancti super terrã, tanquã vexillum, quo victoria ab illis parta significetur: milites enim victoriã adepti, ve-
Deus sanctorum virorũ aspectu vehementer delectatur. xilla plausus dantes, eleuare solent. Septuaginta viri trãsferunt κυλίονται conuoluentur; quod de cõuolutione illa intelligi puto, qua eleuata vexilla, à ventis agitata cõuolui solent. De hoc vexillo, atq; signo ex iustis coagmẽta-
Esai. 11. to, intelligi puto illud Esaiæ; Et leuabit signum in nationibus, & cõgregabit profugos Israel. nam est ibi nomẽ Hebræũ נס *nes*, ex quo verbũ, quo noster hic propheta vtitur, diximus esse
Ecclesia vexillum est. factũ; ita vt Ecclesia signũ, atq; vexillum sit, ad quod veri Christi milites, per varias nationes dispersi conuolabunt, atque confugient.

17 *Quod enim bonũ eius est, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, &*
Ecclesia magnam frumẽti & vini copiã habebit. *vinum germinans virgines?* Dixit propheta iustos tanquam signum eleuandos super terram victoriæ quasi plaudentes, qua ipsi terram vniuersam in potestatem redegerunt: nũc de bonitate, & vbertate terræ disserit, quam ipsi subegerunt: quam omnem paucis quidem verbis, rebus tamen infinitis comprehendit. Quid igitur boni (ait) quid pulchri est in hac terra, quã sua virtute tanti milites sibi pepererũt? frumentũ (respõdet) electorum, & vinũ germinans virgines. id est, frumentũ, & vinũ, qui sunt fructus, quos imprimis è terra desideramus, & quærimus: & illam terram maximè laudamus, quę horum affert vberiorem copiã. Hæc igitur terra erit optima, atq; præstantissima; quoniam vberrimos frumenti, atque vini fructus afferet.
Ecclesia ergo, cuius imperiũ eisdem, *Christus est Ecclesiæ frumentum.*
quibus orbis terrarum finibus terminatur, magnam frumenti, & vini copiam habebit. Sed quod eius est frumentum nisi Christus? quod vinum nisi Euangelium? Christus enim fuit *Euangelium est Ecclesiæ vinum.*
granum illud frumẽti, quod quoniã mortuum cadens in terram fuit, fructum tulit immensum, vt ipse Christus apud Ioannem auctor est. Chris- *Ioan. 12.*
tus est etiã panis viuus, qui de cœlo descendit, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur, sicut & ipse testatur. Huius etiã frumenti copiam, quę *Ioan. 6.*
in terra futura est, docet Dauid dicẽs; *Psal. 7*
Erit firmamẽtum in terra in summis mõtiũ, superextolletur super libanũ fructus eius: & florebũt de ciuitate sicut fœnũ terræ. firmamẽtũ est frumẽtũ, & sic in alijs exẽplaribus vulgatæ editionis legitur. in Hebræo enim est בר *bar*, quod frumentũ purgatum significat. Dicit; *Frumentũ electorum.* in Hebræo est בַּחוּרִים *bahurim*, significat iuuenes electos, atq; robustos, & ad præliũ aptos. Fecit filio suo Sam- *Iud. 14.*
son cõuiuiũ: sic enim בחורים *bahurim*, iuuenes facere consueuerant. quo loco notãt Hebræi significare virgines, iuuenes, id est, qui nũquã antè vxorẽ

duxerant. quod ego adnoto propter id quod sequitur in propheta. Christus ergo est panis valentium, & robustorum iuuenum: nam dupliciter hic panis comeditur, fide, spirituve, & ore. vt alij cibi comeduntur, qui duo modi exponūtur ab ipso Ioanne. c. 6. vt nos lib. nostro tertio de vera religione cap. 11. multis persecuti sumus. Vt ergo fide edatur, quod non credēdo solùm, sed etiam imitando fit, magno, & constanti animo opus est, ne quamuis duri aliquid, & molesti occurrat, illum abijciamus. ita cum ipse apud Ioannem de sui manducatione dissereret, à multis, qui in eius se consuetudinem insinuarant, desertus est dicentibus; Durus est hic sermo, & quis poterit eum sustinere? Est enim Christus solidus cibus: quare qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ; paruulus enim est. Si ore verò sumatur etiam est frumētum iuuenum electorum, non puerorum. Ad cuius rei significationem, quamuis alia præstantissima sacramenta, vt Baptismus, & Confirmatio, Ecclesia patiatur, vt à pueris, & infantibus accipiantur; hoc excellētissimo cibo nisi valentiores vesci non patitur; quòd sit (vt noster ait propheta) iuuenum electorū frumētum. *Et vinum*. Quòd autem vinum Euāgelium significet, ex eo licet cognosci, quod doctrinā puram, nullo errore permixtam significare soleat. & ita Esaias reprehendens Iudæos de corruptione doctrinæ sibi à Deo propositæ ait; Vinum tuum mixtū est aqua. Vino verò doctrinam literaliter, & historicè significari, pleriq; doctissimi viri intelligūt: & ipsa Sapientia in Prouerbijs ait, Bibite vinū, quod miscui vobis, id est, tenete iustitiæ, ac pietatis præcepta, quæ vobis composui. Congruenter autem doctrina Dei vinū appellatur, quod homines adeò accendit, & inflammat ad iustitiæ, & pietatis amorem, vt se ipsos tanquam ebrij prædulius amore contemnant, atque negligant, & omnia incommoda, omnes ærumnas, & acerbitates perferant, dū veritatem liberè prædicet. quod optimè exponit Ieremias, cum ingenuè de se fateatur dicēs, Factus sum quasi vir ebrius, quasi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborū sanctorum eius. Hæc igitur doctrina *Virgines germinabit*. id est, hac doctrina eruditi, & imbuti homines, omnes libidines, & voluptates adeò comprimunt, adeò contemnent, vt sui obliti, sui immemores, ac corporis prorsus expertes esse videātur. de ijs virginibus loquitur. Dauid in Psalmo; Adducentur Regi virgines pòst eam: proximæ eius adducentur tibi; In lætitia, & exultatione adducentur in templū Regis. Doctrinæ enim ardore excitatæ, & compulsæ, ad Ecclesiam venient, ei se libenter, & æquo animo subijcient, ardentissimeq; deuouebunt. in Hebræo est נוֹבֵב *nobeb*, quod Vatablus psallere faciens interpretatur: sed verbum נוּב *nob*, propriè germinare, fructum ferre significat. Nam illud Prouer. Os iusti יָנוּב *ianub*, Sapiētiam, id est, loquetur sapientiā: translatio est à fructibus petita. Nam sermo est oris quasi fructus; vnde & à ferendo à Latinis dicitur; quare rectè versum est ab interprete nostro, quamuis variè ab alijs reddatur. Tugurina vertit virgines vegetas succulentas reddet. Septuaginta transferūt *εὐωδιάζον*. id est, boni odoris. id est, magna voluptate, & amore sui virgines capiens. quare multas ad se alliciet.

CAP. X.

Christus cibus noster dupliciter comeditur fide, & ore.

Ioan. 6.

Christus quacunque ratione comedatur est panis robustorum. *Heb. 5.*

Vinum Euangelium significat.

Esai. 1. c.

Prou. 9.

Cur doctrina Dei vinum appellatur.

Iere. 23. b.

Doctrina Christi quo pacto germinet virgines.

Psal. 44.

CAPVT. X.

A 1 Petite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, singulis herbam in agro.
2 Quia simulacra locuta sunt inutile, & diuini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustra: vanè consolabantur: idcirco abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor.
3 Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo: quia vi
B sitauit Dominus exercituū gregem suum domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.
4 Ex ipso angulus, ex ipso paxillus ex ipso arcus prælij, ex ipso egredietur omnis exactor simul.
5 Et erunt quasi fortes, conculcantes lutum viarum in prælio, & bellabunt, quia Dominus cum eis: & confundentur ascensores equorum.
6 Et confortabo domum Iuda, domū Ioseph saluabo, & conuertā eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos: ego enim Dominus Deus eorū, & exau-
C diam eos.
7 Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi à vino: & filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Dño.
8 Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos sicut antè fuerant multiplicati.
9 Et seminabo eos in populis, & de longè recordabuntur mei: & viuent cum filijs suis, & reuertentur.
10 Et reducam eos de terra Ægypti, & de Assyrijs congregabo eos: & ad terram Galaad & Libani adducā eos, & non inuenietur eis locus.
11 Et transibit in maris freto, & D
percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis: & humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Ægypti recedet.
12 Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt: dicit Dominus.

Petite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis singulis herbam in agro. Quoniam in extremo superiori capite diuitias, quas attulit mundo Christus, frumenti, & vini nomine declarauerat, in eadem translatione persistens de ijsdem disserit diuitijs: cumque vini, frumentique copia pluuia crescat, & augeatur; monet, vt si tam excellentis vini, atque frumenti copiā habere cupimus, pluuiam à Domino petamus in tempore serotino, cùm pluuia imprimis necessaria sit. Duobus enim temporibus ager imprimis pluuiam desiderat, Autumno, quòd tum semina terræ mādētur, & Vere, quòd tum arbores erumpant, & semina, quæ autumno iacta sunt, augeantur, & maturescant. Prima pluuia in sacra scriptura appellatur temporanea: secunda verò serotina. Pluuia autē pro doctrina in sacra scriptura vsurpari solet. vt in Deute-

Quæ vocetur temporanea quæ serotina pluuia.

Pluuia pro doctrina sacra vsurpari solet.

Deut. 32. Deuterono. Concrescat in pluuiam doctrina mea; fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. Pluuia verò tẽporanea fuit doctrina per Moysen populo tradita: serotina verò Euãgelium Christi: Nam tempus Christi nouissima mundi hora à Ioanne vocatur: tum tempus Christi cum Vere comparatur, quòd tot, tantosque viros tam eximiaque virtute præditos attulit, qui tanquam vberrimi pluuiæ Euangelicę fructus fuêre. ita sponsus de tempore hoc loquitur in Canticis; Surge, propera amica mea. &c. iam hyems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra. &c. Est itaque pulchra Veris descriptio, quod Christi temporibus comparatur. quare aptè cadit, vt Euangelium pluuia nominetur, quod causa tantorum fructuũ, iustitiæ, ac pietatis fuit. Nulla enim vnquam doctrina tot discipulos ad virtutis studium informauit, quot Euangeliũ Christi. quid dico tot? imo si omnes discipuli, quos Socrates, Plato, Aristoteles & reliqui omnes philosophi virtutis præceptis imbuerunt, cum discipulis Euangelij conferantur, æquè absurda erit comparatio, ac si phœnicum numerum cum arenæ multitudine conferretis. Propter fructuum igitur copiam, quam Euangelium attulit, hîc serotina pluuia dicitur: propter ardorem autem quo inflammauit homines ad res omnes præ illo contemnendas, vinum extremo superiori capite nuncupatum est. de Christo etiam Dauid prædicit; Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. in Hebræo est גז

Temporanea pluuia doctrina fuit Moysi, serotina verò Christi.

Tempus Christi cum vere comparatur.

Nulla doctrina tot discipulos ad virtutem informauit, quot Euangelium Christi.

Cur Euangelium appelletur pluuia.

Psal. 71.

gez, quod dissectum etiam pratum, significat, quod veniente pluuia valde florere, & herbis vestiri soleat. quos autem fructus pluuia sit allatura, statim ipse Dauid declarat dicens; Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.

Et Dominus faciet niues. In Hebræo est חזיזים *hazizim*, quod Talmudistis nubes significat. & ita Pagninus Hieronymum vertisse testatur, & fortè pro nubes, niues irrepsit: sed niues est in omnibus exemplaribus vulgatæ editionis. cæterùm Hebræis communiter significat fulgura, coruscationes. & ita vertit Vatablus, & Pagninus: inter omnes tamen constat significare id, quod pluuia, aut aqua ad terram rigandam consequitur. nam id postulat contextus, siue antecedentia, siue sequentia respiciamus. Etenim fulgura, & nubes pluuia consequi consueuit; & ex niue aqua fieri, quæ quòd lenior sit, magisque penetret, gratior, & vtilior frugibus esse solet. igitur nubes, siue niues, siue fulgura quæ propheta Deum facturum promittit, sunt Apostoli, qui tanquam nubes pluuiam verbi Dei per vniuersam terram portarunt, & diffuderunt. ad nubes has pertinere puto illud, quod Esaias dicit; Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum. pluebant terris Apostoli Christum iustitiæ fontem, cùm illum per orbem terrarum prædicabant. De Apostolis etiã prædicantibus, atq; docentibus enarrat Diuus Augustinus illud Psalmi septuagesimisexti; Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes: etenim saggittæ tuæ transeũt, vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; vidit & com-

Nubes vocitur Apostoli.

Esai. 45.

& commota est terra.

Et pluuiam imbris dabit eis. Id est, pluuiam vehementem, quæ terram vniuersam aqua compleat, & omnem eius tollat siccitatem, ita vt copiosè fruges alantur, nullamq; aquam prætereà requirant. Nam Euangelium Christi satis abundè homines ad veram pietatem informat, viamque docet ad bene beatèque viuendum. & ita Dauid ait; Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Euangelium Christi satis abundè homines ad veram pietatē informat.

Psal. 35.

Et singulis herbam in agro. Vatablus herbam, Euangelium; agrum cuiusque conscientiam interpretatur: sed meliùs est vt agrum, mundum interpretemur: vt Christus apud Matth. interpretatus est, herbam autē viros iustos. nam Christus apud Marcum herbis eos nascētibus comparat. cùm dicit; Sic est regnum Dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terram. &c. Vltrò enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam. &c. Vaticinatur igitur propheta, mundum magna bonorum multitudine decorandum, qui aridus, & sordidus antè fuit, paucis viris pijs ipsum incolentibus. quam felicitatem Deus per Esaiam, eadem vtens translatione, pollicetur dicens; Eris quasi hortus irriguus. & per Ezechiele; In die (inquit) qua mundauero vos ex omnibus inquinamētis vestris, &c. Et terra deserta fuerit exculta. &c. dicēt, Terra illa inculta, facta est hortus voluptatis.

Matt. 13. a. *Ager, mundus, herba iusti vocātur.*

Mundus magna bonorum multitudine decorandus.

Esai. 58. c.

Ezech. 36. e.

2 *Quia simulachra locuta sunt inutile, & diuini viderunt mendacium, & somniatores loquuti sunt frustra; & vane consolabantur.* Exposuit quantam vtilitatem, quanta ornamenta Euangeliū mundo sit allaturum: deinceps dicit, omnem reliquam doctrinam, quæ cum Euangelio non conueniat, sed ei contraria sit, inutilem, falsam, ac vanam esse cēsendam. quare solus Deus verus est, ac certus veritatis magister; ipse tantùm consulendus est, ipsius tantum oracula, & responsa sunt audienda, ab eoque degendæ vitæ sunt præcepta capienda; idolorumq;, somniatorum, & diuinorum dicta explodenda, ac reijcienda. Erant idolis, somniatoribus, atque diuinis, & alijs huiusmodi quisquilijs Iudæi dediti, à quo illos his verbis vates auocare conatur. Valet etiam locus hic ad suadēdum christianis, & pijs viris, vt omnes erroris magistros, ac sycophantas hæreticos fugiant, atque negligant, & vni Euangelio, vt ab Ecclesia Romana proponitur, atq; docetur, denē operam. Vanè enim (vt ait propheta noster) eos consolantur, cùm facilimum ad vitam beatam aditum per Christum patere dicunt, cùm sola fide eos ab omni periculo securos reddunt. idem monet Ieremias; Nolite audire prophetas vestros, & diuinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis, Non seruietis regi Babylonis; quia mendacium prophetant vobis, vt longè vos faciant de terra vestra, & eijciant vos, & pereatis. Cum hac extrema sentētia conuenit aptè id quod sequitur in propheta.

Deus solus certus est veritatis magister.

Locus aptus ad decēdum vt hæreticos fugiamus.

Iere. 26. b.

Idcirco abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor. Nō solùm sycophantæ populum decipiunt, & in maximos errores impellūt, sed etiā multa mala, & maximas calamitates inducunt, dum populum ad scelera, & flagitia impellentes, Dei in ipsum iracundiam excitant. Et ob hanc causam

Sycophantæ homines deciptentes multa mala Reipub. inferūt.

ſam Elias quadringẽtos illos prophetas Baal trucidare pręcepit, quaſi omnium malorum auctores. Aptè verò populum cum grege comparat: eſt enim ſtultiſsimus, & imbecillimus. quare facilè abigitur, dilaceratur, & beſtiarum patet incurſibus, ſi bono, & ſolicito paſtore careat. Ita & populus ſi bono careat gubernatore, qui fures, id eſt, fraudulentos hæreticos, & ſycophantas nefarios arceat. quare tota populi felicitas in Principe, ac moderatore poſita eſt; qui vt probus, & pius ſit, aſsiduis à Deo precibus eſt poſtulandum.

Facile populus decipitur ſi bono principe careat.

3 *Super paſtores iratus eſt furor meus, & ſuper hircos viſitabo.* Quoniam populũ afflictum, & in exilium eiectum eſſe dixit tanquam gregem ſine paſtore; de paſtoribus, qui tantorum malorũ in culpa fuerunt, verba facit. quæ (vt Hieronymus auctor eſt) temporibus Machabęorum, quorum opera Deus Græcos, qui Iudæos indignis modis acceperunt, vltus eſt, Hebræi conuenire putarunt. quæ ſententia Hieronymo ipſi nõ diſplicet, & eam ſequitur quidam Hebræus, qui poſt Hieronymum ſcripſit. ſed multò perfectiùs in Chriſti tempora cadere puto, cum ſacerdotes Deus, & alios populi magiſtratum gerentes grauiter per Romanos eſt vltus. Ipſi enim verè populi paſtores, & hirci erant, id eſt, populi ductores, vt hirci gregi præeunt. Ipſi veriſsimum & excellentiſsimum paſtorem Chriſtum necarunt, Apoſtolos expulerunt, tantiſque paſtoribus & amœniſsimo Euágelij paſtu populum priuarunt. & hac de cauſa populus afflictus, & in hoſtium Romanorum poteſtate fuit. Quod hîc, & in principio ſequentis verſus. *Viſitare.* dicit, verbum Hebræum eſt פקד *pacad*, quod inter alia attendere, animum inducere ſignificat; quod de Deo vel mala inferendo, vel beneficia pręſtando dicitur. qua ſignificatione verbũ viſitare in editione latina frequenter vſurpatur. vt Eſaię. 26. Viſitaſti & cõtriuiſti eos. & Pſal. 88. Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. hac ergo ſignificatione hîc paſtores, & hircos ſe viſitaturum dicit, id eſt, puniturum, ac eorum ſcelera, ſocordiã, & negligentiã vindicaturũ. Septuaginta viri vertunt nõ hircos, ſed ἀμνοὺς, id eſt, agnos ſed agnos caprarum intelligũt, id eſt, hœdos qui laſciuientes gregem anteeunt. ſignificãt ergo, vt de hircis diximus, per metaphoram populi rectores. vel de paſtoribus gentilium, ſacerdotibuſq; idolorum aptè locus hic intelligi poteſt, quos Deus prædicatione Euangelij, & tantis miraculis ab Apoſtolis editis diſsipauit, atque confudit, ſicut Elias ſolus quadringentos idolorum ſacerdotes. quæ interpretatio aptiùs coniungitur verbis ſequentibus.

Cur ſacerdotes & alios populi principes Deus per Romanos fuerit vltus.

Viſitare in ſcriptura quid ſignificet.

Eſai. 26.

Pſal. 88.

Quia viſitauit Dominus exercituum gregem ſuum domum Iuda, & poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello. Hoc loco viſitare ſecundo modo vſurpatur, qui eſt (vt diximus) beneficia conferẽdo ſicut apud Dauidem Pſal. 8. Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniã viſitas eum? & Pſal. 105. Viſita nos in ſalutari tuo. reſtituetque gregem ſuum deſidia, atque paſtorum malitia abactum & diſsipatum. *Domum Iuda.* Eccleſiam eſſe intelligendum eſt, quæ vna Dei gregem cõtinet, & ita gregem ſuum muniet, ita roborabit, tantos ei ſpiritus, & animos addet, vt non tanquã grex ouiũ infirmus, & imbecillus ſit, ſed quaſi

Pſal. 8.

Pſal. 105.

Cur Eccleſiã Dei equum futurã dicit.

Equum

Equus sit gloriæ suæ. Id est, equus per quem magnã ipse gloriã consequetur, hostium acies disturbando, & eorum agmina perrumpendo. Alludit enim ad Imperatorem fortissimum, qui equo feroci, & excellenti vectus aggreditur, & fundit hostes: equi verò generosi fortitudinem, & animũ in bello singularem Iob accuratè describit; Exultat, audacter in occursum pergit armatis, contemnit pauorem, neque cedit gladio. &c. frenum quo equus hic, id est, Ecclesia agitur, lex & præcepta Dei sunt, quibus cohibetur, quò minùs quidquam præter Dei voluntatem agat: calcaria autem quibus incitatur, amor, & timor erga eum sunt, quibus adhibitis omnem hostium vim, & impetum contemnens adoritur, & in eos inuehitur. Sed admirabilis, & prorsus nõ naturalis sed diuina mutatio est, vt ouiũ grex equus fiat robustissimus, vt noster hic dicit propheta. Ita enim factum est, vt Apostolorum grex, ex hominibus nihili congregatus, equis, & leonibus fortior, & valentior fieret, qui magnam victorijs, & rebus suis gestis Deo laudem, & gloriam peperit. Qui dat (vt Esaias ait;) lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. & ita Samuel Sauli dixit, postquã eum Deus delegit, ac regem fecit; mutaberis in virum alterum. 1. Reg. 10.

Iob. 39. c.

Quo freno agatur Ecclesia quã Deus vocat equum quibusq; calcaribus excitetur.

Mirabilis fuit Apostolorũ mutatio.

Esai. 40. g.

1. Reg. 10.

4 *Ex ipso angulus, & ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij, ex ipso egredietur omnis exactor simul.* Id est, in Ecclesia erũt omnia munia, & officia, quæ necessaria sunt ad eius domi, militiæque integram administrationem: non milite, duce, aut alio magistratu mercenario vtetur, sed optimè erit instructa. id quod Paulus subtiliter persequitur dicẽs; Diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus; & diuisiones ministrationum sunt; idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt; idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. &c. Alij quidem per spiritum datur sermo Sapientiæ; alij autem sermo scientię. &c. & in eodem extremo capite; Quosdam quidẽ posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secũdò prophetas, tertiò doctores. &c. quæ omnia Ecclesiæ summam dignitatem, & amplitudinem, atque eximiam libertatem declarant; quòd nullo alio regno, nulla alia prouincia, nullo denique homine egebit. Quando enim Philistæi in potestate filios habuerunt Israel, ac graui seruitute constrinxerant, cauebant, ne vllum apud se fabrum ferrarium haberent. vt narratur primo Regum: sed si opus sibi esset aut exacuere, aut parare vomerem, aut securem, ad Philistæos irent. At Ecclesia omni libertate fruitur, omnem habet potestatem; & ob eam rem meritò Paulus Corinthios reprehendit, quòd causas agebant, & lites apud infideles intendebant, eosque iubet ex Ecclesia iudices facere, qui ius eis, si fuerit opus, dicant, litesque omnes componãt. *Ex ipso angulus.* Principes vocãtur anguli in scriptura; quòd Rempub. teneant, atque coniugãt, & vnam efficiant, vt anguli lapides diuersos parietes iungunt, atque copulant. & ita in vigesimo capite Iudicum dicitur; Omnes anguli populorum, & cunctæ tribus Israel in Ecclesiam populi Dei conuenerunt. id est, principes ac optimates. & Christus lapis angularis vocatur

In Ecclesia omnia munera erũt quæ necessaria sunt ad eius administrationem.

1. Cor. 12. a.

1. Reg. 13. d

1. Cor. 6. a.

Cur anguli principes in scriptura nominentur.

Iud. 20. a.

vocatur. Ita & anguli erunt Ecclesiæ, quotquot muneri eius vicarij successere. quare Ecclesia ex seipsa angulū habebit; quia nulli alieno, & gentili principi erit subiecta. *Ex ipso paxillus.* Est idem quod palus, siue clauus, qui adigi solet in pariete, vt ex eo domus instrumēta suspēdantur. Erit ergo intra Ecclesiam, quo salus omnium nitatur, ex quo toti pendeant, atq; omnia bona sperent, neque id extra quę rere vnquam oportebit, qui paxillus Christus imprimis est. & ita Chaldæus paraphrastes vertit; Ex eo rex erit, ex eo Mesias. Huius paxilli munus luculenter scribit Esaias dicens; Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet. &c. & figam illum paxillum in loco fideli, & erit in soliū gloriæ domui patris eius; & suspēdent super eum omnem gloriam domus patris eius, & vasorum diuersa genera; omne vas paruulum, à vasis craterarum, vsq; ad omne vas musicorum. Sed in hoc Esaiæ loco vehementer animaduertere debemus, quod paxillus hic, quo tot res connitantur, Eliacim dicitur, qui proximè, & secundum Regem maxima in regno, atque in domo regia potestate valebat. Ita paxillus est non solùm Christus, sed etiam Petrus, & eius successores, qui maximam secundum Christum in Ecclesia potestatem obtinent, apud quos cura Ecclesiæ administrandæ excubat, per quos salus vniuersa nostra, ac malorum remedia ad nos manant. Petro enim Christus dixit; Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. cui autem clauis datur, paxillus fit, vt citato Esaiæ loco intelligitur. *Ex ipso arcus praelij.* Id est, non aliunde subsidium quæret, quo se ab hostibus defendat, neque vllius regis, aut principis, cùm bello vrgeatur, auxilium implorabit, sed ipsa per se omnes hostes, & infestos homines propulsabit. Nunquam enim Apostoli ad vllius se Regis, & potentis hominis familiaritatem applicuerūt, quò eis in discrimine, ac salutis periculo positis subueniret: imò acriter eos reprehendebant, liberaq; in eos oratione inuehebantur, ac quasi saggittas ad eos feriendos immittebant. Multis iam in superioribus diximus, quantis, & qualibus armis Ecclesia abundauerit, quàm robustis militibus plena fuerit. *Ex ipso egredietur omnis exactor simul.* Id est, qui asiduè instet, & vrgeat ad incumbendum operi diuino, & nunquam spirituale ædificium intermittendum. Nunquam in Ecclesia deerunt, qui de rebus eius sint soliciti, qui alios hortentur, moneant, doceant, & legibus, ac diuinis pręceptis imbuant: qualis ille fuit, qui de sua solicitudine dixit; Quis infirmatur, & ego nō infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?

5 *Et erunt quasi fortes, conculcantes lutum viarum in praelio: & bellabunt, quia Dominus cum eis.* In Hebręo est conculcantes in luto viarum, id est, vt interpretatur Chaldæus, quem plerique Hebræorum sequuntur, hostes suos in bello, tanquam lutum conculcabunt; prosternēt hostes suos, & super eorum cadauera more fortisimorū militum gradientes reliquos insequētur. Amplisimis, & grauissimis verbis vim eximiam, & animum excellentisimum Apostolorum, & aliorū sanctorum heroum in certamine in aduer-

Paxillus quid sit.

Christus est Ecclesiæ paxillus.

Esa. 22. f.

Paxillus Ecclesiæ Petrus est & eius successores.

Non aliunde subsidiū quaeret Ecclesia quò se ab hostibus defendat.

Nunquam in Ecclesia deerūt qui de rebus eius sint soliciti.

2. Cor. 11. g

Quā eximij viri sancti in certamine fuerint.

aduersarios exponit: quorum impetum, & virtutem admirabilem nullæ minæ, nullæ formidines, nulli cruciatus, nulli perfidorum hominum conatus retardabunt, sed inuicto, & infracto animo hæc omnia conculcabunt, & pro nihilo ducent. Ita Christus suam narrans victoriam de hostibus suis dicit; Conculcaui eos in ira mea. Et tantum ducẽ sequentes Apostoli, & reliqui sancti viri, conculcarunt, atque despexerunt diuitias, voluptates, honores, & seculi gloriam, quam mortales magnopere captant, & modis omnibus aucupantur: quẽadmodum Paulus, qui dixit; Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. qua quidẽ re, summa ignominia, & dedecus sempiternum mundo, & vanis eius pompis inustum est. id quod eloquenter scribit Esaias; Quia incuruabit habitantes in excelso, ciuitatem sublimem humiliabit; humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcabit eam pes; pes pauperis, gressus egenorum. Quid enim auari, quid luxu perditi, quid arrogantes, & gloriæ cupidi homines hiscere in die audebunt iudicij, dum eas res, quas ipsi ardenter expetebãt, quarũ sunt falsa specie miserabiliter seducti, ab hominibus, quos ipsi contẽnebant, videant esse conceptas, & tãquã lutũ plateãrũ & abiectas, & generosè pessundatas?

Esai.63.a

Phili.3.b.

Magnam ignominiam mundo sancti viri inussẽrunt.

Esai.26.a.

Et bellabũt, quia Dominus cum eis. Ne autem intelligeremus, vt quispiam fortè Pelagianus putaret, tantam hostium stragem esse factam, tam præclaram, eximiamque victoriam vllis humanis viribus esse comparatam, declarat cuius patrocinio id effectum fuerit. *Quia Dominus* (inquit) *cum eis.* eis, inquam, suppetias veniens non communi, aut solito modo, sed singulari quodam, & insolito auxilio, tanta enim inimicorum vi superiorem esse tãtasq; res administrare, nõ humanũ sed omnino diuinũ est. quare Deo imprimis est acceptũ ferẽdũ, cuius auxilio qui fuerint muniti, nihil est quod vllam aduersariorũ, vel insaniam, aut violentiam formidet. De ijs enim, qui bus Deus præsidio est, dicit Dauid; Super aspide, & basiliscũ ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.

Dei singulari præsidio tantam victoriã viri sancti sunt consecuti.

Psal.90.

Et confundentur ascensores equorum. Id est, optimates & potentes homines huius seculi diuitijs, & ornamentis affluentes, cùm se ab hominibus nihili (vt illi putabant) videant reprehendi, improbari, & omnino despici, nec posse eorum sermones coercere, neque operis, & victoriæ suæ progressum cohibere. Ita cum ex Senatuscõsulto principes Pharisæorum Apostolis iuberent, ne Christum auderet prædicare; Petrus Apostolus respondit; Obedire oportet Deo magis quàm hominibus; & magnificam de Christi dignitate, & amplitudine statim orationem habuit; quam cum ipsi audissent, dissecabantur cordibus, vt Lucas ait. Confundentur etiã, quòd longè maiores, & plus tẽporis duraturas victorias homines egeni virtute sua, quã Reges, & Imperatores vniuersa potentia sua adepti sunt.

Quibus de causis optimates propter Euangelij promulgationẽ confundentur.

Acto.5.

6 *Et confortabo domum Iuda, & domũ Ioseph saluabo: & conuertam eos, quia miserebor eorum.* Id est, animum addam Ecclesiæ, & eam vndique contra hostes suos roborabo, eamque potestate inimicorum suorum liberabo. Alludit hac ratione dicẽdi ad libertatẽ ex AEgypto, & ex Babylonia. quod enim dicit conuertã eos, hebraismus est, הושבותים *hosbotim.* id est, reducã,

redire faciam eos ex locis, in quibus captiui detinebantur in patriã suam. sicut illud Psalmi; Conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in Austro. & illud; In conuertendo Dominus captiuitaté Sion. ita; *Conuertam eos.* id est, in libertatem asserã, & ex inimicorum suorum potestate eximã, sicut feceram olim. Quocirca leuiter perstringit captiuitate Dæmonis, & peccati, in quam hominum genus coniectum erat, qua per Christũ solutum est. *Domum Iuda* nominat, *& domum Ioseph*: erant enim duo regna distincta, ex Iacob nata: quorum primum duas tribus, Iuda, & Beniamin: alterùm verò reliquas decem amplectebatur. Decem tamen captiuæ ductæ in Mediam, nunquã postliminio in patriã redière: quas vnà cũ reliquis duabus modò liberandas captiuitate dicit: vt intelligamus salutem, quam nobis Christus nactus est, ad omnes homines pertinere, neminem ea excludi. Quare existimo non posse hæc in tempora Machabæorũ quadrare: quippe salus ab illis populo suo parata, reliquas decem tribus non attigit. Causam tantorũ beneficiorum exponit dicens; *Quia miserebor eorum.* Redéptionis enim nostræ nulla præter misericordiam Dei causa extitit; nemo enim hominum tantum de illo vnquam beneficium meruit, cùm omnia hominum merita hac redemptione nitantur: ea enim sublata, facti sumus, vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Ob eam rem postquam Esaias effictione personæ Christi narrauit, quo pacto nos Christus à morte, peccato, & inferno redemerit, subiungit ipse; Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorũ domini, quę largitus est eis secũdum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum. Meritò dicit Esaias laudem Domini esse tam præclarum, & eximiũ opus: nulla enim re ipse magis aut laudari, aut extolli potest, quàm quòd tanta vsus fuerit benignitate, & magnificentia, non in bene, sed in pessimè de se meritos.

Psal. 125. *Psal. 125.* *Salutẽ, quã Christus nactus est ad omnes homines pertinere.* *Redẽptionis nostra nulla prater misericordiã Dei causa extitit.* *Psal. 64.* *Esai. 63.* *Esaia locus exponitur.*

Et erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos. Id est, tanta eos beneuolentia, & charitate prosequar, quanta antequam eos à mea gratia proijcerem, prosecutus sum. quod est, perfectè in meã gratiam hominum genus reducam, omnium scelerũ suorum memoria deleta. Si hanc eiectionem diuini erga nos amoris ad id tempus referamus, quo nos paradiso voluptatis pepulit, absolutiùs, ac perfectiùs intelligetur, quàm si ad exilium Babylonicum, aut Medicũ referatur. Christus enim non solùm tantam, sed etiã longè maiorem Dei gratiam mũdo conciliauit, quàm Adam amiserat. id quod magnificè disputat Paulus. Sed non sicut delictum, ita & donum: Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donũ in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Tum Adam omnium hominum personam gerés positus est, vt omnibus gratiam Dei mereretur: idem munus Christus prę stare voluit, quòd ille nos omnes perdiderat. Cùm ergo longè maior Christi virtus, quàm Adam fuerit; longè maiorem gratiam nobis parere poterit, quàm Adam peperisset, si rectè, & pro dignitate munere suo fungeretur.

Maiorem Christus gratiam mundo conciliauit quàm Adã amiserat. *Rom. 5.*

Ego

c *Ego enim Dominus Deus eorũ, & exaudiam eos.* Duo his verbis ponit amicitiæ, & charitatis munera, quibus illos complectetur; & quòd erit illorum Deus; & quòd preces eorum audiet.

Quid à Deo sperare debeat is cui fuerit ipse solus pro Deo.

Primi officij munus est, vt res eorum procuret, soliciteq́; prouideat, vt omnia eis necessaria, & oportuna suppetant. Id enim à Deo sperare debet is, cui fuerit ipse solus pro Deo, hoc est, qui totus ex Deo pẽdet, neq; aliunde suspẽsas habet rationes viuẽdi. Hinc est quod ipse in Leuitico cùm beneficia multa se præstiturum polliceatur eis, qui legem, & præcepta sua tenuerint, vt illa, & infinita alia paucis comprehendat, concludit dicens; Non abijciet vos anima mea, ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosq́; eritis populus meus. Possumus denique illũ sermonem non stultũ quidẽ habere cum Deo, quem stultè (vt Esaias testatur) cũ idolis suis idololatræ habebãt; Libera me, quia Deus meus es. felix qui Deum verum ita precari potest! non enim spe sua frustrabitur, quamuis malis omnibus, & ęrũnis sit oppressus: qui verò aliunde pendent, qui spẽ suã in copijs, aut in hominum gloria, aut in amicis, & cognatis collocárũt, rectè illud Deute. cùm aduersa fortuna conflictẽtur, dicetur eis; Surgãt, & opitulẽtur vobis, & in necessitate vos protegãt. *Et exaudiã eos.* Alterũ est pietatis, & beneuolẽtiæ munus, quòd illorum preces audiet, id est, si quãdo re aliqua egeãt, quã Deus certis de causis, tametsi eũ attingat, non statim suppeditauerit; precibus tamẽ, & obsecrationibus cedet, & operam cómodabit. id quod ipse factũrũ se recipit in Psalmo; Clamabit ad me, & ego exaudiã eum. cũ ipso sum in tribulatione, eripiã eum, & glorificabo eum.

Leu. 26.

Esai. 44. c.

Quid eis futurũ sit, qui spes suas in alijs quam Deo collocauerint.

Deut. 32.

Psal. 90.

7 *Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi à vino.* Quid ex eo, quòd Deus illorum Deus futurus sit, & eorũ preces audiat, emolumẽti cõsequãtur, optimè his verbis exponit. Nam tãto muniti prȩsidio, fortissimi erũt, nunquã superabũtur, nullis siue intus, siue foris pugnantibus aduersarijs manus vnquã dabũt. Nam & per uersos animi motus, & iniquas libidines coercebunt, & temerarios profligatorũ hominũ conatus, patientia, ac tolerãtia inuicta cõprimet. de quorũ fortitudine enucleatè Paulus disserit; Extinxerũt impetũ ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerũt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterũt exterorũ. Comparat autem eos cũ viris è tribu Ephraim; quòd olim habebantur fortissimi. Nam super Ephraim Iacob manũ dexterã posuit, cùm ei, & fratri suo Manassæ bona est precatus, vt narratur in Genesi. Dauid etiã in Psalmo. 59. quo de sua potentia gloriatur, ait; Ephraim fortitudo capitis mei. Possunt etiã fortes hi cum viris fortibus Dauid compararĩ de quibus mentio fit in secũdo Reg. Aliud, quod reportabunt emolumẽtum, ingẽs lætitia est, qua vel in rebus aduersis perfundẽtur, quod declarat dicens; *Lætabitur cor eorum quasi à vino.* in Hebræo est, quasi vinũ. & est eclipsis Hebraica, qua bibendi verbum subaudiendum est; quemadmodũ à Chaldęo paraphraste subauditur, qui ita vertit: quemadmodum qui vinũ bibit. Similis eclipsis est in Prouerbijs; vbi vulgatus vertit; Luxuriosa res vinũ: in Hebræo est, subsannator est vinum, id est, qui vinum bibit, subsannator est. Apostoli igitur, & alij, quibus Deus aderit, lætabuntur, vt qui vinũ bibunt. Nam quemadmodũ, qui

Quanta eorũ futura sit fortitudo, qui spem suã in Deo posuẽre.

Heb. 11. f.

Cur cum viris è tribu Ephraim hi viri comparentur.

Gen. 48.

Psal. 59.

2. Reg. 23.

Eclipsis Hebraica exponitur.

Prou. 20. a.

vino exultant, non extra, sed intra se lætitiæ suæ causam habent: ita & ij, quibus Deus adest, intra se exultant, imbuti Euangelio Christi, quod tanta eis bona promittit. Diximus enim in superioribus, Euangelium cum vino comparari. Ex quo fit vt cum in corde, & animo suo lætitiæ suæ causas sitas, ac collocatas habeant; nullo modo inuiti lætitia sua priuari possint. ob eamque rem Christus apud Ioannem discipulis suis dicit, Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrũ nemo tollet à vobis. Hinc illud est quod Paulus Romanis scribit; Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo. Ex fide enim viua, quæ in Euangelio versatur, omnis pax, & conscientiæ gaudium oritur.

Quam firma lætitia boni fruantur.

Ioan. 16.c.

Rom. 15.c.

Et filij eorum videbunt, & letabũtur, & exultabit cor eorum in Domino. Id est, Gaudium, & Apostolorũ lætitia ad filios, id est, discipulos etiam suos manabit; qui quidē videntes res ab Apostolis gestas, vel eorũ verbis viua fide credētes, lætabuntur, & exultabũt in Domino, id est, Dei auxilio nixi, seq; de tanto patrono gloriantes præ gaudio exultabũt. Quare hoc dicitur, vt intelligamus, gaudium omnibus perfectè credentibus in Christũ ab Euangelij victoria esse partũ. quod Esaias vaticinatus est. Et nunc (ait) qui redēpti sunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum; gaudiũ, & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor, & gemitus. nullis verò verbis exprimi potest, quanta, quàmq; firma, veri christiani abundent lætitia.

Bonorũ gaudium ab Euangelij victoria partũ est.

Esa. 51.d.

8 *Et sibilabo eis, & congregabo illos.* Vocat Euágelium sibilum, quod antè imbrem, & pluuiam, & vinum vocarat, propter varios effectus, quos iam exposuimus. Sibilus verò ob eam rē nomdò vocatur, quòd fideles ipso conuocantur, & congregantur, vt statim dicitur. Quod non malè Hieronymus referri dicit ad pastorum sibilũ, quo solent oues suas congregare. Christus enim bonus pastor est, & fideles omnes, oues eius sunt. Cui expositioni ego vehementer assentirem, nisi animaduerterem, nunquam in sacra scriptura, sibilare, ad pastorum sibilum referri: sed semper si congregantis sit, eius esse, qui milites cōuocat, aciem instruit, & in hostem dirigit. quare idem est quod Hispanè, *Pifano.* quo acies ad sonitum etiam tympanorũ procedit. ita Esaias Deum exercitum Chaldæorum cogentem exprimens ait; Et leuabit signũ in nationibus procùl, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet. Et Esa. c. 7. Sibilabit Dominus muscę, quæ est in extremo fluminum AEgypti, & api, quæ est in terra Assur, &c. quo eos in prælia aduersus Iudęos cogendos significat. Quare in eadē belli, & fortissimorum militũ metaphora propheta manens, quam hactenus fuerat persecutus, dicit Christũ fideles, milites suos in prælia aduersus hostes Euangelij prædicatione coacturum. Est etiam proprium Christi munus, homines in diuersas sectas, & opiniones distractos, & (vt dicit Esaias) errantes, vnumquemq; in viam suam in vnam Euangelij doctrinam cōgregare, sicut Ioannes ait; Christus moriturus erat vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

Cur Euangelium sibilus appellatur.

Sibilus in scriptura sacra non pastoris est sed eius semper qui milites conuocat.

Esa. 5.f.

Christi munus fuit eos qui in varias sectas distracti erant congregare in vnum Euangelium.

Et multiplicabo eos sicut antè fuerant multiplicati. Similitudinem, non æqualitatem affert hæc cōparatio. hoc est, sicut antequam Israelitæ in ditionem redigerentur, magna eorum erat multitudo:

titudo: ita & per Christũ magna erit. longè tamẽ maior, sicut Ieremias præ dixit; Sicuti numerari non possunt stellæ cœli, neque maris arenæ; sic multiplicabo semen Dauid serui mei & Leuitas ministros meos: quod nunquam nisi per Christum præstitũ esse credo; qui è semine, genereq; Dauid oriundus infinitos doctrina sua per fidem, & charitatem filios suscepit. Et quemadmodũ Ieremias hoc eodem oraculo illa verba imitatus est, quæ Deus Abrahamo dixit; Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli: ita & vates noster dicit, multiplicabo eos sicut antè fuerant multiplicati; hoc est, sicut propter Abraham numero cum stellis cœli cõparati sunt: ita & propter Christum: longè tamẽ meliùs numero vincunt filij Christi stellas cœli, quàm filij Abrahæ: nisi etiam fideles (vt vult Paulus) in filijs Abrahæ numerentur.

Iere. 33. d.

Quanta erit credentium multitudo.

Gen. 26.

Longe plures christiani sunt quàm Israelita fuerunt.

Rom. 9. b.

9 *Et seminabo eos in populis.* Id est, in varias eos prouincias dispergam; cuius rei rationẽ paucis interiectis subijcit: *Non inuenietur in eis locus.* Hoc est, quoniam minimè præ multitudine vna Palestinæ prouincia, vt antè capi, atque cõprehendi poterunt. Pulchrè verò dicit. *Seminabo.* nam quemadmodum semẽ per agrum dispersum, magnum fert fructum: ita & veri christiani sparsi in terras atque sati vberrimos exemplo, & disciplina sua fructus dederunt, multos ad veram pietatem, & religionem informando, sicut Apostolis apud Marcũ Christus dixit; Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Et quemadmodũ filij Israel cùm admodum pauci in AEgyptũ ad habitandum venissent, diuino munere aucti, & exaggerati sunt: ita & pauci Apostoli, atque discipuli à Christo in mundo relicti.

Apostoli dispersi per orbem cum semine disperso comparantur.

Marc. 16.

Et de longè recordabuntur mei. Id est, quamuis longè à meo templo, quod est Hierosolymis morabuntur, mei nunquam memoriam deponent. Et enim me in spiritu adorabũt, vt Christus dixit apud Ioannem; tales enim Deus adoratores amat. Nam inter homines iniquos versantes, vel magnis ærumnis conflictantes, illud secum Dauidis reputabunt. Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ.

Ioan. 4.

Boni viri Deũ animo suo adorant eiusque semper memoriã seruant.

Psal. 136.

Et viuent cum filijs suis, & reuertẽtur. Id est, quàuis eos in terras sparsurus sim, non erunt in alienarum gentium potestate; sed viuent, & procreabunt filios, & eis integrum erit in patriam suam reuerti. Latenter verba ad eum refert reditũ, quo ex AEgypto, & postea è Babylonia in Palestinã patriam suã reuersi sunt. hoc est, quemadmodũ in AEgypto semel, & iterũ Babyloniæ vitam agentes, & multos ibi liberos procreantes magna lætitia, atq; iucunditate nemine prohibẽte in patriam vna cum filijs postlimini redière: eadem eis potestas per Christum fiet, quamuis vitam in populos sparsi traducãt. Itaq; ex eis rebus, quæ olim illis prosperè acciderunt, explicat nobis à Christo præstãdam felicitatẽ; vt illud vel hoc argumẽto certissimum esse sciamus, quod Paulus de maioribus suis dicit; Omnia in figura contingebant illis, scriptaq; sunt ad correptionem nostram, in quos fines seculorũ deuenerunt. Cũq; patria quæ nobis à Christo comparata est, sit æterna felicitas, non dubium est, quin de reditu in æter-

Ex ijs rebus, quæ prospere Israelitis acciderunt, explicat præstãdam nobis per Christũ felicitatem.

1. Cor. 10. b.

in æternam felicitatem hic loquatur, qua propter peccata eramus expulsi. Vitam igitur agent veri christiani inter gentes, ac postea vita defunctı vnà cum veris suis discipulis, ac filijs in patriam suam, id est, in æternam felicitatem, nullo peccato, nulla damnatione eos itinere prohibente, magna lætitia deuictis hostibus triumphantes redibunt: vt illud perfectè fiat, quod canit Dauid, Euntes ibant, & flebāt mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Mirùm verò est, quā tò maiorem dignitatem, & amplitudinem habeant ea, quæ materialiter, & vt ita dicam, corporaliter veteri populo vsu venerunt, si ad res spirituales, quæ ad recentem Ecclesiam spectant, transferantur. Sicut maior vis, & dignitas est in corpore, quàm vmbra; in re ipsa, quàm eius imagine: id quod ex eo quod sequitur in propheta etiam intelligi licet.

Quæ veteri populo vsu venerūt maiorem habēt dignitatem si ad Ecclesiam transferantur.

10 *Et reducam eos de terra Aegypti, & de Assyrijs congregabo eos: & ad terram Galaad, & Libani adducam eos.* Persistit in allusione ad reditum, libertatéq; ex AEgypto, & Babylonia, qua nulla maior veteri populo cōtigit, vt ex ea intelligamus admirabilem illam, quā per Christum sumus assecuti à peccato, & morte redemptionē. Terra Galaad est iuxta Iordanem, ex ea eius parte sita, quæ respicit Orientem: fuitq; principium terræ populo egredienti ex AEgypto, & eius maioribus promissæ quæ à Moyse distributa est tribui Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasse, vt narratur Numeror. ca. 32. Libanus autē terram eādem promissam terminat Septentrionem versùs. Quare terra Galaad, & Libani, in quā sunt reducti per Christum est illa, de qua Paulus Hebræis scribit; Accessistis ad Sion montē, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentia; & Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cœlis.

Quo pacto in terram Galaad, & Libanū sint reducti credentes.

Num. 32.

Heb. 12.

Et non inuenietur eis locus. Id est, terra Palestina eos capere non poterit: quo significat, non ad eam eos reducendos, sed ad aliam, cuius illa imago, & figura erat.

11 *Et transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus.* In eadem allusione persistit, vt magnifico illo, & glorioso egressu ex AEgypto huius, de quo loquimur, magnificentiā, & gloriam exprimat. hoc est; sicut ille fuit nimis mirabilis, ꝓ inter maris vndas via sicca, & optimè strata, atque munita populo patefacta fuit: ita nō minùs mirabilis propter alia maiora miracula, atque prodigia erit hic, quo Christo duce è peccatis sumus egressi. Nec oportet, vt nonnulli faciunt interpretes, accuratiùs exquirere, qui sunt hi fluctus, qui sunt à Christo percussi: vt nobis viā ad cœlū muniret. Nā cùm nullis verbis, nulla oratione exprimi possit, quàm excellēs, & admirabilis fuerit illa libertas, qua sumus peccatis, & inferno soluti; sapiēter propheta ad id explicandū, in illarū nos rerū memoriā reuocat, quibus nullę mirabiliores post hominū memoriā contigerant. Si tamē in horū fluctuū subtiliori explicatione delectabimur, nō erit absurdū hos fluctus, seculi huius ærumnas, & calamitates interpretari, quibus Dauid iactabatur, cùm dixit; Saluum me fac Deus, quoniā intrauerūt aquæ vsq; ad animā meā: infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Percutiet igitur

Per quos fluctus nobis Christus ad cœlum viam munuit.

Psal. 68.

Euangelium appellatur virga. Psal. 110.

igitur Euangelio, quod virga in scriptura appellatur, vt à regio vate; Virgam virtutis suæ emittet Dominus Sion. &c. vt igitur Moyses virga mare, quò illud diuideret, percusit: Sic & Christus exemplo, Euangelio, & doctrina sua ita faciles, atq; leues omnes huius seculi miserias, labores, & calamitates reddidit, vt neminem impediri posint, quò minùs cœlestē patriam his cinctam miserijs si velit, adipiscatur.

Christus exēplo & doctrina sua faciles hominis seculi calamitates reddidit.

Et confundentur omnia profunda fluminis. Tangit illud miraculum quando se compresit Iordanis flumen, vt via sicca, & apta patefieret populo eũti in terram promissam; ea de causa quam diximus: non quod hæc euentura fuerint Christi temporibus, vt nonnulli Hebræi Messia veniente facienda pueriliter existimant, ad eos in libertatem asserendos.

Et humiliabitur superbia Assur, & sceptrum AEgypti recedet. Perpetua est allusio ad libertatem ex AEgypto, & Babylonia. id est, vt superioribus temporibus volentibus nolentibus aduersarijs eorum potestate Israelitæ liberati sunt, neq; vlla eos vis constringere potuit tempore appetente, quo illos Deus libertate donare decreuerat: Ita nulla vis mortis, inferni, atque peccati in potestate veros Israelitas continebit, quando Christo duce in libertatem vendicabuntur. Ex hoc loco constat Assur, sicut Babylonia, & AEgyptus, symbolum, & figuram fuisse peccati, & inferni, quæ homines in sua potestate tenebant, vt illi Israelitas, quorum vim, atque potentiam à Christo debilitatam, fractamque fuisse, vt antè superbia, & imperium Assur, & AEgypti deiectũ fuit, atque conuulsum. Quàm verò perfectè nos Christus peccatis, & inferni vinculis liberauerit, & eorum vires compresserit, docet Paulus; Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nõbis donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? & alio loco quasi triumphans de morte, & ei insultans ait; Absorpta est mors in victoria. vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus.

Alludit propheta ad libertatem ex AEgypto & Babylonia, quò libertatē nostram ex morte & peccato declaret.

Constat ex propheta Assur & AEgyptum symbolum fuisse peccati & inferni.

Perfectè nos Christus peccatis & inferni vinculis liberauit. Rom. 8. f.

1. Cor. 15. g.

12 *Et confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt: dicit Dominus:* Mutatio personæ, qua sæpe vtuntur Hebræi id est, confortabo eos in Domino; pro in me: illius similis, quæ est in Exodi vigesimoquarto capite; Moysi quoque dixit Deus; Ascende ad Dominum tu, & Aaron, id est, ad me. Roborabit igitur Deus in se, & in spiritu suo Apostolos, quod faciet, vt omnia hominum subsidia respuant, & ex Deo toti pendeant, ab eoq; solùm in grauissimis, sæuissimisque prælijs salutem sperent: ac denique secum illud Dauidis canant, Diligam te Domine fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, &c. Quosdam munire, ac roborare Deus videtur, sed non in se; cùm non seipsum, id est, voluntatem, & amicitiam suam, sed opes, gloriam, & alias seculi diuitias tribuit; quæ licet firma nonnullis videantur, sunt tamen infirmissima, ac tenuissima præsidia. qua ratione solùm sanctum Iob Dæmon munitũ esse ducebat, cùm Deo se de amicitia eius glorianti dixit; Nõne tu vallasti eum, ac domũ eius, vniuersamque substantiam eius per circuitum? operibus manuum eius benedixisti,

Exod. 24. a.

Quosdam roborat Deus in seipso, quosdam verò nõ in seipso. Psal. 16 a.

Iob. 1.

dixisti, & possessio eius creuit in terra. quem firmiore pręsidio munitum esse ostensum est, cùm copijs omnibus, bonaque valetudine spoliatus, animo tamen nunquam cecidit, neque de statu optimi viri deijci potuit. Qui ergo parentibus, cognatis, & amicis, aut fortunis orbatus, pietatem deserit, non Deo, sed istis rebus mortalibus, atque caducis nixus esse videtur.

In nomine Dei ambulare quid sit. *Et in nomine eius ambulabunt.* Id est, Dei partes, ac personam sustinebunt, nomine eius verba faciēt, & cum hominibus loquentur, Deique mundo mandata dabunt. Sicut enim Christus in nomine Patris sui apud Ioannem venisse dicit: ita & Apostoli in nomine Christi ibunt. Ita in nomine Dei, tres Deitatis exprimendo personas, homines Apostoli baptizabant. In nomine denique eius Dæmonia eijciebant, serpentes tollebant. &c. vt Marcus narrat, & infinita edebant miracula.

Ioan. 5. g. *Marc. 16. c.*

CAPVT. XI.

A 1 *APeri Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.*

2 *Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.*

3 *Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Iordanis.*

4 *Hæc dicit Dominus Deus meus, Pasce pecora occisionis.*

5 *Quæ qui possederant, occidebant & non dolebant: & vendebant ea, dicentes, Benedictus Dominus: diuites facti sumus: & pastores eorum non parcebant eis.*

6 *Et ego nō parcam vltrà super habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, vnumquemq; in manu proximi sui, & in manu regis sui: & concident terram, & non eruã de manu eorum.*

7 *Et pascam pecus occisionis pro-* B
pter hoc ô pauperes gregis: & assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui Decôrem, & alteram vocaui Funiculum: & paui gregem.

8 *Et succidi tres pastores in mense vno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me.*

9 *Et dixi, Non pascam vos: quod moritur, moriatur: & quod succiditur, succidatur, & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui.*

10 *Et tuli virgam meam quæ vo-* C
cabatur Decus, & abscidi eam, vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis.

11 *Et in irritum deductum est in die illa: & cognouerunt sic pauperes gregis qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est.*

12 *Et dixi ad eos, Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meã & si non quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.*

13 Et

13 *Et dixit Dominus ad me, Proijce illud ad statuarium decôrum pretium quo appretiatus sum ab eis, Et tuli triginta argenteos: & proieci illos in domum Domini, ad statuarium.*

14 *Et præscidi virgam meã secundam, quæ appellabatur Funiculus, vt dissoluerem germanitatem inter Iudam & Israel.*

D 15 *Et dixit Dominus ad me, Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.*

16 *Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet.*

17 *O pastor & idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius: brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.*

1 *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.* Sui similis semper noster propheta est, eandem in hoc toto vaticinio seruat methodũ. Vt enim in priori parte exposuit primò beneficia, quibus Deus cumulaturus erat Ierusalem, & terrenam, & spiritualem: deinde de supplicijs disputauit, quibus erant impij ab eo constringendi. ita hac secunda huius vaticinij parte, quã à capite septimo incepisse diximus, hactenus disseruit de ornamentis, & insignibus gloriæ, quibus à Deo ornanda est per Christum Ierusalem spiritualis: hoc autem capite pœnas acerbissimas narrat, quas à Ierusalem illa materiali, & nimis cõtumaci repetiturus est. Quò propheta apertè significat ea, quæ hactenus dicta sunt, non de materiali, sed de spirituali Ierusalem esse intelligenda. Quod verò ait; *Aperi libane portas tuas.* Libanus propriè erat altissimus mons, altissimisque cedris repletus, qui ab Aquilone Palestinam, siue terram promissam terminat, ad cuius radices ex parte Aquilonis sita est Damascus. quia tamen ingens cedrorum vis è Libano ad templum primum ædificandum allata est, vt narratur. 3. Reg. ex eademque materia templum secũdum factum fuisse verisimile est, templum Libanum appellat. ait ergo; ô templum, quod tot cedris, quot Libanus ipse abundas, id est, quod tantis sumptibus, & opera tam mirifico fabricatum es, aperi portas tuas: frustra enim Romano exercitu veniente eas clausas habebis, non enim eis resistere poteris. prædicit igitur, omnibus quos ego viderim interpretibus Latinis, & Hebręis assentientibus, vastitatẽ templi secundi à Romanis illatam anno quadragesimo secundo post mortẽ Christi. Iosephus etiam lib. 7. de bello Iudaico. c. 17. narrat quadragesimo anno ante huiusmodi euersionem ianuas templi sua sponte visas fuisse patefactas. qua re admonitus quidam Ioannes Zachartes dixisse; Ô sacra domus tibi ne times? ex hac enim re intelligo tuam tibi iam vastitatem instare. De te enim illud à Zacharia dictum est; Aperi Libane portas tuas. quam historiam citat quidam Hebræus magnæ auctoritatis inter illos. Ex quo intelligitur, nihil esse tam munitum, tam vndique clau-

Eandem in toto vaticinio seruat Zacharias methodum.

Propheta aperte significat quæ dixit hactenus non de materiali sed de spirituali Ierusalem intelligẽda esse.

Templi vastitatem prædicit propheta.

Iosephus de bello Iudaico

Nihil est tam munitũ quod ira Deo non cedat.

clausum quod iræ Dei sæuientis vel sua sponte non cedat,& aditum præbeat. Frustra ergo superbi, & arrogantes homines turrim Babel ædificant,vt Nemrod,& alij,quò se ab iniurijs cœli tueantur:frustra scelerati, & iniqui tyranni imperium suum præsidijs,arte,& natura factis,firmum,& inexpugnabile efficere moliuntur. Nam cùm eorum scelera Deus vindicare decreuerit, muri vel nullo quatiente ariete corruét;vt muri Iericho corruerunt. & hac de causa Ieremias monet regẽ Iudæ,& reges finitimos, vt se subijciant,manusque dent Nabuchodonosor: frustra enim bello ab eo tentati se defendent. nam tandem,Deo ita volente,in eius ditioné cadent. *Et comedat ignis cedros tuas.*

Iosue.7.
Iere.c.27.

2 *Vlula abies quia cecidit cedrus.* In eadem persistens dicendi figura quoniam Libanum templum appellauit, sacerdotes,principes,& reliquos eius ministros,cedros,& abietes nominat, qui bello consumentur, sicut ignis immissus absumeret cedros, & reliquas arbores Libani. id est, sacerdotes neque te,neque seipsos defendere poterunt.quod autem præclaros,& eximios viros his nominibus intelligat,declarat statim ipse propheta adiungens.

Quoniam magnifici vastati sunt. Superbos,& huius seculi fortunis abundantes, Dauid cedrorum etiam similes esse dicit; Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani.quod auté dicit. *Vlula abies,&c.* Propter illud dicit, quod in Prouerbij consuetudinem venit;Res tua túc agitur paries cùm proximus ardet.id est,cum abies finitimam cedrum succidi viderit, eundem se sciat càsum manere.ita & superbus meritò dolere debet, cùm alium similem videat interire. & quidem cæci, stupidi, ac mente capti,iniqui omnes esse videntur,si vehementer animi non angantur,cùm alios sui similes occidere cernant.cur in interitus sui memoriã nõ redeunt? aut qua spe leuati,simile malum se vitaturos existimant? At sanctos viros nihil tangit calamitas impiorum: longè enim diuersa est eorũ ratio,à maioribus longè præsidijs munitur.& ob eam rem Christus cum Apostolis suis de vastitate templi, & vrbis differens dixit; His autem fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. eodé pertinet quod sequitur in propheta.

Cedri appellantur huius seculi fortunis abundantes.
Psal.91.c.

Stultos esse impios si sui similes occidere cernentes se non animo angantur: pios vero nihil tãgit impiorum calamitas.

Luc.21.f.

Vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus. Basan erat regio Libano finitima, quam vocat etiam saltum munitum:& intelligit Ierusalem, quæ domorum frequentia saltum imitabatur. Erat autem & natura,quoniam in edito loco sita erat; & arte munitissima,quoniam validissimo muro cingebatur. eisdem autem tropis vsus est Esaias ad euersionem, & vastitatem Ierusalem vaticinandã. Dies Domini exercituum super omnem superbum,& excelsum,& super omnem arrogãtem,& humiliabitur; & super omnes cedros Libani sublimes,& erectas, & super omnes quercus Basan.

Ierusalem vocat saltũ munitum.
Esa.2.c.

3 *Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum*: Pastores vocat Principes,& Reipub. administratores.magnificentiam eorum vocat ciuium, & subiectorum multitudiné, vrbemque ornatissimam: sicut pastorum magnificentia in multis pecoribus, & vberrimis pascuis posita est. Rectissimè verò propheta dicit pastores

Alia de causa dolét mercenarij pastores in malis omniũ, alia verò boni.

ſtores plorare de ipſorum magnificentia: nō enim populi, ſed malis ſuis commouebantur: amabāt enim oues vt ex eis vtilitatem perciperent, non quòd illis bonum optarent. aliter tamen doluit Dauid cùm populum peſte vaſtari videret, qui gladium Dei in ſe conuerti cupiebat.

2. Reg. 22.

Vox rugitus leonum, quoniam vaſtata eſt ſuperbia Iordanis. Leones vocat principes, quòd populum diripiebant, & pauperum bonis ditabantur, facileq́; in cuiuſque fortunas irruebant. & ob eam rem eos Eſaias manus ſanguine plenas habere dicit, tanquam immanes, & ſanguinarias beſtias, quæ ex dilaniatione manus ſanguine infectas habent. *Superbiam Iordanis.* Vocat Ieruſalem, quòd ſit vrbs frequentiſsima eius regionis, quam alluit Iordanis. Principes ergo vlulatum edent, quòd multitudo ciuiũ vaſtatur, quorum ſanguinem, id eſt, copias, atque fortunas exhauriebant, vt ſitim, qua ipſi erant diuitiarum, mitigarent. quibus verbis perſtringit inſatiabilem ſacerdotum, & magiſtratuum aliorum auaritiam: quos etiam Eſaias ſocios furum appellat: & Chriſtus è funiculus facto flagello nundinas, ac mercatum diſpulit, quem auaritia ſacerdotum pro foribus templi inſtituerat.

Cur principes leones vocet.

Eſai. 1.

4 *Hæc dicit Dominus Deus meus, Paſce pecora occiſionis.* Hæc verba vati noſtro à Deo dici puto, vt ei paſcere, id eſt, erudire, docere Iudæos, & ad pietatem informare Deus pręcipiat, quã uis occidendi, & à Deo repellẽdi ſint: id enim paſcere in ſcriptura ſignificat, ſecundum illud Ieremiæ; Dabo vobis paſtores iuxta cor meũ, & paſcent vos ſcientia, & doctrina. Ex quo intelligere, & admirari licet diuinum modum agendi, qui non ceſſat ijs hominibus adhibere remedia, quos ſcit eſſe perituros. Ita Adã omnibus contra Dæmonẽ muniuit præſidijs, quãuis ſuperatum iri ſciret. Ita Salomonem præſtãtiſsima ſciẽtia, & ſapiẽtia imbuit ad Rempub. adminiſtrandã, quãuis ſciret omnẽ poſtea Remp. ſtultitia eius perditũ iri. Quò fit vt nulla vnquã homini criminis ſui excuſatio relinquatur, nullã culpæ ſuæ partẽ in Deum transferre poſsit, vt illud ſemper Dauidis conſtet; Iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. id eſt, cum ab impijs, tanquam nimis ſeuerus, & acerbus accuſaris. *Pecora,* vocat *occiſionis,* Quòd ea Domini non vt fœtus, lanam, & alias vtilitates ederent, ſed vt occiderent, ſeruabant; quod ipſe declarat adiungens.

Paſcere quid in ſcriptura ſignificet.

Iere. 3.

Non ceſſat Deus adhibere remedia hominibus quos ſcit eſſe perituros.

Nunquã homo vllam criminis ſui partem in Deũ trãsferre poterit.

Pſal. 5.

5 *Quæ qui poſsidebant, occidebant & nõ dolebant:* Magna quidem poſsidentiũ immanitas, atque crudelitas, qui nullis miſerorum lachrymis, nullis doloribus, & anguſtijs commoueantur: aliter verò Deus, qui tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo (inquit) hominem quem creaui à facie terræ. vt narratur in Geneſi. & Samuel vehementer lugebat, quòd Saul, licet meritò ſuo, regno tamen ſpoliatus fuiſſet. Dauid item quòd Abſalõ turbo, & tempeſtas regni ſui, fuerit occiſus: ac denique Chriſtus ipſe ſeruator appropinquans Ieruſalem, eiq́ue excidionem hanc, de qua noſter propheta loquitur prædicens fleuit. vt narrat Lucas. Eſt enim hominis virtute præditi illud, quod Dauid dicit; Corripiet me Dñs in miſericordia, & increpabit me. & Iob de ſe teſtatur; Flebã ſuper eũ, qui afflictus erat, & cõpatiebatur anima mea pauperi. Quod dicit noſter interpres, *Non dolebant.* In Hebræo eſt non וְלֹא יֶאְשָׁמוּ *ieſamu,* verbum

Gen. 6. b.

Dolent boni nonnunquam quod iniqui vel meritas pœnas pendant.

Luc. 19. f.

Iob. 30. d.

verbum verò אָשַׁם *asam*, Hebræis delinquere, & desolare significat: sed propriè delinquere est, & delicti pœnas pēdere. vt Oseæ quarto.vers.15.Si fornicaris tu Israel non delinquat saltem Iuda: in Hebræo est non יֶאְשַׁם *iesam*, &.c.14.vers.1.Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum.in Hebræo est תֶּאְשַׁם *iesem*, quod Hebræi exponunt, desolabitur Samaria. sed aptè interpretabitur pœnas peccati pendet, & aptissimè cohæret cum eo, quod statim sequitur. Hinc est quod nomen אָשָׁם *asam*, & delictum, & oblationem pro delicto significet. Ad secundam ergo verbi significationem allusit noster interpres, cum non dolebant hoc loco vertit. Si verò secundam verbi significationem sequamur, vt Hebræi hoc loco sequuntur, aptè etiam conuenit. id est, non peccabant, id est, nō existimabant se peccare, nullo conscientiæ morsu compungebantur: secundum illud quod Apostolis suis Christus dixit; Venit tempus, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Illud tamen mihi non probatur, quod hoc loco dicit Vatablus; verè Romanos non peccasse Iudæos interficiendo, & illorum agrū, & vrbes vastando: quòd fuerint instrumenta diuinæ vindictæ. Sed omnes improbi cùm alijs iniuriā faciunt, sunt instrumenta diuinæ vindictæ. Væ tamen Assur virga furoris mei. vt dicit Deus per Esaiam. cap.10.

Vatabli error.

Esai.10.

Et vendebant ea, dicentes, Benedictus Dominus: diuites facti sumus. Pulchrè hominum ingenium describit, qui Deum laudant cùm optatis respondet, licet iniquissima sint; sibiq; tum eum esse propitium ducunt. Ita illud Dauidis Psal.9. Quoniam laudatur impius in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur: in Hebræo est, si verbum de verbo transferamus; quoniam laudat impius in desiderijs animæ suę & auarus benedicit. Sequitur exacerbauit Dominum peccator. id est, hac laude multò magis Dei iracūdiam, quàm benignitatem prouocat. & ob eam rem Deuterono.23.c. præcipitur; Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui, quid quid illud est, quod vouerint; quia abominatio est apud Dominū. Non enim vult Deus vt in eis, quæ malè parta sunt, ei agantur gratiæ: nam ea non amicis, sed inimicis ab eo tribuuntur, & eis quos acerbè pro huiusmodi rebus punire decreuit. quare non beneficij, sed supplicij loco haberi vult.

Hominum ingenium.

Deut.23.c.

Nō vult Deus vt in eis quæ malè parta sunt ei agantur gratiæ.

Et pastores eorum non parcebant eis. Amplificat populi calamitatem, ouiū metaphora persistens; cùm nō solùm lupi, & qui prædas agebant; sed etiam pastores, ad quos earum pertinebat custodia, & procuratio, eis non parcerent. Hos pastores quidā Romanos interpretantur, postquam Iudæorū potiti sunt: sed nō incongruè referre mihi posse videtur ad gubernatores populi, & principes, & optimates, qui Rempub. administrabant, quos perdere, ac dissipare gregem Deus per Ezechielem reprehendit; vt cohęreat cum eo, quod mox adiungitur.

Ezech.34.

Et succidi tres pastores in mense vno. quod de pastoribus Iudæis dicitur. Est autem extrema Reipub. infelicitas, cùm ab eis accipit vulnera, à quibus sanari debebat. Quidā verò hunc locum ita ex Hebræo reddunt: pastores eorum parcet illis: vt pastores vocet Deum propter personarum trinitatem. Nam לֹא *lo*, nonnunquā ei, non nun-

Extrema quæ sit Reipub. infelicitas.

Phrasis Hebræa.

nunquam non Hebræis significat: & verbum parcent in singulari effertur יחמול *iehamol*, sed melior est versio interpretis nostri, & est phrasis Hebræa, non parcebat pastores eis, id est, vnusquisque pastorum non parcebat eis, singuli pro sua parte gregem dilacerabant, dum vnusquisque ad vtilitatem suam gregẽ referebat, magisq; vt ex grege ditaretur, quàm vt eum pasceret nitebatur. de quo per Ezechielem Deus queritur dicens, væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, Nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autẽ meum non pascebatis.

Phrasis Hebræa.

6 *Et ego non parcam vltrà super habitatores terræ, dicit Dominus.* Id est, non in eorum sceleribus, & flagitijs amplius conniuebo, sed pœnas repetam clemens, & patiens Deus est, vt ipse Moysi dixit; sed si videat clementia sua nos deteriores fieri, stomachum totum erumpens grauiter scelera nostra vlciscitur. Numerat deinde pœnas quibus eos affecturus est.

Exod.34.a.

Ecce ego tradam homines, vnumquemque in manu proximi sui, & in manu Regis sui. Perstringit seditiones, atque factiones, quas tres in Ierusalem Iosephus fuisse narrat. De duabus in Euangelio mẽtio fit; Sadducæorum, & Pharisæorum: tertia fuit Essæorum, quæ causa intestinorum, & domesticorum malorum fuerunt, quibus tota vrbs consumebatur, velantequam à Vespasiano, & Tito obsideretur. quod Esaias clarius vaticinatus est dicens, Et corruet populus, vir ad virum, & vnusquisque ad proximum suum tumultuabitur: puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.

Factiones tres in Ierusalem, antequam à Tito obsideretur.

Esa.3.

Et concident terram, & non erit, qui eruat. Nihil enim est quod ita conterat, & labefactet Rempub. quàm intestinum, & inclusum bellum, quod in Romana Repub. videre est, quæ à multis oppugnata nationibus, victrix non modò euasit, sed etiam externis bellis sic amplificata fuit, vt vniuersum ferè occuparet orbem terrarum: domesticis tamen, & intestinis prælijs miserabiles clades accepit: vt Syllæ, Iulij Cæsaris, Antonij, & Augusti dominatus docent. & tandem illa Respub. quæ insuperabilis externis gentibus videbatur, suis viribus concussa, & agitata corruit. Ita mala inclusa, atque domestica vltimum Ierusalem exitium attulerunt. quod dicit; *Non erit qui eruat.* id etiam mali in bello ciuili est, quod eo sæuiente nihil reliqui est, quo ciues confugiant. Vbi enim subsidium quærent? in quem se locum recipient, si vrbs ipsa, quæ eis pro portu est, graui tempestate iactatur? ac denique nemo iram Dei, si semel eius corde ardeat, effugere, aut vllo pacto declinare potest: illius enim potentia formidabilis, & valde timenda est, contra quam nullum subsidium, nullum confugium reliquum est. Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur, ait Esaias.

Nihil est quod ita Rempub. labefactet quã intestinum bellũ.

Roma suis viribus cõcussa corruit.

Nemo Dei iram si semel eius corde ardeat effugere potest.

Esai.31.b.

7 *Et pascam pecus occisionis.* Ab hoc loco, vsque ad finem capitis confuse, & implicatè narratur hoc caput ab expositoribus; ita vt & contextus, & prophetæ sententia vix comprehendi possit. At Hebræi non

Locus Zachariæ valde implicatus.

P expli-

tute præditi ex Aristotelis sententia æquitatis regula. Sed quod vulgatus vertit; propter quod ô pauperes gregis; vt re vera est in Hebræo: Septuaginta transferũt εἰς τὴν χαναανῖτιν id est, in chanaanitide. quod est pascam pecus occisionis in chanaanitide; cui versioni satis magnam occasioné verba præbét Hebræa quæ sunt לָכֵן עֲנִיֵּי הַצֹּאן *lachẽ hanie hazõ*. quare si primę duæ dictiones iungantur לָכֵן עֲנִיֵּי *lachem hani*, nomen efficiunt quod Chananęum significat: nomen verò הַצֹּאן *hazon*, quod sequitur, proximè præcesserat cùm pecus occisionis dixisset. quare per pleonasmum adiectum fuisse existimari potuit. sententia verò eadem est, id est, pascam eos in terra Chanaam, quam ipsi habitabant: est enim pars Palestinę. ac potest pars pro toto vsurpari. Exponit deinde quibus rationibus hoc pecus occisionis pauerit, id est, eorum rempublicam administrauerit.

Septuaginta versorum versio cum vulgata conciliatur.

Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui funiculum: & paui gregem. Persistit in metaphora pastoris, alluditque cum virgas nominat ad pedum, seu virgam qua pastores ad oues agendas armari solent. Sunt tamen duæ rationes Reipub. administrandæ: vnam virgam (ait) vocaui decorem, & aliam vocaui funiculum; verba Hebręa sunt נֹעַם *noham*, quod decorem, & iucunditatem significat, & חֹבְלִים *hóblim*, quod corruptores, aut funiculos sonat. dicit ergo; duobus modis pauui, & populum istum tractaui; leniter, & aspere: leniter autem, cùm eos captiuitate AEgyptiaca, & Babylonica liberauit, leges eis tulit, agrum vberrimum præstitit; prophetas ad eos erudiendos numine suo imbuit; Reges optimos, & claros viros eis dedit, & alia infinita beneficia præstitit; & quod omnium caput est, ipse homo factus ad eos venit, ac inter eos familiarissimè versatus, exemplo eos, & doctrina erudiuit; & ad veram religionem, & pietatem informauit. Talis ergo virga fuit, quam vocauit decorem, siue iucunditatem: de qua Dauid in psalmo ait; Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Acerbè verò, siue asperè eos accepit; cùm tot homines in deserto per annos quadraginta prostrauit; cùm tot clades ab hostibus acceperunt, cùm toties in eorum illos potestatem redegit, cùm toties eos peste, ac fame vexauit, cùm ex agro suo in exilium pepulit, ac denique vrbem frequentissimam, ac templum ornatissimum funditus euertit, ac solo æquauit. talis erat virga, quam vocauit funiculus siue corrumpentes; de qua Psalmo secundo Dauid canit; Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. & per Esaiam etiam dicit: Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est in manu indignatio mea: ita se facturum per Dauidem promiserat dicens; Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Ex quo intelligitur, ad informationem, & eruditionem nostram non minùs spectare quòd pœnis, quàm quod beneficijs afficiamur; & in beneficij loco & pœnas; & mala illata nonnunquam esse numeranda. Quare sicut homines dubitare solent de beneuolentia Dei erga se, cùm malis omnibus opprimuntur; sicut ille, qui dixit, cùm multis ærumnis iactaretur,

Duæ rationes administrandæ Respub. leniter & asperè.

Psal. 22.

Psal. 2.

Psal. 88.

Psal. 76.

Non minus spectat ad eruditionem nostrã quod pœnis quam quod beneficijs afficiamur.

Nunquid in æternũ proijciet Deus, aut non apponet vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? cur etiam ij, quibus omnia pro voluntate succedunt, faustéque, & feliciter eueniunt, in eodem dubio non sunt? Ego verò (fortè fallor) multò magis de illius salute timeo, cui omnia secunda cadũt, quàm de illo, cui omnia aduersissima accidunt. Ita de beato Ambrosio narratur, in illius hospitio nec per noctem manere voluisse, qui nihil aduersi in vita tulisse narrabat. Itaque sicut medici est non solùm lenire, & alligare vulnera, sed etiam vrere, & resecare: idem etiam existimandum est muneris esse Dei cùm nobis mederi, ac vitia nostra curare vult: ijsque duobus officijs tota eius rerum nostrarũ administrandarum ratio comprehensa est. quare qui nullo horum remediorum sanatur, de bona eius valetudine desperandum est. id quod ipse statim declarat, cùm Iudæos hîc eiecisse dicit, quòd cùm ijs duabus virgis, decore, & funiculo agerentur, nec meliores eos facere, nec criminibus, & flagitijs leuare potuit. Narrat ergo imprimis quid pedo illo, siue virga, quam funiculum vocauit, effecerit: quod coniecturam affert, præcipuas eius esse partes ad hominum rempub. administrandam, atque eos vitijs leuandos, & in officio continẽdos. Vel potiùs ea de causa de hoc pedo nunc differit, quòd ponat alio se antea fuisse vsum. quæ sententia mihi magis probatur, quòd meliùs cum ijs, quæ sequuntur, cohæreat: nam statim tangit euersionem vrbis, & Babylonicum exitium, ad quod supplicium antequam accederet, infinitis eos beneficijs cumulauerat: præsertim quod in hoc supplicio narrando dicit;

Magis de illius salute dubitare possumus cui omnia secunda cadũt, quàm de illo cui omnia aduersa accidant.

Duabus rationibus omnem modum verũ nostrarum administrandarum cõprehendit.

Cur de pedo quem vocat funiculum prius mentionem faciat.

Et tuli virgam meam, quam vocaui Decus, & abscondi eam. Id est, benignus, & munificus in eos esse desiui. vel fortè de pedo, quem vocauit funiculum imprimis mentionem facit, quòd longè maiorem prudentiam, & rerum scientiam eius vsus requirat.

8 *Et succidi* (ait) *tres pastores in mense vno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me.* Varijs modis id explicatur, & in diuersa tempora confertur. Hieronymus hos tres pastores Moysem, Aaron, & Mariam existimat, quos Deus interfecit antequam Palestinam ingrederentur; quòd eum apud populum non glorificarunt, vt de Moyse, & Aaron narratur in Numeris. & ob eam rem cadere dicit in illos illud, quod propheta dicit; *Anima eorum variauit in me.* Sed non ita bene pastoris nomen in Mariam conuenire puto: Non enim populum administrasse, aut munere vllo præter cæteros functa fuisse legitur. illud etiam quod sequitur non ita quadrat.

Hieronymus

Et dixi, Non pascam vos, &c. Nam quamuis Hieronymus id aptare nitatur, accidisse dicens, quando iratus Deus propter adorationem vituli voluit funditùs eos omnes delere. id tamen accidit antequam illos tres pastores succideret. quare non rectè texi propheta videtur: præsertim cùm nõ dictum solum, sed etiam expromptum fuisse propheta significet. atq; adeò quod subiungat.

Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus, &c. Quo apertè significatur (vt mox

(vt mox declarabimus) potestatem à Deo esse factam populis alienis vt eos diriperent, atque vastarent. Vatablus dicit hos tres pastores, tres fuisse magistratus, Sacerdotes, Reges, atque Prophetas; qui post Christi mortem sunt à Deo deleti. sed hanc explicationem affert etiam Hieronymus, cui non multùm probatur. Nam post pastores occisos, mercedem muneris, & officij sui petiuit bonus ille pastor à Iudæis. Quod post mortem Christi non facilè factum esse docebunt: præsertim, quòd ante mortem contigit omnium consensu, vt pro mercede triginta argenteis æstimaretur. quare nisi ad id confugiant, vt dicant non esse historiæ ordinem seruatum, id explicare non possunt. quod si id nos nullo inuerso historiæ ordine aptisimè omnia quadrare ostenderimus, faciliorem, & expeditiorem expositionem componemus. Propheta igitur commemorare vult exempla acerbiora, quæ Deus in Iudæos edidit, suppliciaque grauiora, quibus eos coërcuit pedo illo, siue virgæ suæ funiculo vtens, vt ex ea re clariùs eorum contumacia, & proteruia constet. Grauisimum autem illud supplicium fuit, cum Reges alios de gradu eiecit, & in exilium expulit; alios atrocisima morte absumpsit, ac tandem Ierusalem diripiendam, vastandam, ac diruendam hostibus eius tradidit, quod partim ipse propheta viderat. ait ergo. *Succidi tres pastores*. Id est, tres Reges, Ioachaz, Ioachim, & Sedechiam, qui fuerunt in hostium ditionem redacti, ac regno spoliati, atque in exiliū ducti; & Sedechias oculis effosis miserabiliter occubuit, vt narratur in quarto Regum. Quod verò dicit;

Vatablus.

Locus Zachariæ valde implicatus aptisime exponitur.

Exponit propheta acerbiora supplicia quibus veterē populum coercuit.

Vno eos mense occidisse. Mensis pro tempore breuisimo vsurpatur: nam viginti duos annos cum quatuor mēsibus hi reges regnum possederunt. est tamen illa ratio dicendi, vt mensis pro tempore breuisimo ponatur: sicut Oseas dixit; Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis. id est, breuisimo tempore funditus delebuntur. ita enim exponunt & Latini & Hebræi interpretes. quare significat breuisimo tempore tres Reges ex vna Repub. sustulisse, ad augendam exempli, supplicijque magnitudinem.

Mensis pro tēpore vsurpatur breuissimo.

Ose. 5. c.

Et contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me. Verbum Hebræum est קצר *cazar*, quod Hebræi stringere, arctare, breuiare, abbreuiare, ac metere significare dicunt: sed propriè est contrahere, & cætera per metaphoram: vt metimus messes, quia eas contrahimus, ac colligimus. Eleganter verò hac dicendi forma propheta declarat odiū & maleuolētiam Dei in nos. Vt enim quando nos Deus amat, quasi diffundere, ac dilatare animum suum erga nos videtur: ita & cùm à nobis alienatur, quasi contrahere, & colligere. dum quicquid boni gratuiti amicus præstiterat, inimicus tollit, & ad se adducit: ita vt amicus ad nos pertinere, inimicus autē à nobis nimis distare videatur. Ita & Adamo iam inimico ligno vitæ interdixit, & è paradiso expulit. ac, vt hoc loco noster propheta docet, cum de Iudæorum salute diffideret, eos ampliùs pascere noluit: & ob eam rem duas illas virgas, quibus illos ad pastus agebat, confregit. quod autem dicit; *Siquidem & anima eorum variauit in me*. Ratio est, cur Deus se illis pastoribus immutaret, & à se

Quando à nobis Deus alienatur quasi animū suum contrahere videtur.

& à se quasi deficeret: quòd ipsi priùs collectam eius gratiam effuderunt, seque ab illo disiunxerunt. Vt enim Deus prior in nostram venit amicitiam: ita & posterior amicitiam deserit, vt ipse per Oseam dicit; Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.

Ose.13.c.

9 *Et dixi non pascam vos.* Præterquã, ait, quod tres illos pastores occidi, cùm omni essent pastore destituti, qui eorum bona procuraret, ego eos pascere nolui, qui solus eis poteram in tanta orbitate subuenire. Sed nonnihil difficultatis in hoc loco est. Dixerat enim duas sumpsisse virgas, ac gregem pauisse, in eoque pascendo tres pastores occidisse, quòd iniquè munere suo fungebantur: modò verò dixisse ait, nõ pascam vos: pugnat ergo quod dixerat paui gregẽ, cum eo, quod modo dicit, non pascã vos. Sed intelligendum est, non pascam vos virga illa, quam decus, & iucunditatem vocauit; hoc est, non beneficijs, sed supplicijs vos afficiam, non iucundus, & placidus, sed acerbus, & asperus vobis ero. id quod ipse statim declarat, cùm decreuisse narrat.

Duo loca prophetæ cõciliantur.

Quod moritur, moriatur, & quod succiditur, succidatur, &c. Et tuli virgam meam, quæ vocabatur decus, & abscondi eam. Id est, minimè ea vti volui, sed illa, quæ nominatur funiculus; vt non solum à pastoribus, sed etiam à grege iniquo pœnas repetijsse significet. Non enim de pastoribus solùm, sed etiam de grege per Ezechielem capitulo.34. queritur. Quid autem consequatur ex eo, quod ipse placidè, ac beneuolè eos pascere noluisset, exponit dicens;

Ezec.14.

Quod moritur moriatur: & quod succiditur, succidatur, & reliqui deuorẽt vnusquisque carnem proximi sui. Tribus malis eorum scelera se vindicaturum minatur, peste, bello, & fame; quibus plagis inimicos suos vlcisci solitum esse multis in locis sacra scriptura docet. Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio, fame, & peste ait Ieremias capit.21.&.38. Ita cum à Dauide pœnas peccati persequi vellet, per Gad prophetam horum trium malorum ei optionẽ dedit, vt narratur. 2. Reg. capitulo vltimo. Nulla enim mala rempub. vehementiùs vastant, & labefactant. Nihil ergo mali in repub. non est, si asperè, & acerbè cum ea se Deus gerere voluerit. & ob eam rem cum Moyses intelligeret, in offensa apud Deum populũ in deserto esse, noluit, vt iter faceret, & vltrà progrederetur, quòusque in pristinam gratiam rediret, & Deus eis se adfuturũ promitteret: secus enim infaustũ iter futurum esse ducebat.

Tribus plagis Deus inimicos suos vlciscitur.

Iere.21. &. 38.a.

2. Reg. 22.

Nihil mali in repub. non est si cum ea se Deus aspere gerere voluerit.

Exod.33.c.

10 *Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus, & abscondi eam.* Id est, nolui vt beneuolo me, & familiariter vterentur ij, qui beneuolentia, & benignitate mea ad libidines suas fouendas abutebantur. Hac enim pœna multantur, qui beneficijs, & bonitate Dei fruginõ fiunt, vt graues eius iras magno suo incommodo experiantur. & ob eam rem Ecclesiasticus ait; Misericordia, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. quod verò dicit. *Abscondi.* in Hebræo est אֶגְדַּע *egdah*, succidi, excidi: & ita in plerisque exemplaribus editionis vulgatæ est, non abscondi, sed abscidi.

Qua pœna multentur qui Dei beneficijs frugi nõ fiunt.

Eccl.5.b.

Vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis. Elegans & subtilis est dicendi modus, ad significandum potestatẽ omnibus populis, fecisse

fecisse diripiendi,& euertendi Ierusalem. Nam cùm antea nullus populus Ierusalē auderet inferre bellum, Deo, cuius vrbs esse dicebatur, ita statuente, atque decernente, videbatur Deus quasi fœdus cum omnibus populis fecisse, ne vrbem suam bello lacesserent. eadem ratione dicendi vtitur Eliphaz apud Iob; Cum lapidibus regionum pactum tuum: & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. id est, nec lapides, nec vllæ bestiæ te lædent, si cum Deo in gratia fueris. atque in his duobus locis synedocha sacrosancta scriptura vtitur; nam ponit species pro genere. Nihil enim eorum, quæ natura continet, nocumentum, aut molestiam afferet ei, qui Dei auxilio nititur, eiusque se totum tutelæ commisit. quod exponit copiosè Dauid; Non accedet (ait) ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: in manibus portabūt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Contrà verò exulcerata diuina gratia hoc fœdus irritum, & infectum esse videtur. multa enim damna, multa detrimenta manent virum impium. ex quo fit, vt in magno periculo versetur. Nam cùm omnes creaturæ stent à Deo, eiusque partes sequantur; qui cum Deo dissidet, non solùm cum populis (vt hic noster propheta dicit) sed etiam cum omnibus creaturis gerere inimicitias videtur. Quamobrem cum Adam Dei gratiam teneret, omnes creaturæ corporis participes ei subditæ erant, ei ad nutum obediebant; ita vt terra ipsa sua sponte sine aliquo laborioso cultu vberrimos fructus afferret. postquam verò desciuit à diuina gratia,

Iob. 5. d.

Nihil nocebit ei qui Deo auxilio nititur.

Psal. 90.

In magno periculo versari impium esse.

statim rebellarunt, ita vt multo labore, multa opera, cura, & solicitudine ei opus esset ad eandem terram subigendam, atque domandam, vt acceptos ei fructus redderet. Idcirco propheta dicit, irritum factum fuisse fœdus, quod cum populis percusserat.

11 *Et in irritum deductum est in die illa,* quod addit tum ad significādum obsequium, quo sunt res omnes ergà Deum, vt ipso quidpiam decernente, nihil ampliùs repugnent. & ita plerique interpretantur illud Psalmi; Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus his nomina vocat. id est, vt seruas vocat, eique statim obediunt, & quæ vult exequuntur. Tum his verbis significat, non solùm irritum factum fuisse fœdus, vt antè dixerat, bellum indictum aduersus Ierusalem; sed etiam gestum, & expromptum fuisse. Nam cùm primùm peccator in Dei cadit offensionem, fœdus etiam cum omnibus creaturis rumpitur, & bellum aduersus eum denunciatur. minimè verò statim fit, sed tum re ipsa fieri videtur, cùm mala veniunt, & calamitates opprimunt.

Psal. 146.

In irritum ergo fœdus deductum est, Hoc est, graui bello Ierusalem pressa fuit, multa incommoda, & detrimenta pertulit. quæ declaratio maximè cohæret cùm eo, quod statim sequitur.

Et cognouerunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est. Pauperes gregis vocat vt supra, viros pietate præditos, quos diuites, & iniqui homines fortunis spoliabant, cōtemptui habebant, & ad extremam inopiam redigebant: si enim grassentur impij, & præcipites libidine sua ferantur, magnam viri probi iacturam faciunt.

Si præcipites libidine sua ferantur impij magnam viri probi iacturam faciunt.

faciunt. *Qui custodiunt mihi.* Id est, qui mea custodiunt præcepta, meque obseruant, & colunt, cognouerunt inquam. *Quia verbum Domini est.* דבר *dabar*, significat & verbū, & rem: & vtraque significatio quadrat. id est, cum Rempub. conuulsam viderent, cognouerunt hoc esse à prophetis prædictum, Deumque, quod fuerat minatus, præstitisse. Vel cognouerunt acerbas calamitates, & grauissima dāna, à Deo esse propter ipsorum peccata immissa. quemadmodum id Tobias cognouit qui dixit; Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem. &c. Et nunc Domine magna iudicia tua, quia nō egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus synceriter coram te. & Daniel; Non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per seruos suos prophetas. &c. & stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui Dei, quia peccauimus ei. Est enim sancti, iustiq́; viri, vt iram Dei, & eius causam in malis, & rebus aduersis cognoscat: stulti verò, & iniqui homines totius calamitatis culpam aut in fatum, aut in humanum errorem, aut in alterius improbitatem, non in se conferunt: & ob eam rem nullis flagellis, nullis plagis se ad frugem corrigunt. longè enim insipiētiùs, & stultiùs quàm bestia verbera, & dolores accipiunt. quem morbū à nobis auertere conatur Dauid dicens; Nolite fieri sicut equus, & mulus, in quibus nō est intellectus: in chamo & freno maxillas eorū cōstringe, qui non approximant ad te. Comparat iniquos non cum quouis equo, & mulo, sed cum eo, qui indomitus, & malè institutus est, quem non nisi vi, ita vt recusare, & resistere non possit, ad te trahes, & in munere suo continebis. Ita & nonnulli homines tantum quia non possunt, peccare cessant; & ob eam rem solent nonnunquā magnis ærūnis, & doloribus angi, vt statim adiūgit Dauid dicens; Multa flagella peccatoris. quòd misericordia & pietas diuina multis modis, vt ad se redeant, tentat.

Tob. 3. Dan. 9. b. Psal. 31.

Est sancti viri vt irā Dei & eius causam in rebus aduersis cognoscat.

12 *Et dixi ad eos, Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite.* Exposuit pastor ille præstantissimus Deus res præclarissimas in grege suo pascēdo gestas: modò alias longè præstantiores exponit, vt quanta fuerit cura, & solicitudo eius in ouibus suis agendis cognoscatur. *Et dixi ad eos.* inquit: quo significat, non per prophetas, sed per seipsum cum populo fuisse locutum, onusq́; pascēdi gregis ipsum per se subijsse. quod accidit, quādo verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & verus ille pastor animam suam posuit pro ouibus suis. Ipse enim gregē admirabiliter pauit petendo mercedē muneris, & officij sui per tot annos exhibiti. Sed quænā merces hęc fuit, quā Christus pro tantis erga nos beneficijs postulauit? vt in eū scilicet perfectè crederemus. id quod ipse Christus declarat apud Esaiam capite quadragesimonono, quo cum tot oues Iudæas perditum ire videret, ab Esaia inducitur grauiter querens, se frustra tot labores suscepisse, ac dicens. Ego dixi in vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi. quare vt non essent inanes, frustra, & sine mercede vlla labores Christi, oportebat esse veros, perfectosq́; credētes. Nā ipse nō pro se, sed pro nobis mor-

Magna Dei solicitudo in ouibus suis agendis. Ioan. 1. *Quam mercē dem Christus pro tantis beneficijs suis erga nos postulauerit.* Esa. 49.

mortuus est, atque non tam vt sibi, quàm vt nobis vtilitatem afferret, tot labores, & ęrumnas exantlauit. quare si nemo ex eis fructum vllum perciperet, irriti & inanes esse videbantur. quod magis declaratur eodem capite, quo, vt ei Pater æternus ostendat magnam ex tanto labore mercedem reportaturum esse, nihil aliud illi pro ponit, nisi innumerabilem gentium multitudinem in eum credituram. Parùm mihi est (ait) vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas: dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ: idque per totum ferè caput vehementer amplificat. Hanc ergo mercedē vt in eum Iudæi crederent, multis verbis, multisque modis, tribus annis, quibus publicè docuit, ab illis ipse petiuit, neque vllos homines ferè, præter illos ad hoc officium inuitauit: quia nullis nisi Iudæis toto vitæ suæ tempore Euangelium exposuit: quò illorum summa ingratitudo magis arguitur, & conuincitur. Quòd verò dixisse ait.

Afferte mercedem meam; si non, quiescite. Ostendit liberum, nostrum arbitrium, quo fidem oportet suscipere, opusque esse liberi arbitrij nostri fidem, & omnē salutem nostram, ita vt in potestate nostra sit, vt credamus, & vt non credamus. Quare hic locus multum valet ad Luteranos hæreticos, & alias huiusmodi quisquilias refutandas, & conuincendas. Ex hoc etiam intelligi licet eos, qui fide, & charitate Christum non amplectuntur, quantum in se est irritam, & inanem facere, ac sine causa susceptam indignissimam, & pretiosissimam mortem Christi: neque quidquam excussare posse cur tam ingrati fuerint, nihil mercedis pro tam infinito beneficio pendentes.

Liberi arbitrij opus esse fidem & omnem salutem nostram.

Qui Christū non amplectūtur, irritam quātum in se est eius mortem efficere.

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Id literaliter, & historicè intelligitur de Christo triginta argēteis à proditore Iuda venūdato, vt declaratur à Matt. ca. 27. Descriptissimo verò, & accōmodatissimo loco, mentionē facit istius vēditionis, quæ initium crudelissimæ, & atrocissimæ mortis fuit; ad malitiam, & improbitatem nefariam illius populi meliùs declarādam. Nam cum gratiam Christo, obtemperando, & obsequendo vt suæ salutis auctori deberent cumulatissimè referre, retulerunt vilissimo pretio æstimando; & vt acerbissima morte multarent comparando; vt illud verum sit, quod apud Esaiam Christus de populo ingratissimo isto dixit. Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor. Quis enim pro tantis beneficijs tam impiam, & iniquam mercedem expectaret, vt postquam populum istū iam inde ab exitu ex Ægypto pauerit, gubernauerit, infinitis beneficijs, & ornamentis auxerit, tantorum beneficiorum auctorem à se eijceret, & atrocissimè necaret? Aut quis non spes fallaces, & inanes existimet, quas quispiam in homine ponat, qui gratiam tam immaniter, & impiè Christo retulit? Ita Dauidem pro Philistæo necato, populoq; ignominia, & graui metu liberato, Saul anxiè ad illum interficiendum quærebat. Moysen, & Aaron, quorū opera in libertatem asserti, & graui iugo soluti erant, populus aliquando lapidibus obruere tentauit. Rectè igitur Ieremias ait; Maledictus homo qui confidit in homine.

Matt. 27. a.

Improbitas nefaria populi Iudæorum aptissimè declaratur.

Spes fallaces esse quas quisquam in homine ponit.

Iere. 17. a.

13 *Et dixit Dominus ad me, Projice illud ad sta-*

ad ſtatuarium. Miro & occultiſsimo modo paucis verbis propheta comprehendit, quod à proditore Iuda, & à Sacerdotibus templi ex illo pretio factum eſt. nam pro ſtatuario, in Hebræo eſt יוצר *iozer*, quod ſi in principio ſcribatur per. י. figulum, ſiue ſtatuarium ſignificat: ſi autem per. א. theſaurarium, ſiue qui ærario præeſt, declarat. ſolet autem. י. pro. א. poni apud Hebræos, quod etiam commune eſt alijs literis, quas quieſcentes appellát. quare & figulum, & theſaurarium, ſiue quæſtorem ſignificare poteſt. Proiecit autem Iudas pretiú ad principes, & ſacerdotes eos, quos eſſe quęſtores templi putandum eſt: nam deliberarût, an in corbonam illud mitterent. pertinebat igitur ad illos, illius cuſtodia. Sacerdotes autem pretium proiecerunt ad figulum, vt agrum illius emerent. vtramque ergo proiectionem vno verbo comprehendit. Sed illud difficiles hoc loco explicatus habet, quòd Matth. hunc locum nó ex Zacharia, ſed ex Ieremia citat: in toto verò Ieremia non inuenitur. quare aut dicendum eſt Zachariam, Ieremiam etiam fuiſſe vocatum: & tunc dicendum eſt, Matth. non verba, ſed ſententiam prophetæ citaſſe; ita enim hunc locum refert. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretiú appretiati, quod appretiauerunt à filijs Iſrael, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut cóſtituit mihi Dominus. Vel dicédum eſt, verba hæc Ieremiæ eſſe, cuius vaticinium in hac parte nó extat: multa enim volumina ſacroſanctæ ſcripturæ deſiderantur, vt libri Addo prophetæ, & Semeiæ qui citantur. 2. Paralip. 12.

Explicat propheta paucis quod à proditoribus tépli ex illo pretio factum eſt.

Zacharias cú Matthæo conciliatur.

Matt. 27.

Decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Per irriſionem intelligéda ſunt: nullo enim dicendi modo meliùs ſignificatur, quàm exiguum, quàm vile pretium pro tantis beneficijs, pro táto viro, ac denique pro Deo fuerit. Quod ſi Deum cum doctrina, cum beneficijs immenſis ſuis homines nó pluris quàm triginta argenteis æſtimarût, quid vel ſanctiſsimus, doctiſsimus, & optimè meritus homo miſ retur, ſi à mundanis hominibus contémnatur? Verùm ſe pluris, quàm Chriſtum facit? num gratiori animo in ſe mundum futurum exiſtimat, quàm ergà Chriſtum fuit? nunquid pro exiguis beneficijs maiorem ab hominibus mercedem expectat, quàm Chriſtus pro infinitis reportauit? Illud ergo ſecum cogitet, quod Chriſtus nos monet; Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, neq; diſcipulus magiſtro ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequétur. & ob eam rem ab humana mercede, & gloria mentem auocet, ſeque totum ad diuinam mercedem, & gloriam cogitádam traducat, & ducem ac magiſtrum ſuum Chriſtum ſequatur dicentem; Claritatem ab hominibus non accipio.

Nihil eſſe quod pius homo moretur ſi à mûdanis hominibus cótemnatur.

Matt. 10.

Ioan. 5.

Et tuli triginta argenteos; & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium. Repręſentat in viſione prophetica vates noſter quod Iudas proditor facturus erat, vt narratur à Matth.

14 *Et præſcidi virgam meam ſecundam, quæ appellabatur Funiculus, vt diſſolue-rem germanitatem inter Iudam & Iſrael.* Apertè vaticinium hoc ſignificat expellendos à Deo eſſe Iudæos, & veros Iudæos, hoc eſt, chriſtianos accipiendos: nam duobus (vt dixi) modis, omnis ratio diuina docendi, & oues agendi cóprehenditur; quos duabus illis

illis virgis significari diximus, Decore & funiculo. quare qui earum altera non pascitur, eius curam, quod ad eius salutem attinet, Deus abiecisse videtur: hisque duabus virgis Hebræos pauit. Primam autem, quam vocauit Decorem, fregisse dixerat; secundam quæ reliqua erat, etiam modò fregisse significat. Hinc intelligi licet, maximam Dei iram, & extremum supplicium esse scelera non vlcisci; sicut illa maxima parentis ira putatur, cùm filium à se repellat, neque ampliùs in eum animaduertere velit. quamobrẽ dicit Ezechiel; Zelus meus recedet à te, & non irascar tibi ampliùs. & pro magno beneficio numerat Dauidi, quòd à filijs suis, si peccauerint, pœnas expetet dicens; Si leges meas profanauerint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Quare Deus Iudæorum curam prætermisisse, nec vlla ratione eos pascere videtur. hoc est, oues & populus Dei minimè post hac dicendi sunt. Cùm verò dicit.

Extremum Dei suppliciũ in hac vita esse scelera nostra nõ vlcisci.

Vt tollerem germanitatem inter Iudam & Israel. Non omnes Hebræos esse reijciendos significat, sed dissidium inter eos futurum, ita vt non eadem sit eorum conditio, sed alij ad populum Dei pertineant, alij verò non, & inter se pugnent, atque dissideant. id quod cap. sequenti clariùs exponit.

Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem. Quæ quidem mira valde Iudæis essent, vt Iudæi Ierusalem oppugnarẽt, quæ erat eorum domicilium quam tam anxiè ædificare, & restituere cupièbant: vidimus tamen esse præstitum, cùm Iudæi veram Ierusalem id est, Ecclesiam tãto studio oppugnarunt, vt ex actis Apostolorum, & ex morte Christi, eius capite, cognoscitur. hanc ergo germanitatem hic dissoluendam esse prędicit. Qua ratione dicendi alludere videtur ad id, quod Ahias Silonites propheta fecit, vt Ieroboam Salomonis regnum, quod duodecim tribus comprehendebat, diuidendum esse nuntiaret. Pallium enim suum ad id declarandum scidit. Ita & magnus propheta Christus pedum, quo oues suas versabat, præscidit ad similem diuisionem significandam. quare illud factum Ahiæ Silonites, & ipsam Hebręorum diuisionem temporibus Roboã imaginem fuisse credendum est eius diuisionis, quam hic noster propheta nunciat, inter veros, & carnales Israelitas. Veri enim Israelitę sunt (vt Paulus Romanis probat) qui Christum sequuntur: carnales è genere Abraham oriundi. & quẽadmodum assiduum bellũ fuit post illam diuisionem inter Israelitas, & Iudæos; ita & post hanc, quæ fuit temporibus Christi magnum semper est certamen inter veros, & carnales Israelitas.

Figura præcisionis quæ facta à populo Dei Israelitæ præcisi. 3.Reg.11.

3.Reg.11.

Qui veri sint & qui carnales Israelitæ.

15 *Et dixit Dominus ad me, Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.* Id est, præterquam quod ego eos eijciam, quoniã oues sine pastore agi, & gubernari nõ possunt, volo vt stulto pastori tradantur custodiendæ: siquidem frugi, & industrium repudiarunt. Nihil enim reliqui est eis, qui in summa cura, industria, & sapientia fastidiunt, quæ in Christo fuêre, nisi stultitia, insania, & temeritas, quibus præter cęteros mortales omnes præditus erit Antichristus. quare in illum quæ sequuntur imprimis conuenire videntur. ita fiet quod hispanè in communi prouerbio versatur, *quiẽ no cree a buena madre que*

Quid eis reliquũ sit qui in summa Dei erga eos cura fastidiũt

Meritò fuerunt Antichristo permissi Iudæi

que cres a mala madrastra. Sic enim Christus Iudæis dixit; Ego veni in nomine patris mei, & non crediderunt mihi; alius veniet in nomine suo, & credent ei. aptèque in Iudæos cadit parabola illa à Ioatham proposita viris Israel, qui septuaginta ferè trucidatis filijs Gedeon, à quo tanta beneficia acceperāt, Abimelech tantæ cędis auctorem Regem delegerunt: tandemque conclusit dicens; Si ergo rectè, & absque vitio egistis cum Ierobaal, & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis: sin autem peruersè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichē & oppidum Mello. Talis erit Antichristus pastor à Iudæis deligendus, qui eos perdat, & labefactet. quem visione prophetica repręsentare Zacharias verbis prædictis iubetur. Sed non difficultate vacat, cuiusmodi vasa hæc futura erant, quæ stultum pastorem exprimerent. Hebræi quidam dicunt; peram esse iusto cōtractiorem, quæ res omnes pastori necessarias capere non possit. ex quo fit, vt cum in locis desertis, rebus ad cibum necessarijs destituatur, ad oues vel necandas, vel vendēdas conuertatur. Vatablus dicit, peram esse pertusam, ex qua, quę cōtinet, effluāt. Sed non ita planè stolidum pastorem huiusmodi pera significare videtur; nec si aliquem pastorem ea instructum videremus, eū stolidū iudicaremus: pręsertim quod hic non in suis, sed in ouium commodis procurandis negligēs describitur. Quare meliùs esse duco, vt qualis fuerit habitus pastoris stulti ex ipso vaticinij contextu petamus: non enim id à vate prætermitteretur, nisi intelligeret ex ijs, quæ dicta sunt, intelligi posse. Hoc ergo capite describit propheta duplicem pastorem, sapientissimū, & stultissimum. Sapientissimi omnia instrumenta posuit, quæ illis duabus virgis continentur, vt explanauimus: cùm ergo stultissimus pastor huic sapientissimo contrarius in grege procurando sit, alia debet ratione oues procurare, eiusque habitus, quod ad rem attinet hāc, alius esse debet. Eum igitur oportet haberę aut plures virgas quàm duas, aut nullas, aut vnam tantùm. Plures habere non potest; quia omnis (vt dixi) ratio pascendarū ouiū in illis duabus virgis posita est. Aut nullas, sed hoc erit omnino non esse pastorem: nam si nulla ratione pascit, omnino non est pastor. Necesse igitur est, vt stultus pastor vna tantùm virga vtatur. Vasa igitur pastoris stulti sunt vna virga, vel vnus baculus. hoc est, non nisi vna ratione oues agit, vel ouibus semper blandiendo, & obsequendo; vel eas semper affligendo, & incommodando. cui explanationi magno sunt argumento verba Hebrea. Nam in Hebręo est, sume tibi כְּלִי *celi*, quod vas in singulari significat. Neque pugnat versio vulgata cum nostra explicatione: nam præcipitur prophetę, vt sumat vasa, id est, instrumenta pastoris stulti, quæ omnia vno vase, id est, instrumento, vt argumentando collegimus, comprehēduntur. Vel est phrasis Hebræa instrumenta pro altero instrumentorū, ratio dicēdi sæpe ab Hebræis vsurpata, vt superioribus explicuimus. qua ratione plerique non malè explicant illud Matth. 27. Latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei, id est, alter latronum: vt cum Luca conueniat, qui dicit alterum latronū ab improperijs, & iniurijs socij sui Christum defendisse, seq; totum illi commendasse,

Ioan. 5.

Iud. 9. c.

Difficile est scire, quę nā fuerint vasa pastoris stulti.

Vatablus.

Qualis fuerit habitus pastoris stulti ex ipso vatis contexto declaratur.

Iniquus pastor vna tantum ratione oues agit.

Mat. 27.

Locus Mat. exponitur.

mendasse: quam ob rem tantam eius gratiam iniuit. Cum ergo iussum esset prophetę sumere alterum instrumentorum pastoris stulti, sumpsit omnium deterrimum, vt pastorem stultissimum describeret, sicut antea sapientissimum. Omnium autem deterrima ratio pascendi oues est virga illa, quæ Funiculus fuit appellata, id est, terroribus, & detrimentis ouibus afferendis. ex quo fit vt de hoc stultissimo pastore non nisi damna, incōmoda, & exitia narrentur. quod etiā coniecturam affert, eius arma, & instrumenta vnam tantùm virgam, Funiculū scilicet fuisse. verbū etiā Hebręū pluraliter explicari potest, punctis tātū mutatis. rectè igitur est à nobis, cū omnia cōsonent, locus hic declaratus. Reddit deinde rationē, cur iubeat ei vasa stulti pastoris sumere.

Deterrima ratio pascendarū ouium est terroribus tantum afferendis.

16 *Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit.* In Hebræo est הַנִּכְחָדוֹת *nichadoth*, id est, succisas, hoc est, oues deploratas, & de quibus desperatur. quod potest intelligi vel de ouibus, ex quibus nihil vtilitatis, nihil fructus vlla ratione se reportaturum existimat; vt plerię, Reges, & Episcopi, qui illos tātum subditos, ex quibus vtilitatem se laturos arbitrantur, curāt; reliquos negligunt: nō enim ouium, sed suam vtilitatem in grege pascendo quærunt. Aut ad eos etiam hoc referri potest, qui magnis aliquibus criminibus, & flagitijs tenentur, longèque ab officio desciuerunt; de quibus ipse sanandis non laborabit: in quo pastoris opera vehementer cernitur. Vt enim Deus neminem vel pessimum, & nefarium hominem destituit omnino, quamdiu viuit: ita & bonus pastor debet nonnunquam inuisere, & visitare, id est, quibuscunq; rebus possit adesse vel profligatis hominibus, si quando det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à Diaboli laqueis, quibus captiui tenentur, vt ait Paulus. 1.Tim. 2.

Iniquus pastor eas negligit oues, ex quibus nihil vtilitatis se laturum existimat.

Iniquus pastor nihil de sanandis ouibus deploratis laborat.

Dispersum non quæret. Vt Christus ouem illam, quam amiserat, quęsiuit, sicut ipse se testatur. in Hebræo est הַנַּעַר *hanahar*, non quęret, hoc est, iuuenem non quæret: ij enim qui quasi lasciuientes agni iuuenili quadā perturbatione cōmoti peccant, non contemnendi, & prætermittēdi sunt, sed omni studio ad caulas reuocandi, ad officiūq; sunt reducendi; vt Dauidē Deus per Nathā prophetā quæsiuit.

Et contritum non sanabit. Id est, virga illa dura, atq; seuera pastoris contritum, hoc est, graui aliqua animaduersione afflictum, atq; commotum; doloreque nimio, & ignominia affectum non rursus leuabit, & dolorē leniet: quemadmodum Paulus priori Epistola acriter Corinthios reprehendens, magnaque tristitia afficiens secunda Epistola leuauit, & valde consolatus est, sic, vt illis scribat. Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitētiam: contristati enim estis secūdum Deū, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quātam in vobis operatur solicitudinem, &c. in omnibus exhibuistis vos incōtaminatos esse negotio. Vt enim cōterere virgæ est, quæ appellatur Funiculus; ita & leuare virgæ, quæ Decus vocatur, qua iste improbus pastor carebit. 2.Cor.7.c.

Iniquus pastor non leuat graui aliqua animaduersione afflictū.

Et id quod stat, non enutriet. Id quod languidum, & macie confectum est, ita vt in itinere cōsistat, gregéq; sequi non possit, non fouebit. id est, eos qui infirmi sunt, exiguaque virtute præ-

ditiæ ita vt & fortium, & constantium virorum virtutem, & pietatem non imitentur quos pastores debēt, ne eorum animi frangátur, verbis & exemplis excitare, & ad constantiam, & fortitudinē impellere, vt Paulus monet Romanos. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. in Hebræo est non יכלכל *icalcel*, id est, fulciet, atque portabit, subaudite humeris suis, sicut Christus ouem illam, vt ipse testatur, quam amiserat.

Boni pastores debent infirmos excitare, & ad fortitudinem impellere.
Rom. 15.

Carnes pinguium comedet. Hoc est ditari, & bene pasci ex grege cupiet: potiùs enim suam, quàm ouium vtilitatem spectabit: contrà egregius pastor ille Paulus, vt ipse Actorum. 20. testatur, argentum, aut aurum, aut vestem nullius cōcupiui, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, ministrauerunt manus istæ.

Bonus pastor non quærit suā, sed omniū vtilitatem.

Et vngulas eorum dissoluet. Vel plus æquo in itinere incitado, vel per aspera, & prærupta loca agendo: vt ij pastores faciunt, qui multas, & difficiles leges subditis imponunt, de quibus Christus ait, Alligant onera grauia, & importabilia super humeros hominum. Eosdem Deus reprehendit per Ezechielem, Cum austeritate imperabatis, & cum potentia. ac deniq; eadem propè crimina obijcit iniquis pastoribus per Ezechiel; Quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, nō alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis, & cum potentia. quare eisdem criminibus tenētur iniqui pastores, in quos hæc nostri prophetæ verba etiam conferri possunt.

Iniquus pastor multas & difficiles leges subditis imponit.
Matt. 23.
Ezech. 34
Ezech. 34.

Sed quoniam in illo omnium pessimo pastore Antichristo clariùs hæc eminebunt, & in promptu erunt, ob eam rem in illum imprimis conueniunt, sicut etiam quæ in Psalmis, & Prophetis de viro iusto, ac virtute prædito scribuntur, multò perfectiùs in Christum, totius iustitiæ fontem cadunt. & ob eam rem Ioannes dicit. Plures Antichristi sunt: vt enim nomen, sic & facta Antichristi sceleratis hominibus attribui possunt.

Iniqui pastoris conditiones longe perfectius in Antichristo conueniunt.

17 *O pastor, & idolum, delinquens gregem.* Exclamatio est indignationis, & miserationis plena: indignatur ob nefariam pastoris iniqui crudelitatem: dolet verò de tristi ouium fortuna, quæ in talem pastorem inciderunt. *O pastor, & idolum*: aliqui interpretantur, qui se vt Deum adorare, obseruareque faciet, sicut dicit Paulus. Qui extollitur suprà omne quod dicitur Deus. sed meliùs est vt phrasim Hebræam esse dicamus, qui vt idola vocant res vanas, & nihili, quæ non rem, sed quandam rei imaginem inanem, & vanam præseferunt: ita vicissim in rebus vanis idoli nomen vsurpant. & ita hoc loco nomen Hebræum est אליל *ilil*, quod rem vanam, & inanem & inutilem propriè significat. ex quo fit vt idolum etiam sæpe significet. dicit ergo propheta. *O pastor, & idolum.* Hoc est, ô pastor, qui nomen tātum, & imaginem pastoris habes, nullo tamen pastoris munere fungeris, sed immanis, & truculētissimæ bestiæ. Quotus enim quisq; pastor est, qui gregē suum deserat? at tu & derelinquis, quod inutile putas, & laceras quod pingue tibi, & vtile videtur.

2. The. 2.
Phrasis Hebræa idolum pro re vana.

Gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius. Disseruit de sceleribus

Quæ pœna sit Antichristus mulctandus. tibus Antichristi: nũc qua pœna multãdus sit, exponit. id est, omnes eius vires confringentur, & robur, ac potentia conuelletur. quæ in duabus rebus posita est; vel in viribus humanis: multas enim copias, & grandes exer- *Antichristus multis copijs bellum inferet.* citus coget, quibus bellum inferet orbi terrarum; quæ omnes effundendę, ac dissipandæ sunt, & innumerabilis hominum multitudo interficienda. quod vates prædicit futurum verbis illis. *Gladius super brachium eius.* Brachium enim copiæ, & exercitus eius dicuntur, quòd illis vniuersas gentes redigere in potestatem nitetur. quod etiam Ezechiel vaticinatus est dicẽs. *Ezec.39.* Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua deijciam; Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui qui sunt tecum, &c. Posita etiam est eius potentia in astutia, *Antichristus res suas callide administrabit.* & sagacitate humana, qua res suas callidè, & astutè per aliquod tempus administrabit, & omnibus præstigias, & fucum faciet. de quo dicit Paulus; Cuius aduentus secũdum operationem sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs, & mendacijs, & in omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt. hanc astutiam, & calliditatẽ. *Oculum* propheta vocat, quem gladio effodi cupit, & effodiẽdũ vaticinatur. idem que rursus ampliùs explicat dicens;

Brachium eius ariditate siccabatur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Hoc est robur, præstigiæ, & calliditas eius pariter consumentur, ita vt nemo partes eius tueatur, nihil ampliùs tergiuersari, aut iram Dei effugere, aut vllo pacto declinare possit. vt *1.Thes.2.* Paulus ait; Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.

CAPVT XII.

1 *ONus verbi Domini super Israel, Dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* A
2 *Ecce ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem.*
3 *Et erit in die illa, ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes qui leuabunt eum, concisione lacerabuntur: & colligentur aduersus eam omnia regna terræ.*
4 *In die illa dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, & ascensorem eius in amentiam: & super domum Iuda aperiã oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate.* B
5 *Et dicent duces Iuda in corde suo, Confortentur mihi habitatores Ierusalem in Dño exercituum Deo eorũ.*
6 *In die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno: & deuorabunt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu: & habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem.*
7 *Et saluabit Dñus tabernacula Iuda, sicut in principio: vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitãtium Ierusalem cõtra Iudam.*
8 *In die illa proteget Dñs habitatores Ierusalẽ, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid, & domus* C

Dauid quasi Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum.

9 *Et erit in die illa: quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Ierusalem.*

10 *Et effundam super domum David, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti.*

D 11 *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon.*

12 *Et planget terra: familiæ & familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum.*

13 *Familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum.*

14 *Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.*

1 O*Nus verbi Domini super Israel, Dicit Dominus extendens cœlum.* Capite decimo exposuit propheta noster quantis donis, beneficijs, & ornamentis Deus erat Ecclesiam per Christum cumulaturus: vndecimo verò narrauit Iudæos esse repellēdos, quòd Christo repugnauerint, & iniquissimo pastori excruciandos, vexandosque relinquendos. ne sibi autem quisquam persuadeat, solos iniquos homines in hoc æuo incommodis conflictaturos, dissent modò de calamitatibus, & ærumnis ijs, quibus Ecclesia Deo charissima premenda etiam & afficienda est. Vt enim Christus caput eius non modò miraculis, prodigijs, rebusque alijs clarissimis ab eo gestis, præconijs de gloria, & dignitate sua, non ab hominibus, sed à Deo patre è nubibus editis; sed etiam laboribus, damnis, calamitatibus, & detrimentis grauissimis præclarus est, illustrisque redditus; imo longè maiorem gloriam, & honorem ex ignominijs, & cruciatibus, quàm ex miraculis, & prodigijs ab se editis reportauit. Nam non propter hęc, sed propter illa Paulus exaltatū fuisse Philippensibus scribit: ita etiam non minùs pertinet ad laudem, & dignitatem Ecclesiæ suæ, quòd sæuis hominum odijs acriter oppugnata, & iniquis eorum consilijs circunuenta, & indignis modis accepta, nunquam superari, nunquam deleri, & obrui potuit. Ex quo etiam illud intelligitur, quod Salomó in Ecclesiast. dicit; Vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio, bono, & malo, mundo & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti: sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille, qui verum deierat. Quare nemo debet nec propter bonam fortunam immoderatè efferri, neque propter iniquam desperare, vel nimis animum demittere. *Onus.* in Hebræo est משא *masa*, quod onus propriè significat; per translationem verò prophetiam grauia, acerbaque minantem, quòd onere suo premat eos, in quos inuehitur; aut quòd calamitates, & labores

Christus non solum miraculis sed etiā calamitatibus illustris redditus est.

Phil. 3.

Maxime pertinet ad Ecclesiæ laudem quod sæuis odijs oppugnata nūquam vinci potuit.

Eccle. 9. a.

labores contineat, quæ à Deo hominibus, ficut ab agafonibus onera iumentis distribuuntur. ita Esaias inquit; Onus iumentorum Austri. & Paulus. Vnusquisque onus suum portabit. Cumque huiusmodi onera à Deo sapientissimè imponantur, nemo meritò de onere suo, tanquam importabili conqueri potest: præsertim ij, qui Dei gratiam, & beneuolentiam pro virili parte sequuntur, de quorum onere agitur hic: ijs enim Christus dicit; Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Quare licet non leues calamitates, & ærumnę hic de Ecclesia narrentur, leues tamen existimandæ sunt, si cum ea gratia, atque auxilio conferantur, quam ei Deus in tantis malis, & ærumnis præstaturus est. quę ob eam rē narrantur, ne casu, & temerè huiusmodi mala Ecclesiæ quisquā euenire putet; sed summo Dei cōsilio, & sapiētissima deliberatione. Quare neq; Ecclesia Dei, neque vllus bonus vir debet de fortuna queri, neque immoderatè suum casum lamentari, sciens iam diu id esse à Deo suo deliberatum. quam vtilitatem ex huiusmodi vaticinio Christus percipiendam significauit, cum dixit; Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum, reminiscamini; quia ego dixi vobis. *Super Israel.* Non carnalem, sed verum Israel, id est, Ecclesiam intelligit.

Esa. 30. b.

Gala. 6. b.

Nemo de onere suo tāquā importabili conqueri potest.

Quamobrem calamitates narrentur quę perpessura Ecclesia erat.

Ioann. 16. a.

Dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo. Quoniam de rebus magnis erat dicturus, quas Deus per Ecclesiam erat in orbe terrarum gesturus, ad earum fidem confirmandam, ne cuipiam propter earum magnitudinem incredibiles videantur, Dei immensæ potentiæ, à quo gerendæ sunt, mentionem facit, eamque ex totius orbis creatione declarat. Nulla enim re magis Deus potentiam suam infinitam ostenderat, quàm vniuerso mundo fabricando. Aptè vero, atque descriptè conditi orbis sermo inducitur, cùm de illius restitutione verba facienda sunt. Restituendus autem erat per Ecclesiam, quæ illum ex inani quadam, & vitiosa confusione verbo Dei in ordinem, ornatumque reduxit: sicut ante verbo etiam Dei conditus fuerat. Vniuersam verò mundi constructionem duabus partibus præstātioribus comprehendit, corpore, & spiritu. Corpus autem cœlo, ac terra continetur; quæ primo die condita sunt. Spiritu verò humanus animus, qui vltimo die procreatus fuit. Operibus ergo primi, & vltimi diei, reliquorum dierum opera appositè, & eleganter complectitur. Quod autem dicit. *Extendens cœlum.* Ob eam rem est, quòd cœlum cæteris mundi partibus rarius habeatur, cæterasque omnes ambit. eadem de causa Dauid dicit; Extendens cœlum sicut pellem. *Firmans terram* dicit, quòd terra quia densior, & grauior est, neque mouetur: omnis verò motus circa eam fit; quasi fundamentum totius mundi machinæ videtur. qua de causa Dauid dixit; Qui firmauit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Quod verò dicit. *Fingens spiritum hominis in eo.* alludit ad id, quod in Genesi dicitur; Formauit igitur Dominus hominem, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

Ecclesia quo pacto mundū restituit.

Psal. 103.

Gen. 2. b.

2 *Ecce ego ponam Ierusalem superliminare, crapulæ omnibus populis in circuitu.* In

 Hebræo

Non minus spectat ad eruditionem nostrā quod pœnis quam quod beneficijs afficiamur.

Nunquid in æternū proijciet Deus, aut non apponet vt complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet à generatione in generationem? cur etiam ij, quibus omnia pro voluntate succedunt, fausteque, & feliciter eueniunt, in eodem dubio non sunt? Ego verò (fortè fallor) multò magis de illius salute timeo, cui omnia secunda cadūt, quàm de illo, cui omnia aduersissima accidunt. Ita de beato Ambrosio narratur, in illius hospitio nec per noctem manere voluisse, qui nihil aduersi in vita tulisse narrabat. Itaque sicut medici est non solùm lenire, & alligare vulnera, sed etiam vrere, & resecare: idem etiam existimandum est muneris esse Dei cùm nobis mederi, ac vitia nostra curare vult: ijsque duobus officijs tota eius rerum nostrarū administrandarum ratio comprehensa est. quare qui nullo horum remediorum sanatur, de bona eius valetudine desperandum est. id quod ipse statim declarat, cùm Iudæos hic eiecisse dicit, quòd cùm ijs duabus virgis, decore, & funiculo agerentur, nec meliores eos facere, nec criminibus, & flagitijs leuare potuit. Narrat ergo imprimis quid pedo illo, siue virga, quam funiculum vocauit, effecerit: quod coniecturam affert, præcipuas eius esse partes ad hominum rempub. administrandam, atque eos vitijs leuandos, & in officio continēdos. Vel potiùs ea de causa de hoc pedo nunc differit, quòd ponat alio se antea fuisse vsum. quæ sententia mihi magis probatur, quòd meliùs cum ijs, quæ sequuntur, cohæreat: nam statim tangit euersionem vrbis, & Babylonicum exitium, ad quod supplicium antequam accederet, infinitis eos beneficijs cumulauerat: præsertim quod in hoc supplicio narrando dicit;

Magis de illius salute dubitare possumus, cui omnia secunda cadūt, quàm de illo, cui omnia aduersa accidunt.

Duabus rationibus omnem modum verū nostrarum administrandarum cōprehendis.

Cur de pedo quem vocat funiculum prius mentionem faciat.

Et tuli virgam meam, quam vocaui Decus, &c. abscondi eam. Id est, benignus, & munificus in eos esse desiui. vel fortè de pedo, quem vocauit funiculum imprimis mentionem facit, quòd longè maiorem prudentiam, & rerum scientiam eius vsus requirat.

8 *Et succidi* (ait) *tres pastores in mense vno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me.* Varijs modis id explicatur, & in diuersa tempora confertur. Hieronymus hos tres pastores Moysem, Aaron, & Mariam existimat, quos Deus interfecit antequam Palestinam ingrederentur; quòd eum apud populum non glorificarunt, vt de Moyse, & Aaron narratur in Numeris. & ob eam rem cadere dicit in illos illud, quod propheta dicit; *Anima eorum variauit in me.* Sed non ita bene pastoris nomen in Mariam conuenire puto: Non enim populum administrasse; aut munere vllo præter cæteros functa fuisse legitur. illud etiam quod sequitur non ita quadrat.

Hieronymus.

Et dixi, Non pascam vos, &c. Nam quamuis Hieronymus id aptare nitatur, accidisse dicens, quando iratus Deus propter adorationem vituli voluit funditùs eos omnes delere. id tamen accidit antequam illos tres pastores succideret. quare non rectè texi propheta videtur: præsertim cùm nō dictum solum, sed etiam exprom ptum fuisse propheta significet. atq; adeò quod subiungat.

Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus, &c. Quo apertè significatur (vt mox

(vt mox declarabimus) potestatem à Deo esse factam populis alienis vt eos diriperent, atque vastarent. Vatablus dicit hos tres pastores, tres fuisse magistratus, Sacerdotes, Reges, atque Prophetas; qui post Christi mortem sunt à Deo deleti. sed hanc explicationem affert etiam Hieronymus, cui non multùm probatur. Nam post pastores occisos, mercedem muneris, & officij sui petiuit bonus ille pastor à Iudæis. Quod post mortem Christi non facilè factum esse docebunt: præsertim, quòd ante mortem contigit omnium consensu, vt pro mercede triginta argenteis æstimaretur. quare nisi ad id confugiant, vt dicant non esse historiæ ordinem seruatum, id explicare non possunt. quod si id nos nullo inuerso historiæ ordine aptißimè omnia quadrare ostenderimus, faciliorem, & expeditiorem expositionem componemus. Propheta igitur commemorare vult exempla acerbiora, quæ Deus in Iudæos edidit, suppliciaque grauiora, quibus eos coërcuit pedo illo, siue virgæ suæ funiculo vtens, vt ex ea re clariùs eorum contumacia, & proteruia constet. Grauißimum autem illud supplicium fuit, cum Reges alios de gradu eiecit, & in exilium expulit; alios atrocißima morte absumpsit, ac tandem Ierusalem diripiendam, vastandam, ac diruendam hostibus eius tradidit, quod partim ipse propheta viderat. ait ergo. *Succidi tres pastores*. Id est, tres Reges, Ioachaz, Ioachim, & Sedechiam; qui fuerunt in hostium ditionem redacti, ac regno spoliati, atque in exiliũ ducti; & Sedechias oculis effoßis miserabiliter occubuit, vt narratur in quarto Regum. Quod verò dicit;

Vatablus.

Locus Zachariæ valde implicatus aptißimè exponitur.

Exponit propheta acerbiora supplicia quibus veterẽ populum coercuit.

Vno eos mense occidisse. Mensis pro tempore breuißimo vsurpatur: nam viginti duos annos cum quatuor mẽsibus hi reges regnum possederunt. est tamen illa ratio dicendi, vt mensis pro tempore breuißimo ponatur: sicut Oseas dixit; Nunc deuorabit eos mensis cum partibus suis. id est, breuißimo tempore funditus delebuntur. ita enim exponunt & Latini & Hebræi interpretes. quare significat breuißimo tempore tres Reges ex vna Repub. sustulisse, ad augendam exempli, supplicijque magnitudinem.

Mensis pro tẽpore vsurpatur breuißimo.

Ose. 5. c.

Et contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me. Verbum Hebræum est קצר *cazar*, quod Hebræi stringere, arctare, breuiare, abbreuiare, ac metere significare dicunt: sed propriè est contrahere, & cætera per metaphoram: vt metimus messes, quia eas contrahimus, ac colligimus. Eleganter verò hac dicendi forma propheta declarat odiũ & maleuolẽtiam Dei in nos. Vt enim quando nos Deus amat, quasi diffundere, ac dilatare animum suum erga nos videtur: ita & cùm à nobis aliẽnatur, quasi contrahere, & colligere. dum quicquid boni gratuiti amicus præstiterat, inimicus tollit, & ad se addùcit: ita vt amicus ad nos pertinere, inimicus autẽ à nobis nimis distare videatur. Ita & Adamo iam inimico ligno vitæ interdixit, & è paradiso expulit. ac, vt hoc loco noster propheta docet, cum de Iudæorum salute diffideret, eos ampliùs pascere noluit: & ob eam rem duas illas virgas, quibus illos ad pastus agebat, confregit. quod autem dicit; *Siquidem & anima eorum variauit in me.* Ratio est, cur Deus se illis pastoribus immutaret, & à se

Quando à nobis Deus alienatur quasi animũ suum contrahere videtur.

& à se

& à se quasi deficeret: quòd ipsi priùs collectam eius gratiam effuderunt, seque ab illo disiunxerunt. Vt enim Deus prior in nostram venit amicitiam: ita & posterior amicitiam deserit, vt ipse per Oseam dicit; Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Ose.13.c.

9 *Et dixi non pascam vos.* Præterquã, ait, quod tres illos pastores occidi, cùm omni essent pastore destituti, qui eorum bona procuraret, ego eos pascere nolui, qui solus eis poteram in tanta orbitate subuenire. Sed nonnihil difficultatis in hoc loco est. Dixerat enim duas sumpsisse virgas, ac gregem pauisse, in eoque pascendo tres pastores occidisse, quòd iniquè munere suo fungebantur: modò verò dixisse ait, nõ pascam vos: pugnat ergo quod dixerat paui gregẽ, cum eo, quod modo dicit, non pascã vos. Sed intelligendum est, non pascam vos virga illa, quam decus, & iucunditatem vocauit; hoc est, non beneficijs, sed supplicijs vos afficiam, non iucundus, & placidus, sed acerbus, & asperus vobis ero. id quod ipse statim declarat, cùm decreuisse narrat. *Duo loca propheta cõciliantur.*

Quod moritur, moriatur, & quod succiditur, succidatur, &c. Et tuli virgam meam, quæ vocabatur decus, & abscondi eam. Id est, minimè ea vti volui, sed illa, quæ nominatur funiculus; vt non solum à pastoribus, sed etiam à grege iniquo pœnas repetijsse significet. Non enim de pastoribus solùm, sed etiam de grege per Ezechielem capitulo.34. queritur. Quid autem consequatur ex eo, quod ipse placidè, ac beneuolè eos pascere noluisset, exponit dicens; Ezec.34.

Quod moritur moriatur: & quod succiditur, succidatur, & reliqui deuorẽt vnusquisque carnem proximi sui. Tribus malis eorum scelera se vindicaturum minatur, peste, bello, & fame; quibus plagis inimicos suos vlcisci solitum esse multis in locis sacra scriptura docet. Qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio, fame, & peste ait Ieremias capit.21. & .38. Ita cum à Dauide pœnas peccati persequi vellet, per Gad prophetam horum trium malorum ei optionẽ dedit, vt narratur. 2. Reg. capitulo vltimo. Nulla enim mala rempub. vehementiùs vastant, & labefactant. Nihil ergo mali in repub. non est, si asperè, & acerbè cum ea se Deus gerere voluerit. & ob eam rem cum Moyses intelligeret, in offensa apud Deum populũ in deserto esse, noluit, vt iter faceret, & vltrà progrederetur, quoùsque in pristinam gratiam rediret, & Deus eis se adfuturũ promitteret: secus enim infaustũ iter futurum esse ducebat. *Tribus plagis Deus inimicos suos vlciscitur.* Iere.21. & 38.a. 2. Reg. 22. *Nihil mali in repub. non est si cum ea se Deus aspere gerere voluerit.* Exod.33.c.

10 *Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus, & abscondi eam.* Id est, nolui vt beneuolo me, & familiariter vterentur ij, qui beneuolentia, & benignitate mea ad libidines suas fouendas abutebantur. Hac enim pœna multantur, qui beneficijs, & bonitate Dei frugi nõ fiunt, vt graues eius iras magno suo incommodo experiantur. & ob eam rem Ecclesiasticus ait; Misericordia, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. quod verò dicit. *Abscondi.* in Hebræo est אגדע egdah, succidi; excidi. & ita in plerisque exemplaribus editionis vulgatæ est, non abscondi, sed abscidi. *Qua pœna multentur qui Dei beneficijs frugi non fiunt.* Eccl.5.b.

Vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis. Elegans & subtilis est dicendi modus, ad significandum potestatẽ omnibus populis, fecisse

fecisse diripiendi,& euertendi Ierusalem. Nam cùm antea nullus populus Ierusalé auderet inferre bellum, Deo, cuius vrbs esse dicebatur, ita statuente, atque decernente; videbatur Deus quasi fœdus cum omnibus populis fecisse, ne vrbem suam bello lacesserent. eadem ratione dicendi vtitur
Iob.5.d. Eliphaz apud Iob; Cum lapidibus regionum pactum tuum: & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. id est, nec lapides, nec vllæ bestiæ te lædent, si cum Deo in gratia fueris. atque in his duobus locis synedocha sacrosancta scriptura vtitur; nam ponit species pro genere. Nihil enim eorum, quæ natura continet, nocumentum, aut molestiam afferet ei, qui Dei auxilio nititur, eiusque se totum tutelæ commisit. quod exponit copiosè Dauid; Non accedet (ait) ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis: in manibus portabũt te; ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Contrà verò exulcerata diuina gratia hoc fœdus irritum, & infectum esse videtur. multa enim damna, multa detrimenta manent virum impium. ex quo fit, vt in magno periculo versetur. Nam cùm omnes creaturæ stent à Deo, eiusque partes sequantur; qui cum Deo dissidet, non solùm cum populis (vt hic noster propheta dicit) sed etiam cum omnibus creaturis gerere inimicitias videtur. Quamobrem cum Adam Dei gratiam teneret, omnes creaturæ corporis participes ei subditæ erant, ei ad nutum obediebant; ita vt terra ipsa sua sponte sine aliquo laborioso cultu vberrimos fructus afferret. postquam verò desciuit à diuina gratia, statim rebellarunt, ita vt multo labore, multa opera, cura, & solicitudine ei opus esset ad eandem terram subigendam, atque domandam, vt acceptos ei fructus redderet. Idcirco propheta dicit, irritum factum fuisse fœdus, quod cum populis percusserat.

Nihil nocebit ei qui Deo innititur. (margin)

Psal.90. (margin)

In magno periculo versari impium virum. (margin)

11 ***Et in irritum deductum est in die illa.*** quod addit tum ad significãdum obsequium, quo sunt res omnes erga Deum, vt ipso quidpiam decernente, nihil ampliùs repugnent. & ita plerique interpretantur illud Psalmi; Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus his nomina vocat. id est, vt seruas vocat, eique statim obediunt, & quæ vult exequuntur. Tum his verbis significat, non solùm irritum factum fuisse fœdus, vt antè dixerat, bellum indictum aduersus Ierusalem; sed etiam gestum, & expromptum fuisse. Nam cùm primùm peccator in Dei cadit offensionem, fœdus etiam cum omnibus creaturis rumpitur, & bellum aduersus eum denunciatur. minimè verò statim fit, sed tum re ipsa fieri videtur, cùm mala veniunt, & calamitates opprimunt.

Psal.146. (margin)

In irritum ergo fœdus deductum est, Hoc est, graui bello Ierusalem pressa fuit, multa incommoda, & detrimenta pertulit. quæ declaratio maximè cohæret cùm eo, quod statim sequitur.

Et cognouerunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi; quia verbum Domini est. Pauperes gregis vocat vt supra, viros pietate prædit os, quos diuites, & iniqui homines fortunis spoliabant, contemptui habebant, & ad extremam inopiam redigebant: si enim grassentur impij, & præcipites libidine sua ferantur, magnam viri probi iacturam faciunt.

Si præcipites libidine sua ferantur impij magnam viri probi iacturam faciunt. (margin)

 faciunt.

faciunt. *Qui custodiunt mihi.* Id est, qui mea custodiunt præcepta, meque obseruant, & colunt, cognouerunt inquam. *Quia verbum Domini est.* דבר *dabar*, significat & verbũ, & rem: & vtraque significatio quadrat. id est, cum Rempub. conuulsam viderent, cognouerunt hoc esse à prophetis prædictum, Deumque, quod fuerat minatus, præstitisse. Vel cognouerunt acerbas calamitates, & grauissima dãna, à Deo esse propter ipsorum pecca

Tob. 3.

ta immissa. quemadmodum id Tobias cognouit qui dixit; Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem. &c. Et nunc Domine magna iudicia tua, quia nõ egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus synceriter coram

Dan. 9. b.

te. & Daniel; Non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per seruos suos prophetas. &c. & stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui

Est sancti viri vt irã Dei & eius causam in rebus aduersis cognoscat.

Dei, quia peccauimus ei. Est enim sancti, iustiq; viri, vt iram Dei, & eius causam in malis, & rebus aduersis cognoscat: stulti verò, & iniqui homines totius calamitatis culpam aut in fatum, aut in humanum errorem, aut in alterius improbitatem, non in se conferunt: & ob eam rem nullis flagellis, nullis plagis se ad frugem corrigunt. longè enim insipiẽtius, & stultiùs quàm bestia verbera, & dolores accipiunt. quem morbũ à nobis auer

Psal. 31.

tere conatur Dauid dicens; Nolite fieri sicut equus, & mulus, in quibus nõ est intellectus: in chamo & freno maxillas eorũ cõstringe, qui non approximant ad te. Comparat iniquos non cum quouis equo, & mulo, sed cum eo, qui indomitus, & malè institutus est, quem non nisi vi, ita vt recusare, & resistere non possit, ad te trahes, & in munere suo continebis. Ita & nonnulli homines tantum quia non possunt, peccare cessant; & ob eam rem solent nonnunquã magnis ærũnis, & doloribus angi, vt statim adiũgit Dauid dicens; Multa flagella peccatoris. quòd misericordia & pietas diuina multis modis, vt ad se redeant, tentat.

12 *Et dixi ad eos, Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite.* Exposuit pastor ille præstantissimus Deus res præclarissimas in grege suo pascẽdo gestas: modò alias longè præstantiores exponit, vt quanta fuerit cura, & solicitudo eius in ouibus suis agendis cognoscatur. *Et dixi ad eos.* inquit: quo significat, non per prophetas, sed per seipsum cum populo fuisse locutum, onusq; pascẽdi gregis ipsum per se subijsse. quod accidit, quãdo verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & verus ille pastor animam suam posuit pro ouibus suis. Ipse enim gregẽ admirabiliter pauit petendo mercedẽ muneris, & officij sui per tot annos exhibiti. Sed quænã merces hęc fuit, quã Christus pro tantis erga nos beneficijs postulauit? vt in eũ scilicet perfectè crederemus. id quod ipse Christus declarat apud Esaiam capite quadragesimonono, quo cum tot oues Iudæas perditum ire videret, ab Esaia inducitur grauiter querens, se frustra tot labores suscepisse, ac dicens. Ego dixi in vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi; quare vt non essent inanes, frustra, & sine mercede vlla labores Christi, oportebat esse veros, perfectosq; credẽtes. Nã ipse nõ pro se, sed pro nobis

Magna Dei solicitudo in ouibus suis agendis.

Ioan. 1.

Quam mercẽdem Christus pro tantis beneficijs suis erga nos postulauerit.

Esai. 49.

mortuus est, atque non tam vt sibi, quàm vt nobis vtilitatem afferret, tot labores, & ærumnas exantlauit. quare si nemo ex eis fructum vllum perciperet, irriti & inanes esse videbantur. quod magis declaratur eodem capite, quo, vt ei Pater æternus ostendat magnam ex tanto labore mercedem reportaturum esse, nihil aliud illi proponit, nisi innumerabilem gentium multitudinem in eum credituram. Parùm mihi est (ait) vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas: dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ: idque per totum ferè caput vehementer amplificat. Hanc ergo mercedē vt in eum Iudæi crederent, multis verbis, multisque modis, tribus annis, quibus publicè docuit, ab illis ipse petiuit, neque vllos homines ferè, præter illos ad hoc officium inuitauit: quia nullis nisi Iudæis toto vitæ suæ tempore Euangelium exposuit: quò illorum summa ingratitudo magis arguitur, & conuincitur. Quòd verò dixisse ait.

Afferte mercedem meam; si non, quiescite. Ostendit liberum nostrum arbitrium, quo fidem oportet suscipere; opusque esse liberi arbitrij nostri fidem, & omnē salutem nostram, ita vt in potestate nostra sit, vt credamus, & vt non credamus. Quare hic locus multum valet ad Luteranos hæreticos, & alias huiusmodi quisquilias refutandas, & conuincendas. Ex hoc etiam intelligi licet eos, qui fide, & charitate Christum non amplectuntur, quantum in se est irritam, & inanem facere, ac fine causa susceptam indignissimam, & pretiosissimam mortem Christi: neque quidquam excussare posse cur tam ingrati fuerint, nihil mercedis pro tam infinito beneficio pendentes.

Liberi arbitriū opus esse fidem & omnem salutem nostram.

Qui Christū non amplectūtur, irritam quātum in se est eius mortem efficere.

Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Id literaliter, & historicè intelligitur de Christo triginta argēteis à proditore Iuda venūdato, vt declaratur à Matt. ca. 27. Descriptissimo verò, & accōmodatissimo loco, mentionē facit istius vēditionis, quæ initium crudelissimæ, & atrocissimæ mortis fuit; ad malitiam, & improbitatem nefariam illius populi meliùs declarādam. Nam cum gratiam Christo, obtemperando, & obsequendo vt suæ salutis auctori deberent cumulatissimè referre, retulerunt vilissimo pretio æstimando; & vt acerbissima morte multarent comparando: vt illud verum sit, quod apud Esaiam Christus de populo ingratissimo isto dixit. Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iustitiam, & ecce clamor. Quis enim pro tantis beneficijs tam impiam, & iniquam mercedem expectaret, vt postquam populum istū iam inde ab exitu ex Ægypto pauerit, gubernauerit, infinitis beneficijs, & ornamentis auxerit, tantorum beneficiorum auctorem à se eijceret, & atrocissimè necaret? Aut quis non spes fallaces, & inanes existimet, quas quispiam in homine ponat, qui gratiam tam immaniter, & impiè Christo retulit? Ita Dauidem pro Philistæo necato, populoq; ignominia, & graui metu liberato, Saul anxiè ad illum interficiendum quærebat. Moysen, & Aaron, quorū opera in libertatem asserti, & graui iugo soluti erant, populus aliquando lapidibus obruere tentauit. Rectè igitur Ieremias ait, Maledictus homo qui confidit in homine.

Matt. 27.

Improbitas nefaria populi Iudæorum aptissimè declaratur.

Spes fallaces esse quas quis quam in homine ponit.

Iere. 17.

13 *Et dixit Dominus ad me, Projice illud ad sta-*

ad statuarium. Miro & occultissimo modo paucis verbis propheta comprehendit, quod à proditore Iuda, & à Sacerdotibus templi ex illo pretio factum est. nam pro statuario, in Hebræo est יוצר *iozer*, quod si in principio scribatur per. י. figulum, siue statuarium significat: si autem per. א. thesaurarium, siue qui ærario præest, declarat. solet autem. י. pro. א. poni apud Hebræos, quod etiam commune est alijs literis, quas quiescentes appellãt. quare & figulum, & thesaurarium, siue quæstorem significare potest. Proiecit autem Iudas pretiũ ad principes, & sacerdotes eos, quos esse quęstores templi putandum est: nam deliberarũt, an in corbonam illud mitterent. pertinebat igitur ad illos, illius custodia. Sacerdotes autem pretium proiecerunt ad figulum, vt agrum illius emerent. vtramque ergo proiectionem vno verbo comprehendit.

Explicat propheta paucis quod a proditoribus tẽpli ex illo pretio factum est.

Sed illud difficiles hoc loco explicatus habet, quòd Matth. hunc locum nõ ex Zacharia, sed ex Ieremia citat: in toto verò Ieremia non inuenitur, quare aut dicendum est Zachariam, Ieremiam etiam fuisse vocatum: & tunc dicendum est, Matth. non verba, sed sententiam prophetæ citasse; ita enim hunc locum refert. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretiũ appretiati, quod appretiauerunt à filijs Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut cõstituit mihi Dominus. Vel dicẽdum est, verba hæc Ieremiæ esse, cuius vaticinium in hac parte nõ extat: multa enim volumina sacrosanctæ scripturæ desiderantur, vt libri Addo prophetæ, & Semeiæ qui citantur. 2. Paralip. 12.

Zacharias cũ Matthæo conciliatur.

Matt. 27.

Decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Per irrisionem intelligẽda sunt: nullo enim dicendi modo meliùs significatur, quàm exiguum, quàm vile pretium pro tantis beneficijs, pro tãto viro, ac denique pro Deo fuerit. Quòd si Deum cum doctrina, cum beneficijs immensis suis homines nõ pluris quàm triginta argenteis æstimarũt, quid vel sanctissimus, doctissimus, & optimè meritus homo miretur, si à mundanis hominibus contẽnatur? Verùm se pluris, quàm Christum facit? num gratiori animo in se mundum futurum existimat, quàm erga Christum fuit? nunquid pro exiguis beneficijs maiorem ab hominibus mercedem expectat, quàm Christus pro infinitis reportauit? Illud ergo secum cogitet, quod Christus nos monet; Non est seruus maior Domino suo, neq; discipulus magistro suo. Si me persecuti sunt, & vos persequẽtur. & obeam rem ab humana mercede, & gloria mentem auocet, seque totum ad diuinam mercedem, & gloriam cogitãdam traducat, & ducem ac magistrum suum Christum sequatur dicentem; Claritatem ab hominibus non accipio.

Nihil esse quod pius homo miretur si à mũdanis hominibus cõtemnatur.

Matt. 10.

Ioan. 5.

Et tuli triginta argenteos; & proieci illos in domum Domini ad statuarium. Repręsentat in visione prophetica vates noster quod Iudas proditor facturus erat, vt narratur à Matth.

14 *Et præscidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, vt dissoluerem germanitatem inter Iudam & Israel.* Apertè vaticinium hoc significat expellendos à Deo esse Iudæos, & veros Iudæos, hoc est, christianos accipiendos: nam duobus (vt dixi) modis, omnis ratio diuina docendi, & omnis agendi cõprehenditur; quos duabus

illis

illis virgis significari diximus, Decore & funiculo. quare qui earum altera non pascitur, eius curam, quod ad eius salutem attinet, Deus abiecisse videtur: hisque duabus virgis Hebræos pauit. Primam autem, quam vocauit Decorem, fregisse dixerat; secundam quæ reliqua erat, etiam modò fregisse significat. Hinc intelligi licet, maximam Dei iram, & extremum supplicium esse scelera non vlcisci; sicut illa maxima parentis ira putatur, cùm filium à se repellat, neque ampliùs in eum animaduertere velit. quamobrẽ dicit Ezechiel; Zelus meus recedet à te, & non irascar tibi ampliùs. & pro magno beneficio numerat Dauidi, quòd à filijs suis, si peccauerint, pœnas expetet dicens; Si leges meas profanauerint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Quare Deus Iudæorum curam prætermisisse, nec vlla ratione eos pascere videtur. hoc est, oues & populus Dei minimè post hac dicendi sunt. Cùm verò dicit.

Extremum Dei supplicium in hac vita esse scelera nostra nõ vlcisci.

Vt tollerem germanitatem inter Iudam & Israel. Non omnes Hebræos esse reijciendos significat, sed dissidium inter eos futurum, ita vt non eadem sit eorum conditio, sed alij ad populum Dei pertineant, alij verò non, & inter se pugnent, atque dissideant. id quod cap. sequenti clariùs exponit.

Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem. Quæ quidem mira valde Iudæis essent, vt Iudæi Ierusalem oppugnarẽt, quæ erat eorum domicilium quam tam anxiè ædificare, & restituere cupiẽbant: vidimus tamen esse præstitum, cùm Iudæi veram Ierusalem id est, Ecclesiam tãto studio oppugnarunt, vt ex actis Apostolorum, & ex morte Christi, eius capite, cognoscitur. hanc ergo germanitatem hic dissoluendam esse prędicit. Qua ratione dicendi alludere videtur ad id, quod Ahias Silonites propheta fecit, vt Ieroboam Salomonis regnum, quod duodecim tribus comprehendebat, diuidendum esse nuntiaret. Pallium enim suum ad id declarandum scidit. Ita & magnus propheta Christus pedum, quo oues suas versabat, præscidit ad similem diuisionem significandam. quare illud factum Ahiæ Silonites, & ipsam Hebręorum diuisionem temporibus Roboã imaginem fuisse credendum est eius diuisionis, quam hic noster propheta nunciat, inter veros, & carnales Israelitas. Veri enim Israelitę sunt (vt Paulus Romanis probat) qui Christum sequuntur: carnales è genere Abraham oriundi. & quẽadmodum assiduum bellũ fuit post illam diuisionem inter Israelitas, & Iudæos; ita & post hanc, quæ fuit temporibus Christi magnum semper est certamen inter veros, & carnales Israelitas.

Figura præcisionis quæ fuit à populo Dei Israelitæ præcisi.

3.Reg.11.

3.Reg.11.

Qui veri sint & qui carnales Israelitæ.

15 *Et dixit Dominus ad me, Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.* Id est, præterquam quod ego eos eijciam, quoniã oues sine pastore agi, & gubernari nõ possunt, volo vt stulto pastori tradantur custodiendæ: siquidem frugi, & industrium repudiarunt. Nihil enim reliqui est eis, qui in summa cura, industria, & sapientia fastidiunt, quæ in Christo fuêre, nisi stultitia, insania, & temeritas, quibus præter cęteros mortales omnes præditus erit Antichristus. quare in illum quæ sequuntur imprimis conuenire videntur. ita fiet quod hispanè in communi prouerbio versatur, *quiẽ no cree a buena madre que*

Quid eis reliquũ sit qui in summa Dei erga eos cura fastidiũt

Meritò fuerunt Antichristo permissi Iudæi

que cres a mals madrastra. Sic enim Christus Iudæis dixit; Ego veni in nomine patris mei, & non crediderunt mihi; alius veniet in nomine suo, & credent ei. aptèque in Iudæos cadit parabola illa à Ioatham proposita viris Israel, qui septuaginta ferè trucidatis filijs Gedeon, à quo tanta beneficia acceperant, Abimelech tantæ cędis auctorem Regem delegerunt: tandemque conclusit dicens; Si ergo rectè, & absque vitio egistis cum Ierobaal, & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis: sin autem peruersè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichē & oppidum Mello. Talis erit Antichristus pastor à Iudæis deligendus, qui eos perdat, & labefactet. quem visione prophetica repręsentare Zacharias verbis prædictis iubetur. Sed non difficultate vacat, cuiusmodi vasa hæc futura erant, quæ stultum pastorem exprimerent. Hebræi quidam dicunt; peram esse iussto cōtractiorem, quæ res omnes pastori necessarias capere non possit. ex quo fit, vt cum in locis desertis, rebus ad cibum necessarijs destituatur, ad oues vel necandas, vel vendēdas conuertatur. Vatablus dicit, peram esse pertusam, ex qua, quę cōtinet, effluat. Sed non ita planè stolidum pastorem huiusmodi pera significare videtur; nec si aliquem pastorem ea instructum videremus, eū stolidū iudicaremus: pręsertim quod hic non in suis, sed in ouium commodis procurandis negligēs describitur. Quare meliùs esse duco, vt qualis fuerit habitus pastoris stulti ex ipso vaticinij contextu petamus: non enim id à vate prætermitteretur, nisi intelligeret ex ijs, quæ dicta sunt, intelligi posse. Hoc ergo capite describit propheta duplicem pastorem, sapientissimū, & stultissimum. Sapientissimi omnia instrumenta posuit, quæ illis duabus virgis continentur, vt explanauimus: cùm ergo stultissimus pastor huic sapientissimo contrarius in grege procurando sit, alia debet ratione oues procurare, eiusque habitus, quod ad rem attinet hāc, alius esse debet. Eum igitur oportet habere aut plures virgas quàm duas, aut nullas, aut vnam tantùm. Plures habere non potest; quia omnis (vt dixi) ratio pascendarū ouiū in illis duabus virgis posita est. Aut nullas, sed hoc erit omnino non esse pastorem: nam si nulla ratione pascit; omnino non est pastor. Necesse igitur est, vt stultus pastor vna tantùm virga vtatur. Vasa igitur pastoris stulti sunt vna virga, vel vnus baculus. hoc est, non nisi vna ratione oues agit, vel ouibus semper blandiendo, & obsequendo; vel eas semper affligendo, & incommodando. cui explanationi magno sunt argumento verba Hebręa. Nam in Hebręo est, sume tibi כְּלִי *celi*, quod vas in singulari significat. Neque pugnat versio vulgata cum nostra explicatione: nam præcipitur prophetę, vt sumat vasa, id est, instrumenta pastoris stulti, quæ omnia vno vase, id est, instrumento, vt argumentando collegimus, comprehēduntur. Vel est phrasis Hebræa instrumenta pro altero instrumentorū, ratio dicēdi sæpe ab Hebræis vsurpata, vt superioribus explicuimus. qua ratione plerique non malè explicant illud Matth. 27. Latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei, id est, alter latronum: vt cum Luca conueniat, qui dicit alterum latronū ab improperijs, & iniurijs socij sui Christum defendisse, seq; totum illi commendasse,

Ioan. 5.

Iud. 9. c.

Difficile est scire, quę nā fuerint vasa pastoris stulti.

Vatablus.

Qualis fuerit habitus pastoris stulti ex ipso vatis contexto declaratur.

Iniquus pastor vna tantum ratione oues agit.

Mat. 27. Locus Matt. exponitur.

mendasse: quam ob rem tantam eius gratiam iniuit. Cum ergo iustum esset prophetę sumere alterum instrumentorum pastoris stulti, sumpsit omnium deterrimum, vt pastorem stultissimum describeret, sicut antea sapientissimum. Omnium autem deterrima ratio pascendi oues est virga illa, quæ Funiculus fuit appellata, id est, terroribus, & detrimentis ouibus afferendis. ex quo fit vt de hoc stultissimo pastore non nisi damna, incōmoda, & exitia narrentur. quod etiā coniecturam affert, eius arma, & instrumenta vnam tantùm virgam, Funiculū scilicet fuisse. verbū etiā Hebrēū pluraliter explicari potest, punctis tātū mutatis. recte igitur est à nobis, cū omnia cōsonent, locus hic declaratus. Reddit deinde rationē, cur iubeat ei vasa stulti pastoris sumere.

Deterrima ratio pascendarū ouium est terroribus tantum afferendis.

16 *Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit.* In Hebræo est נִכְחָדוֹת *nichadoth*, id est, succisas, hoc est, oues deploratas, & de quibus desperatur. quod potest intelligi vel de ouibus, ex quibus nihil vtilitatis, nihil fructus vlla ratione se reportaturum existimat; vt pleriq; Reges, & Episcopi, qui illos tātum subditos, ex quibus vtilitatem se laturos arbitrantur, curāt; reliquos negligunt: nō enim ouium, sed suam vtilitatem in grege pascendo quærunt. Aut ad eos etiam hoc referri potest, qui magnis aliquibus criminibus, & flagitijs tenentur, longèque ab officio desciuerunt; de quibus ipse sanandis non laborabit: in quo pastoris opera vehementer cernitur. Vt enim Deus neminem vel pessimum, & nefarium hominem destituit omnino, quamdiu viuit: ita & bonus pastor debet nonnunquam inuisere, & visitare, id est, quibuscumq; rebus possit adesse vel profligatis hominibus, si quando det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à Diaboli laqueis, quibus captiui tenentur, vt ait Paulus. 1. Tim. 2.

Iniquus pastor eas negligit oues, ex quibus nihil vtilitatis se laturum existimat.

Iniquus pastor nihil de sanandis ouibus deploratis laborat.

Dispersum non quæret. Vt Christus ouem illam, quam amiserat, quęsiuit, sicut ipse de se testatur. in Hebræo est הַנַּעַר *hanahar*, non quęret, hoc est, iuuenem non quæret: ij enim qui quasi lasciuientes agni iuuenili quadā perturbatione cōmoti peccant, non contemnendi, & prætermittēdi sunt, sed omni studio ad caulas reuocandi, ad officiūq; sunt reducendi; vt Dauidē Deus per Nathā prophetā quæsiuit.

Et contritum non sanabit. Id est, virga illa dura, atq; seuera pastoris contritum, hoc est, graui aliqua animaduersione afflictum, atq; commotum, doloreque nimio, & ignominia affectum non rursus leuabit, & dolorē leniet: quemadmodum Paulus priori Epistola acriter Corinthios reprehendens, magnaque tristitia afficiens secunda Epistola leuauit, & valde consolatus est, sic, vt illis scribat. Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitētiam: contristati enim estis secūdum Deū, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quātam in vobis operatur solicitudinem, &c. in omnibus exhibuistis vos incōtaminatos esse negotio. Vt enim cōterere virgæ est, quæ appellatur Funiculus; ita & leuare virgæ, quæ Decus vocatur, qua iste improbus pastor carebit. 2. Cor. 7. e.

Iniquus pastor no leuat graui aliqua animaduersione afflictū.

Et id quod stat, non enutriet. Id quod languidum, & macie confectum est, ita vt in itinere cōsistat, gregēq; sequi non possit, non fouebit. id est, eos qui infirmi sunt, exiguaque virtute præditi:

ditrita vt & fortium, & constantium virorum virtutem, & pietatem non imitentur quos pastores debét, ne eo rum animi frangátur, verbis & exem plis excitare, & ad constantiam, & fortitudiné impellere, vt Paulus mo het Romanos. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. in He bræo est non יכלכל *icalcel*, id est, ful ciet, atque portabit, subaudite hume ris suis, sicut Christus ouem illam, vt ipse testatur, quam amiserat.

Boni pastores debent infirmos excitare, & ad fortitudinem impellere. Rom. 15.

Carnes pinguium comedet. Hoc est di tari, & bene pasci ex grege cupiet: po tiùs enim suam, quàm ouium vtilita tem spectabit: contrà egregius pastor ille Paulus, vt ipse Actorum. 20. testa tur, argentum, aut aurum, aut vestem nullius cócupiui, sicut ipsi scitis: quo niam ad ea, quæ mihi opus erant, mi nistrauerunt manus istæ.

Bonus pastor non quærit suã, sed ouiũ vtilitatem.

Et vngulas eorum dissoluet. Vel plus æquo in itinere incitãdo, vel per aspe ra, & prærupta loca agendo: vt ij pa stores faciunt, qui multas, & diffici les leges subditis imponunt, de qui bus Christus ait, Alligant onera gra uia, & importabilia super humeros hominum. Eosdem Deus reprehen dit per Ezechielem; Cum austeritate imperabatis, & cum potentia. ac de niq; eadem propè crimina obijcit ini quis pastoribus per Ezechiel; Quod crassum erat occidebatis: gregem au tem meum non pascebatis. Quod in firmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, nõ alligastis; & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis: sed cum auste ritate imperabatis, & cum potentia. quare eisdem criminibus tenẽtur ini qui pastores, in quos hæc nostri pro

Iniquus pastor multas & difficiles leges subditis imponit.
Matt. 23.
Ezech. 34
Ezech. 34.

phetæ verba etiam conferri possunt. Sed quoniam in illo omnium pessi mo pastore Antichristo clariùs hæc eminebunt, & in promptu erunt, ob eam rem in illum imprimis conue niunt, sicut etiam quæ in Psalmis, & Prophetis de viro iusto, ac virtute prædito scribuntur, multò perfectiùs in Christum, totius iustitiæ fontem cadunt. & ob eam rem Ioannes dicit. Plures Antichristi sunt: vt enim no men, sic & facta Antichristi scelera tis hominibus attribui possunt.

Iniqui pastoris conditiones longe perfectius in Antichristo conueniunt.

17 *O pastor, & idolum, delinquens gre gem.* Exclamatio est indignationis, & miserationis plena: indignatur ob ne fariam pastoris iniqui crudelitatem: dolet verò de tristi ouium fortuna, quæ in talem pastorem inciderunt. *O pastor, & idolum*: aliqui interpretan tur, qui se vt Deum adorare, obseruaɾ reque faciet, sicut dicit Paulus. Qui extollitur suprà omne quod dicitur Deus. sed meliùs est vt phrasim He bræam esse dicamus, qui vt idola vo cant res vanas, & nihili, quæ non rem, sed quandam rei imaginem inanem, & vanam præseferunt: ita vicissim in rebus vanis idoli nomen vsurpant. & ita hoc loco nomen Hebræum est אליל *ilil*, quod rem vanam, & inanem & inutilem propriè significat. ex quo fit vt idolum etiam sæpe significet. di cit ergo propheta. *O pastor, & idolum.* Hoc est, ô pastor, qui nomen tãtum, & imaginem pastoris habes, nullo ta men pastoris munere fungeris, sed im manis, & truculẽtissimæ bestiæ. Quo tus enim quisq; pastor est, qui gregẽ suum deserat? at tu & derelinquis, quod inutile putas, & laceras quod pingue tibi, & vtile videtur.

1. The. 2.
Phrasis Hebraea idolum pro re vana.

Gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius. Disseruit de scele ribus

Qua poena sit Antichristus mulctandus. tibus Antichristi: nũc qua pœna mul tãdus sit, exponit. id est, omnes eius vires confringentur, & robur, ac potentia conuelletur. quæ in duabus rebus posita est; vel in viribus humanis: multas enim copias, & grandes exercitus coget, *Antichristus multis copijs bellum inferet.* quibus bellum inferet orbi terrarum; quæ omnes effundendę, ac dissipandæ sunt, & innumerabilis hominum multitudo interficienda. quod vates prædicit futurum verbis illis. *Gladius super brachium eius.* Brachium enim copiæ, & exercitus eius dicuntur, quòd illis vniuersas gentes redigere in potestatem nitetur. quod etiam Ezechiel vaticinatus est dicẽs.

Ezec. 39. Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua deijciam; Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui qui sunt tecum, &c. Posita etiam est eius potentia in astutia, *Antichristus res suas callide administrabit.* & sagacitate humana, qua res suas callidè, & astutè per aliquod tempus administrabit, & omnibus præstigias, & fucum faciet. de quo dicit Paulus; Cuius aduentus secũdum operationem sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs, & mendacijs, & in omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt. hanc astutiam, & calliditatẽ. *Oculum* propheta vocat, quem gladio effodi cupit, & effodiẽdũ vaticinatur. idem que rursus ampliùs explicat dicens;

Brachium eius ariditate siccabatur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Hoc est robur, præstigiæ, & calliditas eius pariter consumentur, ita vt nemo partes eius tueatur, nihil ampliùs tergiuersari, aut itam Dei effugere, aut vllo pacto declinare possit. vt

2. Thes. 2. Paulus ait; Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.

CAPVT. XII.

1 *ONus verbi Domini super Is- A*
rael, Dicit Dominus exten-
dens cœlum, & fundans terram, &
fingens spiritum hominis in eo.
2 *Ecce ego ponam Ierusalem super-*
liminare crapulæ omnibus populis in
circuitu: sed & Iuda erit in obsidione
contra Ierusalem.
3 *Et erit in die illa, ponam Ierusa-*
lem lapidem oneris cunctis populis:
omnes qui leuabunt eum, concisione
lacerabuntur: & colligentur aduer-
sus eam omnia regna terræ.
4 *In die illa dicit Dominus, percu- B*
tiam omnem equum in stuporem, &
ascensorem eius in amentiam: & su-
per domum Iuda aperiã oculos meos,
& omnem equum populorum percu-
tiam cæcitate.
5 *Et dicent duces Iuda in corde suo,*
Confortentur mihi habitatores Ieru-
salem in Dño exercituum Deo eorũ.
6 *In die illa ponam duces Iuda sicut*
caminum ignis in lignis, & sicut fa-
cem ignis in fœno: & deuorabunt ad
dexteram & ad sinistram omnes po-
pulos in circuitu: & habitabitur Ieru
salem rursus in loco suo in Ierusalem.
7 *Et saluabit Dñus tabernacula Iu*
da, sicut in principio: vt non magnifi-
cè glorietur domus Dauid, & gloria
habitãtium Ierusalem cõtra Iudam.
8 *In die illa proteget Dñs habitato- C*
res Ierusalẽ, & erit qui offenderit ex
eis in die illa, quasi Dauid, & domus

Dauid quasi Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eorum.
9 *Et erit in die illa: quæram contere re omnes gentes quæ veniunt contra Ierusalem.*
10 *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet in morte primogeniti.*
D 11 *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon.*
12 *Et planget terra: familiæ & familiæ seorsum: familiæ domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum.*
13 *Familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum.*
14 *Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.*

1 O*Nus verbi Domini super Israel, Dicit Dominus extendens cœlum.* Capite decimo exposuit propheta noster quantis donis, beneficijs, & ornamentis Deus erat Ecclesiam per Christum cumulaturus: vndecimo verò narrauit Iudæos esse repellẽdos, quòd Christo repugnauerint, & iniquissimo pastori excruciandos, vexandosque relinquendos. ne sibi autem quisquam persuadeat, solos iniquos homines in hoc æuo incommodis conflictaturos, disserit modò de calamitatibus, & ærumnis ijs, quibus Ecclesia Deo charissima premenda etiam & afficienda est. Vt enim Christus caput eius non modò miraculis, prodigijs, rebusque alijs clarissimis ab eo gestis, præconijs de gloria, & dignitate sua, non ab hominibus, sed à Deo patre è nubibus editis; sed etiam laboribus, damnis, calamitatibus, & detrimentis grauissimis præclarus est, illustrisque redditus; imo longè maiorem gloriam, & honorem ex ignominijs, & cruciatibus, quàm ex miraculis, & prodigijs ab se editis reportauit. Nam non propter hęc, sed propter illa Paulus exaltatũ fuisse Philippensibus scribit: ita etiam non minùs pertinet ad laudem, & dignitatem Ecclesiæ suæ, quòd sæuis hominum odijs acriter oppugnata, & iniquis eorum consilijs circunuenta, & indignis modis accepta, nunquam superari, nunquam deleri, & obrui potuit. Ex quo etiam illud intelligitur, quod Salomõ in Ecclesiast. dicit; Vniuersa æquè eueniunt iusto, & impio, bono, & malo, mundo & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti: sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille, qui verum deierat. Quare nemo debet nec propter bonam fortunam immoderatè efferri, neque propter iniquam desperare, vel nimis animum demittere. *Onus.* in Hebræo est משא *masa*, quod onus propriè significat; per translationem verò prophetiam grauia, acerbaque minantem, quòd onere suo premat eos, in quos inuehitur; aut quòd calamitates, & labores

Christus non solum miraculis sed etiã calamitatibus illustris redditus est.

Phil. 3.

Maxime pertinet ad Ecclesiæ laudem quod sæuis odijs oppugnata nũquam vinci potuit.

Eccle. 9. a.

labores contineat, quæ à Deo hominibus, sicut ab agasonibus onera iumentis distribuuntur. ita Esaias inquit; Onus iumentorum Austri. & Paulus. Vnusquisque onus suum portabit. Cumque huiusmodi onera à Deo sapientissimè imponantur, nemo meritò de onere suo, tanquam importabili conqueri potest: præsertim ij, qui Dei gratiam, & beneuolentiam pro virili parte sequuntur, de quorum onere agitur hic: ijs enim Christus dicit; Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Quare licet non leues calamitates, & ærumnę hic de Ecclesia narrentur, leues tamen existimandæ sunt, si cum ea gratia, atque auxilio conferantur, quam ei Deus in tantis malis, & ærumnis præstaturus est. quę ob eam ré narrantur, ne casu, & temerè huiusmodi mala Ecclesiæ quisquã euenire putet; sed summo Dei cõsilio, & sapiẽtissima deliberatione. Quare neq; Ecclesia Dei, neque vllus bonus vir debet de fortuna queri, neque immoderatè suum casum lamentari, sciens iam diu id esse à Deo suo deliberatum. quam vtilitatem ex huiusmodi vaticinio Christus percipiendam significauit, cum dixit; Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum, reminiscamini; quia ego dixi vobis. *Super Israel.* Non carnalem, sed verum Israel, id est, Ecclesiam intelligit.

Esa. 30. b. *Gala. 6. b.* *Nemo de onere suo tãquã importabili conqueri potest.* *Quamobrem calamitates narrentur quę perpessura Ecclesia erat.* *Ioan. 16. a.*

Dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo. Quoniam de rebus magnis erat dicturus, quas Deus per Ecclesiam erat in orbe terrarum gesturus, ad earum fidem confirmandam, ne cuipiam propter earum magnitudinem incredibiles videantur, Dei immensæ potentiæ, à quo gerendæ sunt, mentionem facit, eamque ex totius orbis creatione declarat. Nulla enim re magis Deus potentiam suam infinitam ostenderat, quàm vniuerso mundo fabricando. Aptè vero, atque descriptè conditi orbis sermo inducitur, cùm de illius restitutione verba facienda sunt. Restituendus autem erat per Ecclesiam, quæ illum ex inani quadam, & vitiosa confusione verbo Dei in ordinem, ornatumque reduxit: sicut ante verbo etiam Dei conditus fuerat. Vniuersam verò mundi constructionem duabus partibus præstãtioribus comprehendit, corpore, & spiritu. Corpus autem cœlo, ac terra continetur; quæ primo die condita sunt. Spiritu verò humanus animus, qui vltimo die procreatus fuit. Operibus ergo primi, & vltimi diei, reliquorum dierum opera appositè, & eleganter complectitur. Quod autem dicit. *Extendens cœlum.* Ob eam rem est, quòd cœlum cæteris mundi partibus rarius habeatur, cæterasque omnes ambit. eadem de causa Dauid dicit; Extendens cœlum sicut pellem. *Firmans terram* dicit, quòd terra quia densior, & grauior est, neque mouetur: omnis verò motus circa eam fit; quasi fundamentum totius mundi machinæ videtur. qua de causa Dauid dixit; Qui firmauit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Quod verò dicit. *Fingens spiritum hominis in eo.* alludit ad id, quod in Genesi dicitur; Formauit igitur Dominus hominem, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

Ecclesia quo pacto mundũ restituit. *Psal. 103.* *Gen. 2. b.*

2 *Ecce ego ponam Ierusalem superliminare, crapulæ omnibus populis in circuitu.* In Hebræo

Hebræo est סף *saph*, quod frequētiùs limē portæ, vel petrā, quæ est in limine, quā hic vocat vulgatus superliminare significat. quam interpretationem Septuaginta hoc loco amplexi sunt. id est, faciant vt qui limen Ecclesiæ attigerint, inebrientur, insaniant, & à statu mentis discedant. quod de insano illo furore, rabieque immensa intelligit, qua hostes Ecclesiæ illā perdere, ac omnino delere conati sunt. *Omnibus* (verò) *populis* dicit: notum quippe est quantas in orbe terrarum Ecclesia excitarit tragœdias, ita vt nulla prouincia, nulla natio, nullus denique populus fuerit, qui eam immani odio non fuerit insectatus: sicut Christus apud Matthæum dixit; Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis, domestici eius. & alio loco dicit; Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Rectè vero dicit. *Limen siue superliminare crapulæ* Ecclesiam futuram. Nam ij modò ebrij, & amentes fiunt, & in Ecclesiam insaniunt, qui eius tantùm limen attingunt, neque intrò ingrediūtur. id est, qui res, quas ipsa docet leuiter, & non altamente recogitant. Nam Ecclesia Deū vexatum, ignominijs omnibus appetitum, ac denique infamissima morte multatum profitetur: quod limen religionis nostræ leuiter attendentibus Iudæis, & Gentibus scandalo fuit, quo corruerunt ferè omnes, ac stulti, & insipientes redditi sunt, vt Paulus testatur. Religio item nostra adeò pluris paupertatem quàm diuitias, quas mundus vnicè amat facit, vt illa homines beatos fieri prædicet; hac verò miseros, è cœloque disturbari. quod difficilè valde est eis, qui attentissima mente res huiusmodi se cum non cogitant, sed in primarerum specie hærent. Denique est Ecclesia sicut pelles Salomonis, & sicut tabernacula Cedar, vt Salomon in Canticis dicit. Quare qui eius admirabiles diuitias videre vult, intrare oportet, & non in limine manere. Sic igitur hic locus enarrabitur, si nomen סף *saph*, limen significare intelligamus. Sed significat etiam vas vinarium; fortè quòd ob eius longitudinem, liminis aut postis portæ speciem habebat. ita interpretatur vulgatus tertio Regū septimo. vers. quinquagesimo ספות *siphoth*, hydrias, & fuscinulas, & phialas, &c. Et quarto Regum duodecimo. vers. trigesimo. veruntamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini. in Hebræo est ספות *siphoth*, quæ interpretatio planiorem, ac faciliorem facit locum hunc: faciliùs enim intelligitur quid sit vas crapulæ, id est, vas vinarium ad homines inebriandos. Eadem etiam interpretatione facilior fit locus ille Exodi duodecimo. vers. vigesimoprimo. Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase. Fasciculumq; hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare. vt reddamus in sanguine qui est in vase, & aspergite ex eo, &c. Significatur enim quod sanguis agni cùm immolaretur pro Phase, excipiendus erat in vase, vt eo postea superliminare aspergerent. quod planum est: alia vero interpretatio, licet reijcienda non sit, non ita facile intelli-

Nulla natio fuit quæ Ecclesiam immani odio nō fuerit insectata.

Matt. 10.

Insaniunt in Ecclesiā qui res quas ipsa docet leuiter recogitant.

Mat. 5.

Can. 1. b.

3. Reg. 7. vers. 50.

4. Reg. 12. vers. 13.

Exod. 12. vers. 21. *Exodi locus expenditur.*

Multa exitiosa bella propter Ecclesiam nascentur.

intelligitur. Ecclesia igitur est calix crapulæ: quoniam multa calamitosa, & exitiosa bella propter Ecclesiam nascentur; multæ inimicitiæ, iræ, & acerbissima odia, dum multi perfidi, & iniqui homines christianos, ac bonos viros ægro, & iniquo animo ferent. Iam enim inde ab initio mundi crudelissimũ, & implacabile bellum inter probos, & improbos homines indictũ est. Semper enim inter se contraria pugnant, vt calidum & frigidũ, album & nigrum, par & impar. ita Paulus Corinthijs scribit; Quæ participatio iustitiæ cũ iniquitate? aut quę societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli. Quare mirũ non est cum Ecclesia veram iustitiam præter cæteras Respublicas doceat, quòd maiora, & crudeliora bella ei iniusti homines mouerint. Quare similis Ecclesia esse videtur ei calici, quem Deus Ieremiæ sumere præcepit, dicens; Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos. Id fortè adumbratũ est, cùm primum miraculum à Christo editum fuit hydrijs aquæ in vinum conuersis excellentissimum: quia Ecclesia ab ipso stabilienda vas crapulæ futura erat.

Cur inter probos, & improbos verò bellũ sit semper.

2. Cor. 6. c.

Iere. 24. d.

Ioan. 2.

Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem. Vt ostendat, quàm verum illud sit, quod omnino & in totum dixit; *Omnibus populis.* Id probat eum populum priuatim nominans, de quo minùs id crederetur. nam quis vnquam verum esse putaret, vt Iudæi Ierusalem obsiderent, & pro viribus oppugnarent; quæ regni sui domicilium erat, & quam ipsi eo tempore, quo vaticinium hoc editum fuit, pro virili parte instaurare, & ornare nitebantur? Ex quo facilè cognoscitur, hanc Ierusalẽ, nõ materialẽ, sed spiritualem, id est, Ecclesiam fuisse. Quàm verò acres Ecclesiæ hostes Iudæi fuerint, ex Actis, & ex historijs Apostolorũ intelligitur. ita vt Euãgelij, quod eis imprimis à Deo missum, & nũciatum est, expertibus factis, gẽtibus traditũ fuerit, sicut eis Paulus, & Barnabas dixerũt; Vobis oportebat primũ loqui verbũ Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gentes: sic enim pręcepit nobis Dominus. Sicut enim ipsi Christum Ecclesiæ caput pręter alios odio ingenti sunt persequuti: ita & eius Ecclesiam. Ex quo intelligitur, nulla cognatione, nulla propinquitate posse vnquã probos, & improbos inter se conciliari: imo ipsi cognati, atque propinqui magis inter se dissident, si alij boni, alij verò impij sint. vt ex Caim, & Abel fratribus; ex Ioseph, & fratribus eius intelligi licet. vt illud Christi, quòd proximè citauimus, quàm verum sit, intelligatur. Veni separare filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.

Quid fuerit adumbratũ cũ primo miraculo vinũ fuerit ex aqua factum.

Iudæi acres fuerunt Ecclesiæ hostes.

Acto. 13. g.

Nullo modo posse probos, & improbos inter se conciliari.

Matth. 10.

3 *Et erit in die illa, ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis.* Dicit Hieronymus lapidem illum hic significari, quo vires olim athletæ, ac gladiatores exercere solebant, vt is valentissimus haberetur, qui cæteris altiùs eum è terra tolleret; quorum vnum Athenis se vidisse dicit: sed planior, & simplicior explicatio est, si Hebraismum esse dicamus. Nam cum Hebræi pauca nomina habeãt adiectiua, frequen-

Hieronymus.

frequenter vtitur genitiuo pro adiectiuo, vt sit lapis oneris, lapis grauissimus, & qui loco suo difficilè moueatur: ita dicunt Hebræi, viri sanguinũ, id est, sanguinarij, viri misericordiæ, id est, misericordes. Itaq; Ecclesia firmissimè stabilita, & constituta est, vt quamuis vndiq; oppugnetur, conuelli, & loco moueri non possit: est enim super illam petram, ac rupem firmissimam Christum ædificata, & optimè cõstituta. quare nunquam inclinari, aut agitari poterit. Est etiam sanctis ac pijs hominibus coagmentata, vt Petrus ait; Ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales. illorum autem natura est, vt grauissimi, ac constantissimi sint: contrà verò impij leues, & inconstantes natura sunt; sic vt nullis præsidijs firmari, aut stabiles reddi possint. quare frustra profunda in terra fundamenta iaciũt, suiq; altè impressum vestigium, ac memoriam perpetuam relinquere procurant. sicut Esaias verbis Dei Sobnæ dixit; Excidisti in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculũ tibi, ecce Dominus asportari re faciet sicut asportatur gallus gallinaceus &c. quasi pilam mittet te in terram latam, & spaciosam.

1. Pet. 2.

Iusti graues iniusti leues sunt.

Frustra impij altam sui memoriã relinquere nituntur.

Omnes qui leuabunt eum concisione lacerabuntur. Id est, omnes qui cõuellere, aut agitare conabuntur Ecclesiã, ipsi damnum accipient; sicut ij, qui lapidem grauissimum tollere, aut loco mouere conãtur, qui nihil proficiũt, sed manus suas lacerant, corpus fatigant, & inutili labore consumunt. Verè enim Ecclesia, vt Christus caput eius, est lapis offensionis, & petra scandali, & omnis qui ceciderit super illum lapidem conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum. vt Christus ait apud Lucam; Cuius rei certissimum experimẽtum cœptum est, cùm tot reges, principes, & potẽtes homines aduersus eam bella exitiosissima gesserint, eamque totis suis viribus profligare, & vastare cupierint: manet tamen, & temporibus nostris multis regnis, ac prouincijs ornata, florentissima est, & maiorem (vt mea fert opinio) orbis terrarũ partem occupauit. ita vt nulla sit ferè prouincia, in qua christiani nõ viuãt. corruerũt tamen, ac funditus deleta sunt Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorũ imperia, quæ vniuersum ferè orbem terrarũ occupantia, ei assiduè bellum intulerunt. Quas verò plagas, quæ detrimenta, atque damna ab eis accipiẽda sunt, qui Ierusalem oppugnabunt, declarat noster propheta cap. vltimo dicẽs. Hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Ierusalem: tabescet caro vnius cuiusque stantis super pedes suos, & oculi eorum contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum cõtabescet in ore suo. id est, vehementer eorum scelus, & audaciam vlciscetur.

Est Ecclesia lapis offensionis, & petra scandali.

Luc. 20. c.

Semper Ecclesia quamuis oppugnetur, cõsistet.

Zach. 14.

Et colligentur aduersus eam omnia regna terræ. Docet quantis viribus Ecclesia fuerit oppugnata. Nulla enim fuit prouincia, nullũ regnũ (vt diximus) quod non eam bello tentauerit, vt ex hoc eius calamitates quantæ fuerint, intelligamus, & quàm immensa potentia fuerit defensa, dum tã assiduo, & periculoso bello nunquam fuerit subacta. Sequitur enim.

Quam immẽsa potẽtia Ecclesia fuerit defensa.

4 *In die illa dicit Dominus percutiã omnem equum in stupore, & ascensorem eius amentia.* Quibus verbis prędicit futuram è tantis calamitatibus salutem Ecclesiæ, præclara victoria parta. de

stupore

ſtupore verò eo, & amentia loquitur, quo victi in prçlio opprimũtur, dum de rebus ſuis deſperantes, quò ſe vertant, aut in quem ſe locum recipiant, neſciunt. Ex ijs enim quæ ſolent in victorijs humanis euenire, ſpiritualem Eccleſiæ victoriam intelligi vult: longè tamen præſtãtior, & admirabilior eſt ſtupor eius, qui vitijs, flagitijſque deditus, Deo reſiſtere, cum eoque dimicare audet, ſi pauliſper reſipiſcat, ac verbo Dei ſuperari, vincique incipiat; dum ſecum Dei verbo doctus cogitat, quanta cum potentia contendat, quanta ſe clades, & pernicies maneat; quàm denique temerarium, & planè ſtultum bellum gerat. quibus rebus ita exhorreſcit, ſtupefit; ita ſtultitiam, & inſaniam ſuam execratur, vt vix mente conſiſtat. Hanc etiã Regnorum omnium aduerſum Eccleſiam cõiurationem, & ſtuporem, in quem victi inciderunt, canit Regius vates dicens; Ecce Reges terræ congregati ſunt, & conuenerunt in vnum, ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos: ibi dolores vt parturientis. eiuſque ſpecimen præclarum narratur in Actis; cum habita à Petro oratione ad populum ſcribitur; His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos; Quid faciemus viri fratres? Paulus etiam Eccleſiæ quondam accerrimus hoſtis, ei Chriſto loquente (vt Lucas narrat in Actis) tremens, ac ſtupens dixit; Domine quid me vis facere?

Ex ijs quæ in victorijs humanis eueniunt ſpiritualem Eccleſiæ victoriam intelligi vult.

Quantus ſit ſtupor eius qui verbo Dei ſuperari incipit.

Pſal.47.

Acto.2.c.

Acto.9.

Et ſuper domum Iuda aperiam oculos meos. Modus eſt dicẽdi Hebræus, quo Eccleſiæ auxilium, & opem in tantis malis Deum laturum ſignificat. Deus enim cũ ſeruos, & amicos ſuos ærumnis, & miſerijs non liberat, eas nõ cernere videtur: & ob eam rem Ieremias Deum orat; Intuere, & reſpice opprobrium noſtrum. Hac igitur ſpe lactati perfectè credẽtes omnes, quòd eos Deus aliquando reſpiciet, bono animo in malis, & ærumnis eſſe debent.

Phraſis Hebraa.

Thren.5.

Et omnem equum populorum percutiã cæcitate. Id eſt, ſuperbos omnes, & arrogantes, qui copias ſeculi huius ſequentes, eiſque nixi, veræ fidei, & religioni reſtiterint, Eccleſiæque iugum ſubterfugerint, cæcitate multabo: nemo enim cæcior, quàm infidelis homo, qui viam omnino ſalutis ſuç non videt, ſed in denſiſsimis tota vita verſatur tenebris, dum veram etiam officij rationem ignorat, quæ ab vna perfectè docetur Eccleſia. Sic Paulus Epheſijs ſcribit; Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum. Sequitur in propheta.

Nemo cacior quam infidelis homo.

Ephe.4.d.

5 *Et dicent duces Iuda in corde ſuo: Confortentur mihi habitatores Ieruſalem in Domino exercituum Deo eorum.* Hoc eſt, Eccleſia per duces, & Imperatores ſuos hortabitur, ex cordeq; optabit, precibuſq; cõtendet vt milites, & habitatores ſui non vllis humanis ſubſidijs, ſed Deo ſuo confidant, eoque duce, patrono, & adiutore è tantis malis ſolui, & liberari credant, illudque Dauidis canant, cogitent, in ſignis atque vexillis ſcribant. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini ſperabimus. *Habitatores Ieruſalem.* vocat credentes homines: habitant enim in Eccleſia, & legibus illius gubernantur. Ex quo intelligitur, quod licet Eccleſia copias cogat nonnunquam, & alia comparet præſidia, bellum

Eccleſia optat vt filij ſui non humanis ſubſidijs ſed Deo tantum confidant.

Pſal.20.

Eccleſia licet humana nonnunquã comparet ſubſidia in ſolo Deo tamen ſpem ponit.

lum deniq; humano modo instruat: vt tamen illud pro dignitate gerat, omnẽ salutis spem in Deo debet collocare, sicut debent homines victum, atque vestitum quibuscunque rebus commodè poterunt quærere: Christo tamen auctore oportet imprimis in Deo sperare, vt is, qui passeres, & lilia copiosè vestit, & nutrit; eis etiam res necessarias suppeditabit. Quod de Ecclesia dico, de quocunque pio viro intelligi volo, qui cũ aliquo hoste inuido, aut maleuolo certat. Quod verò dicit. *In corde suo.* Significat huiusmodi spem non in ore versari solùm, sed etiam in corde hærere, ac mẽtibus nostris insitã esse debere. Nam qui verbis tantùm huiusmodi pronunciant sentẽtias; In te Domine speraui: In Domino confido: Dominus illuminatio mea, & salus mea, & alias quas sæpe Ecclesia repetit, & in ore filiorum suorum esse vult; corde tamen, ac mente humana potiùs subsidia tractant, Ecclesiæ firmissimo præsidio non muniuntur. Energiam habet illud. *In Domino exercituum.* Id est, in Domino omnipotente, vt vertunt septuaginta, & cui nulla vis resistere potest, vt nihil sit à quo timeat is, qui hoc perfectè, & pro dignitate credit. Tota etiam hæc ratio dicendi quod nihil aliud Ecclesiæ duces in tãto conflictu optẽt, nisi vt milites eius in Deo sperent, vehementer significat in hac vna re pondus, atque momentum salutis suæ esse positum

Matt. 6

Spes non in ore solum versari debet, sed in corde hærere.

Magnum salutis nostræ momẽtum in eo positũ est ut in Deo speremus.

6 *In die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & sicut faciem ignis in fœno.* In Hebręo est כִּיּוֹר *chior*, quod propriè concham mihi significare videtur. ita enim frequẽtiùs vsurpatur in sacris literis. vt Exod. 30. vers. 18. facies כִּיּוֹר *chior*, Id est, concham æneã, id est, vas in quo erat aqua. &. 38. fecit concham. quare hoc loco concha ignis erit vas, in quo sit ignis, & vt vulgatus noster dicit, caminus. quæ interpretatio longè melior mihi videtur quàm quorundam Hebræorũ quos sequitur Vatablus, qui prunam hoc loco dicunt significare: sine causa enim ambiguum redditur vocabulũ. Septuaginta vertunt δαλὸς. torres. Declarat ergo propheta, quòd quia duces Ecclesiæ in Deo spes omnes suas ponent, erunt quasi vas ignis plenum, aut caminus inter ligna qui omnia incẽdit, atque consumit, nec vllo ei modo resistunt. idque adhuc magis auget dicens. *Erunt quasi ignis in fœno.* Id est, tam facilè hostium, & inimicorũ exercitus penetrabunt, atque prosternent, quàm ignis fœni multitudinem sibi oppositam. quò admirabiliter declaret vim, & ardorem animi, quo Ecclesiæ duces inter infideles versabuntur; quàm nihil eorum minis, & terroribus cedent. Est quidem hic locus insignis ad id amplificandum & rhetorum pompa exponendum. Erat autem ignis hic cœlestis gratiæ donum, quod corpore, & animo suo tanquam in vase Apostoli portabãt, quo animati, & vehementer incitati intrepidè Euangelium Christi prædicabant, nihil principum, & imperatorum resistentium potentiam verentes: imo ipsis inuictis, bellumque contrà inferentibus, longè, latèque imperium Christi propagarunt. sicut Paulus dixit; Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationẽ scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas sit virtutis Dei, & nõ ex nobis. In omnibus tribus

Exod. 30. vers. 18. & vers. 38.

Vatablus.

Quãta vi Ecclesiæ duces hostes suos prosternent.

Quoique christi milites inflammati erant.

2. Cor. 4. b.

tribulationem patimur, sed non angustiamur. Et quemadmodum tantũ abest, vt ligna multa, atque fœnum obsistere posint igni, vt magis eum accendant: sic tanta hostium multitudo non solùm Apostolorum, & Ecclesiæ ducum animos nõ retardauit: sed etiam inflammauit; sicut strenui militis animus, qui aduersariorum ictibus, & armorum fragore non modò non animo cedit; sed vehemẽtiùs excitatur. Sic de Paulo cum Athenis esset, dicitur, quod incitabatur spiritus eius in ipso videns idololatriæ deditam ciuitatem. Horum autem excellentissimorum ducum imago ad viuum exarata fuit in Elia, de quo Ecclesiasticus dicit; Surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbũ ipsius quasi facula ardebat. Et quemadmodum Elias verbo, & oratione ignem de cœlo traxit, quo hostes suos consumeret, vt narratur in. 4. Reg. 1. ita his precibus, & votis, quibus Ecclesię duces, vt proximè exposuimus, petebant, vt habitatores Ecclesiæ in Deo omnes rationes salutis suæ collocarent, ignem hunc à Deo impetrarunt quo tot hostes superarent. Sequitur in propheta.

Hostes nõ solum nõ retardabant sed etiam vehementer inflãmabant Ecclesiæ duces.

Acto. 17. c.

Eccle. 48. a

Elias Apostolorum fuit figura.

4. Reg. 1.

Et deuorabunt ad dextram, & ad sinistram omnes populos in circuitu. Id est, quaqua versus Euangelij doctrina, ac prædicatione populos, & prouincias obtinebunt, & in IesuChristi ditionẽ & potestatem redigent, sicut eis Christus dixit; Ite, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ: quod ita factum esse acta, & historiæ docent Apostolorũ. Temporibus nostris videmus infinitas nationes, atque prouincias, maioribus incognitas, recenterque opera Hispanorum inuentas Euangelium auidè amplexas fuisse.

Euangelij doctrina quaquaversus penetrauit.

Et habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem. Vatablus Hebræos sequens id de Ierusalem explicat terrestri, hoc est, quosdam credentes habitaturos in illa terrestri Ierusalẽ post Christi mortem: sed cum de Ierusalẽ spirituali hactenus verba fecerit, aptiùs mihi videtur eundem sequi contextum, eidemque id attribuere, in hanc sententiam: vt quamuis omnia regna terræ ad Ecclesiam expugnandam congregentur, & acriter ab omnium gẽtium copijs obsideatur, cùm à ducibus tanto animi ardore inflammatis defendatur, eam loco suo non mouebũt. Ecclesiæ vero locus eisdẽ, quibus orbis terrarũ (vt in secũdo capite exposuimus) terminis concluditur, orbeque toto eam pellere moliebantur omnes reges, omnesque populi, qui tanta ei acerbitate erant infesti: nihil tamẽ profecerũt: imo quotidie magis ac magis propagabatur, sicut ignis inter fœnum, atque ligna. Est enim Ecclesia supra eam petram ædificata, aduersus quam (vt Christus pollicetur) portæ inferi non præualebunt, vt eam sede sua diruant. Cum enim ipsa veram Dei doctrinã teneat, atque seruet, oportet illi contingere, quod Christus apud Lucam euenturum promittit ei, qui sermones suos audierit; vt similis sit homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram: inundatione autem facta illi sum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat supra firmam petram.

Vatablus.

Ecclesia loco suo non mouebitur.

Matt. 16.

Luc. 6 g.

7 *Et saluabit Dominus tabernacula Iuda sicut in principio.* Docet quare tantus exercitus ex toto orbe terrarum contra Ecclesiam coactus eam loco suo non mouebit; cùm nullis esset cin-

ad statuarium. Miro & occultissimo modo paucis verbis propheta comprehendit, quod à proditore Iuda, & à Sacerdotibus templi ex illo pretio factum est. nam pro statuario, in Hebræo est יוצר *iozer*, quod si in principio scribatur per. י. figulum, siue statuarium significat: si autem per. א. thesaurarium, siue qui ærario præest, declarat. solet autem. י. pro. א. poni apud Hebræos, quod etiam commune est alijs literis, quas quiescentes appellat. quare & figulum, & thesaurarium, siue quæstorem significare potest. Proiecit autem Iudas pretiũ ad principes, & sacerdotes eos, quos esse quęstores templi putandum est: nam deliberarũt, an in corbonam illud mitterent. pertinebat igitur ad illos, illius custodia. Sacerdotes autem pretium proiecerunt ad figulum, vt agrum illius emerent. vtramque ergo proiectionem vno verbo comprehendit.

Explicat propheta paucis quod à proditoribus templi ex illo pretio factum est.

Sed illud difficiles hoc loco explicatus habet, quòd Matth. hunc locum nõ ex Zacharia, sed ex Ieremia citat: in toto verò Ieremia non inuenitur, quare aut dicendum est Zachariam, Ieremiam etiam fuisse vocatum: & tunc dicendum est, Matth. non verba, sed sententiam prophetæ citasse, ita enim hunc locum refert. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem. Et acceperunt triginta argenteos pretiũ appretiati, quod appretiauerunt à filijs Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut cõstituit mihi Dominus. Vel dicẽdum est, verba hæc Ieremiæ esse, cuius vaticinium in hac parte nõ extat: multa enim volumina sacrosanctæ scripturæ desiderantur, vt libri Addo prophetæ, & Semeiæ qui citantur. 2. Paralip. 12.

Zacharias cũ Matthæo conciliatur.

Matt. 27.

Decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Per irrisionem intelligẽda sunt: nullo enim dicendi modo meliùs significatur, quàm exiguum, quàm vile pretium pro tantis beneficijs, pro tãto viro, ac denique pro Deo fuerit. Quòd si Deum cum doctrina, cum beneficijs immensis suis homines nõ pluris quàm triginta argenteis æstimarũt, quid vel sanctissimus, doctissimus, & optimè meritus homo miretur, si à mundanis hominibus contẽnatur? Verùm se pluris, quàm Christum facit? num gratiori animo in se mundum futurum existimat, quàm ergà Christum fuit? nunquid pro exiguis beneficijs maiorem ab hominibus mercedem expectat, quàm Christus pro infinitis reportauit? Illud ergo secum cogitet, quod Christus nos monet; Non est seruus maior Domino suo, neq; discipulus magistro suo. Matt. 10.
Si me persecuti sunt, & vos persequẽtur. & ob eam rem ab humana mercede, & gloria mentem auocet, seque totum ad diuinam mercedem, & gloriam cogitãdam traducat, & ducem ac magistrum suum Christum sequatur dicentem; Claritatem ab hominibus non accipio. Ioan. 5.

Nihil esse quod pius homo miretur si à mũdanis hominibus cõtemnatur.

Et tuli triginta argenteos; & proieci illos in domum Domini ad statuarium. Repræsentat in visione prophetica vates noster quod Iudas proditor facturus erat, vt narratur à Matth.

14. *Et præscidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, vt dissoluerem germanitatem inter Iudam & Israel.* Apertè vaticinium hoc significat expellendos à Deo esse Iudæos, & veros Iudæos, hoc est, christianos accipiendos: nam duobus (vt dixi) modis, omnis ratio diuina docendi, & oues agendi cõprehenditur, quos duabus illis

illis virgis significari diximus, Decore & funiculo. quare qui earum altera non pascitur, eius curam, quod ad eius salutem attinet, Deus abiecisse videtur: hisque duabus virgis Hebræos pauit. Primam autem, quam vocauit Decorem, fregisse dixerat; secundam quæ reliqua erat, etiam modò fregisse significat. Hinc intelligi licet, maximam Dei iram, & extremum supplicium esse scelera non vlcisci; sicut illa maxima parentis ira putatur, cùm filium à se repellat, neque ampliùs in eum animaduertere velit. quamobrē dicit Ezechiel; Zelus meus recedet à te, & non irascar tibi ampliùs. & pro magno beneficio numerat Dauidi, quòd à filijs suis, si peccauerint, pœnas expetet dicens; Si leges meas profanauerint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Quare Deus Iudæorum curam prætermisisse, nec vlla ratione eos pascere videtur. hoc est, oues & populus Dei minimè post hac dicendi sunt. Cùm verò dicit.

Extremum Dei suppliciū in hac vita esse scelera nostra nō vlcisci.

Vt tollerem germanitatem inter Iudam & Israel. Non omnes Hebræos esse reijciendos significat, sed dissidium inter eos futurum, ita vt non eadem sit eorum conditio, sed alij ad populum Dei pertineant, alij verò non, & inter se pugnent, atque dissideant. id quod cap. sequenti clariùs exponit.

Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem. Quæ quidem mira valde Iudæis essent, vt Iudæi Ierusalem oppugnarēt, quæ erat eorum domicilium quam tam anxiè ædificare, & restituere cupiēbant: vidimus tamen esse præstitum, cùm Iudæi veram Ierusalem id est, Ecclesiam tāto studio oppugnarunt, vt ex actis Apostolorum, & ex morte Christi, eius capite, cognoscitur. hanc ergo germanitatem hic dissoluendam esse prędicit. Qua ratione dicendi alludere videtur ad id, quod Ahias Silonites propheta fecit, vt Ieroboam Salomonis regnum, quod duodecim tribus comprehendebat, diuidendum esse nuntiaret. Pallium enim suum ad id declarandum scidit. Ita & magnus propheta Christus pedum, quo oues suas versabat, præscidit ad similem diuisionem significandam. quare illud factum Ahiæ Silonites, & ipsam Hebręorum diuisionem temporibus Roboā imaginem fuisse credendum est eius diuisionis, quam hic noster propheta nunciat, inter veros, & carnales Israelitas. Veri enim Israelitę sunt (vt Paulus Romanis probat) qui Christum sequuntur: carnales è genere Abraham oriundi. & quēadmodum assiduum bellū fuit post illam diuisionem inter Israelitas, & Iudæos; ita & post hanc, quæ fuit temporibus Christi magnum semper est certamen inter veros, & carnales Israelitas.

Figura præcisionis quæ facta à populo Dei Israelita præcisi. 3.Reg.11.

3.Reg.11.

Qui veri sint & qui carnales Israelitæ.

15 *Et dixit Dominus ad me, Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.* Id est, præterquam quod ego eos eijciam, quoniā oues sine pastore agi, & gubernari nō possunt, volo vt stulto pastori tradantur custodiendæ: siquidem frugi, & industrium repudiarunt. Nihil enim reliqui est eis, qui in summa cura, industria, & sapientia fastidiunt, quæ in Christo fuēre, nisi stultitia, insania, & temeritas, quibus præter cęteros mortales omnes præditus erit Antichristus. quare in illum quæ sequuntur imprimis conuenire videntur. ita fiet quod hispanè in communi prouerbio versatur, *quiē no cree a buena madre*

Quid eis reliquū sit qui in summa Dei erga eos cura fastidiūt.

Meritò fuerunt Antichristo permissi Iudæi

que

que cres a mala madrastra. Sic enim Christus Iudæis dixit; Ego veni in nomine patris mei, & non crediderunt mihi; alius veniet in nomine suo, & credent ei. aptèque in Iudæos cadit parabola illa à Ioatham proposita viris Israel, qui septuaginta ferè trucidatis filijs Gedeon, à quo tanta beneficia acceperāt, Abimelech tantæ cędis auctorem Regem delegerunt: tandemque conclusit dicens; Si ergo rectè, & absque vitio egistis cum Ierobaal, & domo eius, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis: sin autem peruersè, egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichē & oppidum Mello. Talis erit Antichristus pastor à Iudæis deligendus, qui eos perdat, & labefactet. quem visione prophetica repręsentare Zacharias verbis prædictis iubetur. Sed non difficultate vacat, cuiusmodi vasa hæc futura erant, quæ stultum pastorem exprimerent. Hebræi quidam dicunt; peram esse istò cōtractiorem, quæ res omnes pastori necessarias capere non posit. ex quo fit, vt cum in locis desertis, rebus ad cibum necessarijs destituatur, ad oues vel necandas, vel vendēdas conuertatur. Vatablus dicit, peram esse pertusam, ex qua, quę cōtinet, effluāt. Sed non ita planè stolidum pastorem huiusmodi pera significare videtur; nec si aliquem pastorem ea instructum videremus, eū stolidū iudicaremus: pręsertim quod hic non in suis, sed in ouium commodis procurandis negligēs describitur. Quare meliùs esse duco, vt qualis fuerit habitus pastoris stulti ex ipso vaticinij contextu petamus: non enim id à vate prætermitteretur, nisi intelligeret ex ijs, quæ dicta sunt, intelligi posse. Hoc ergo capite describit propheta duplicem pastorem, sapientissimū, & stultissimum. Sapientissimi omnia instrumenta posuit, quæ illis duabus virgis continentur, vt explanauimus: cùm ergo stultissimus pastor huic sapientissimo contrarius in grege procurando sit, alia debet ratione oues procurare, eiusque habitus, quod ad rem attinet hāc, alius esse debet. Eum igitur oportet habere aut plures virgas quàm duas, aut nullas, aut vnam tantùm. Plures habere non potest; quia omnis (vt dixi) ratio pascendarū ouiū in illis duabus virgis posita est. Aut nullas, sed hoc erit omnino non esse pastorem: nam si nulla ratione pascit; omnino non est pastor. Necesse igitur est, vt stultus pastor vna tantùm virga vtatur. Vasa igitur pastoris stulti sunt vna virga, vel vnus baculus. hoc est, non nisi vna ratione oues agit, vel ouibus semper blandiendo, & obsequendo; vel eas semper affligendo, & incommodando. cui explanationi magno sunt argumento verba Hebręa. Nam in Hebręo est, sume tibi כְּלִי *celi*, quod vas in singulari significat. Neque pugnat versio vulgata cum nostra explicatione: nam præcipitur prophetę, vt sumat vasa, id est, instrumenta pastoris stulti, quæ omnia vno vase, id est, instrumento, vt argumentando collegimus, comprehēduntur. Vel est phrasis Hebræa instrumenta pro altero instrumentorū, ratio dicēdi sæpe ab Hebræis vsurpata, vt superioribus explicuimus. qua ratione plerique non malè explicant illud Matth. 27. Latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei, id est, alter latronum: vt cum Luca conueniat, qui dicit alterum latronū ab improperijs, & iniurijs socij sui Christum defendisse, seq; totum illi commendasse,

Ioan. 5. — *Iud. 9. c.* — *Difficile est scire, quę nā fuerint vasa pastoris stulti.* — *Vatablus.* — *Qualis fuerit habitus pastoris stulti ex ipso vatis contexto declaratur.* — *Iniquus pastor vna tantum ratione oues agit.* — *Mat. 27. Locus Matt. expositur.*

mendasse: quam ob rem tantam eius gratiam iniuit. Cum ergo iussum esset prophetę sumere alterum instrumentorum pastoris stulti, sumpsit omnium deterrimum, vt pastorem stultissimum describeret, sicut antea sapientissimum. Omnium autem deterrima ratio pascendi oues est virga illa, quæ Funiculus fuit appellata, id est, terroribus, & detrimentis ouibus afferendis. ex quo fit vt de hoc stultissimo pastore non nisi damna, incōmoda, & exitia narrentur. quod etiā coniecturam affert, eius arma, & instrumenta vnam tantùm virgam, Funiculū scilicet fuisse. verbū etiā Hebręū pluraliter explicari potest, punctis tātū mutatis. recte igitur est à nobis, cū omnia cōsonent, locus hic declaratus. Reddit deinde rationē, cur iubeat ei vasa stulti pastoris sumere.

Deterrima ratio pascendarū ouium est terroribus tantum afferendis.

16 *Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit.* In Hebræo est נִכְחָדוֹת *nichadoth*, id est, succisas, hoc est, oues deploratas, & de quibus desperatur. quod potest intelligi vel de ouibus, ex quibus nihil vtilitatis, nihil fructus vlla ratione se reportaturum existimat; vt plerią; Reges, & Episcopi, qui illos tātum subditos, ex quibus vtilitatem se laturos arbitrantur, curāt; reliquos negligunt: nō enim ouium, sed suam vtilitatem in grege pascendo quærunt. Aut ad eos etiam hoc referri potest, qui magnis aliquibus criminibus, & flagitiis tenentur, longèque ab officio desciuerunt; de quibus ipse sanandis non laborabit: in quo pastoris opera vehementer cernitur. Vt enim Deus neminem vel pessimum, & nefarium hominem destituit omnino, quamdiu viuit: ita & bonus pastor debet nonnunquam inuisere, & visitare, id est, quibuscumq; rebus possit adesse vel profligatis hominibus, si quando det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à Diaboli laqueis, quibus captiui tenentur, vt ait Paulus. 1.Tim.2.

Iniquus pastor eas negligit oues, ex quibus nihil vtilitatis se laturum existimat.

Iniquus pastor nihil de sanandis ouibus deploratis laborat.

Dispersum non quæret. Vt Christus ouem illam, quam amiserat, quęsiuit, sicut ipse de se testatur. in Hebræo est הַנַּעַר *hanahar*, non quęret, hoc est, iuuenem non quæret: ij enim qui quasi lasciuientes agni iuuenili quadā perturbatione cōmoti peccant, non contemnendi, & prætermittēdi sunt, sed omni studio ad caulas reuocandi, ad officiūq; sunt reducendi; vt Dauidē Deus per Nathā prophetā quæsiuit.

Et contritum non sanabit. Id est, virga illa dura, atq; seuera pastoris contritum, hoc est, graui aliqua animaduersione afflictum, atq; commotum; doloreque nimio, & ignominia affectum non rursus leuabit, & dolorē leniet: quemadmodum Paulus priori Epistola acriter Corinthios reprehendens, magnaque tristitia afficiens secunda Epistola leuauit, & valde consolatus est, sic, vt illis scribat. Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitētiam: contristati enim estis secūdum Deū, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quātam in vobis operatur solicitudinem, &c. in omnibus exhibuistis vos incōtaminatos esse negotio. Vt enim cōterere virgæ est, quæ appellatur Funiculus; ita & leuare virgæ, quæ Decus vocatur, qua iste improbus pastor carebit. 2.Cor.7.

Iniquus pastor nō leuat graui aliqua animaduersione afflictū.

Et id quod stat, non enutriet. Id quod languidum, & macie confectum est, ita vt in itinere cōsistat, gregeq; sequi non posit, non fouebit. id est, eos qui infirmi sunt, exiguaque virtute prædit

Q diti;

ditiæ ita vt & fortium, & constantium virorum virtutem, & pietatem non imitentur quos pastores debēt, ne eorum animi frangātur, verbis & exemplis excitare, & ad constantiam, & fortitudinē impellere, vt Paulus monet Romanos. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. in Hebræo est non יכלכל *icalcel*, id est, fulciet, atque portabit, subaudite humeris suis, sicut Christus ouem illam, vt ipse testatur, quam amiserat.

Boni pastores debent infirmos excitare, & ad fortitudinem impellere.
Rom. 15.

Carnes pinguium comedet. Hoc est ditari, & bene pasci ex grege cupiet: potiùs enim suam, quàm ouium vtilitatem spectabit: contrà egregius pastor ille Paulus, vt ipse Actorum. 20. testatur, argentum, aut aurum, aut vestem nullius cōcupiui, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, ministrauerunt manus istæ.

Bonus pastor non quærit suā, sed ouiū vtilitatem.

Et vngulas eorum dissoluet. Vel plus æquo in itinere incitado, vel per aspera, & prærupta loca agendo: vt ij pastores faciunt, qui multas, & difficiles leges subditis imponunt, de quibus Christus ait, Alligant onera grauia, & importabilia super humeros hominum. Eosdem Deus reprehendit per Ezechielem; Cum austeritate imperabatis, & cum potentia. ac deniq; eadem propè crimina obijcit iniquis pastoribus per Ezechiel; Quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, nō alligastis; & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis, & cum potentia. quare eisdem criminibus tenētur iniqui pastores, in quos hæc nostri prophetæ verba etiam conferri possunt.

Iniquus pastor multas & difficiles leges subditis imponit.
Matt. 23.
Ezech. 34
Ezech. 34.

Sed quoniam in illo omnium pessimo pastore Antichristo clariùs hæc eminebunt, & in promptu erunt, ob eam rem in illum imprimis conueniunt, sicut etiam quæ in Psalmis, & Prophetis de viro iusto, ac virtute prædito scribuntur, multò perfectiùs in Christum, totius iustitiæ fontem cadunt. & ob eam rem Ioannes dicit. Plures Antichristi sunt: vt enim nomen, sic & facta Antichristi sceleratis hominibus attribui possunt.

Iniqui pastoris conditiones longe perfectius in Antichristo conuenient.

17 *O pastor, & idolum, delinquens gregem.* Exclamatio est indignationis, & miserationis plena: indignatur ob nefariam pastoris iniqui crudelitatem: dolet verò de tristi ouium fortuna, quæ in talem pastorem inciderunt. *O pastor, & idolum*: aliqui interpretantur, qui se vt Deum adorare, obseruareque faciet, sicut dicit Paulus. Qui extollitur suprà omne quod dicitur Deus. sed meliùs est vt phrasim Hebræam esse dicamus, qui vt idola vocant res vanas, & nihili, quæ non rem, sed quandam rei imaginem inanem, & vanam præseferunt: ita vicisim in rebus vanis idoli nomen vsurpant. & ita hoc loco nomen Hebræum est אליל *ilil*, quod rem vanam, & inanem & inutilem propriè significat. ex quo fit vt idolum etiam sæpe significet. dicit ergo propheta. *O pastor, & idolum.* Hoc est, ô pastor, qui nomen tātum, & imaginem pastoris habes, nullo tamen pastoris munere fungeris; sed immanis, & truculētissimæ bestiæ. Quotus enim quisq; pastor est, qui gregē suum deserat? at tu & derelinquis, quod inutile putas, & laceras quod pingue tibi, & vtile videtur.

2. The. 2.
Phrasis Hebræa idolum pro re vana.

Gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius. Disseruit de sceleribus

Quæ pœna sit Antichristus mulctandus.

tibus Antichristi: nũc qua pœna multãdus sit, exponit. id est, omnes eius vires confringentur, & robur, ac potentia conuelletur. quæ in duabus rebus posita est; vel in viribus humanis: multas enim copias, & grandes exercitus coget, quibus bellum inferet orbi terrarum; quæ omnes effundendę, ac dissipandæ sunt, & innumerabilis hominum multitudo interficienda. quod vates prædicit futurum verbis illis. *Gladius super brachium eius.* Brachium enim copiæ, & exercitus eius dicuntur, quòd illis vniuersas gentes redigere in potestatem nitetur. quod etiam Ezechiel vaticinatus est dicẽs.

Antichristus multis copijs bellum inferet.

Ezec. 39. Et percutiam arcum tuum in manu sinistra tua, & sagittas tuas de manu dextera tua deijciam; Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui qui sunt tecum, &c. Posita etiam est eius potentia in astutia, & sagacitate humana, qua res suas callidè, & astutè per aliquod tempus administrabit, & omnibus præstigias, & fucum faciet. de quo dicit Paulus; Cuius aduentus secũdum operationem sathanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs, & mendacijs, & in omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt. hanc astutiam, & calliditatẽ. *Oculum* propheta vocat, quem gladio effodi cupit, & effodiẽdũ vaticinatur. idem que rursus ampliùs explicat dicens;

Antichristus res suas callide administrabit.

Brachium eius ariditate siccabatur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur. Hoc est robur, præstigiæ, & calliditas eius pariter consumentur, ita vt nemo partes eius tueatur, nihil ampliùs tergiuersari, aut iram Dei effugere, aut vllo pacto declinare possit. vt Paulus ait; Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui.

2. Thes. 2.

CAPVT. XII.

1 *ONus verbi Domini super Is-* A
rael, Dicit Dominus exten-
dens cœlum, & fundans terram, &
fingens spiritum hominis in eo.
2 *Ecce ego ponam Ierusalem super-*
liminare crapulæ omnibus populis in
circuitu: sed & Iuda erit in obsidione
contra Ierusalem.
3 *Et erit in die illa, ponam Ierusa-*
lem lapidem oneris cunctis populis:
omnes qui leuabunt eum, concisione
lacerabuntur: & colligentur aduer-
sus eam omnia regna terræ.
4 *In die illa dicit Dominus, percu-* B
tiam omnem equum in stuporem, &
ascensorem eius in amentiam: & su-
per domum Iuda aperiã oculos meos,
& omnem equum populorum percu-
tiam cæcitate.
5 *Et dicent duces Iuda in corde suo,*
Confortentur mihi habitatores Ieru-
salem in Dño exercituum Deo eorũ.
6 *In die illa ponam duces Iuda sicut*
caminum ignis in lignis, & sicut fa-
cem ignis in fœno: & deuorabunt ad
dexteram & ad sinistram omnes po-
pulos in circuitu: & habitabitur Ieru
salem rursus in loco suo in Ierusalem.
7 *Et saluabit Dñus tabernacula Iu-*
da, sicut in principio: vt non magnifi-
cè glorietur domus Dauid, & gloria
habitãtium Ierusalem cõtra Iudam.
8 *In die illa proteget Dñs habitato-* C
res Ierusalẽ, & erit qui offenderit ex
eis in die illa, quasi Dauid, & domus

labores contineat, quæ à Deo hominibus, ſicut ab agaſonibus onera iumentis diſtribuuntur. ita Eſaias inquit; Onus iumentorum Auſtri. & Paulus. Vnuſquiſque onus ſuum portabit. Cumque huiuſmodi onera à Deo ſapientiſsimè imponantur, nemo meritò de onere ſuo, tanquam importabili conqueri poteſt: præſertim ij, qui Dei gratiam, & beneuolentiam pro virili parte ſequuntur, de quorum onere agitur hic: ijs enim Chriſtus dicit; Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Quare licet non leues calamitates, & ærumnę hic de Eccleſia narrentur, leues tamen exiſtimandæ ſunt, ſi cum ea gratia, atque auxilio conferantur, quam ei Deus in tantis malis, & ærumnis præſtaturus eſt. quę ob eam rē narrantur, ne caſu, & temerè huiuſmodi mala Eccleſiæ quiſquā euenire putet; ſed ſummo Dei cōſilio, & ſapiētiſsima de liberatione. Quare neq; Eccleſia Dei, neque vllus bonus vir debet de fortuna queri, neque immoderatè ſuum caſum lamentari, ſciens iam diu id eſſe à Deo ſuo deliberatum. quam vtilitatem ex huiuſmodi vaticinio Chriſtus percipiendam ſignificauit, cum dixit; Hæc locutus ſum vobis, vt cum venerit hora eorum, reminiſcamini; quia ego dixi vobis. *Super Iſrael.* Non carnalem, sed verum Iſrael, id eſt, Eccleſiam intelligit.

Eſa.30.b. — Gala.6.b. — *Nemo de onere ſuo tāquā importabili conqueri poteſt.* — *Quamobrem calamitates narrentur quæ perpeſſura Eccleſia erat.* — Ioan.16.a.

Dicit Dominus extendens cœlum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo. Quoniam de rebus magnis erat dicturus, quas Deus per Eccleſiam erat in orbe terrarum geſturus, ad earum fidem confirmandam, ne cuipiam propter earum magnitudinem incredibiles videantur, Dei immenſæ potentiæ, à quo gerendæ ſunt, mentionem facit, eamque ex totius orbis creatione declarat. Nulla enim re magis Deus potentiam ſuam infinitam oſtenderat, quàm vniuerſo mundo fabricando. Aptè vero, atque deſcriptè conditi orbis ſermo inducitur, cùm de illius reſtitutione verba facienda ſunt. Reſtituendus autem erat per Eccleſiam, quæ illum ex inani quadam, & vitioſa confuſione verbo Dei in ordinem, ornatumque reduxit: ſicut ante verbo etiam Dei conditus fuerat. Vniuerſam verò mundi conſtructionem duabus partibus præſtātioribus comprehendit, corpore, & ſpiritu. Corpus autem cœlo, ac terra continetur; quæ primo die condita ſunt. Spiritu verò humanus animus, qui vltimo die procreatus fuit. Operibus ergo primi, & vltimi diei, reliquorum dierum opera appoſitè, & eleganter complectitur. Quod autem dicit. *Extendens cœlum.* Ob eam rem eſt, quòd cœlum cæteris mundi partibus rarius habeatur, cæteraſque omnes ambit. eadem de cauſa Dauid dicit; Extendens cœlum ſicut pellem. *Firmans terram* dicit, quòd terra quia denſior, & grauior eſt, neque mouetur: omnis verò motus circa eam fit; quaſi fundamentum totius mundi machinæ videtur. qua de cauſa Dauid dixit; Qui firmauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Quod verò dicit. *Fingens ſpiritum hominis in eo.* alludit ad id, quod in Geneſi dicitur; Formauit igitur Dominus hominem, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.

Eccleſia quo pacto mundū reſtituit. — Pſal.103. — Gen.2.b.

2 *Ecce ego ponam Ieruſalem ſuperliminare, crapulæ omnibus populis in circuitu.* In

 Hebræo

Hebræo est סף *saph*, quod frequētiùs limē portæ, vel petrā, quæ est in limine, quā hic vocat vulgatus superliminare significat. quam interpretationem Septuaginta hoc loco amplexi sunt. id est, faciant vt qui limen Ecclesiæ attigerint, inebrientur, insaniant, & à statu mentis discedant. quod de insano illo furore, rabieq́ue immensa intelligit, qua hostes Ecclesiæ illā perdere, ac omnino delere conati sunt. *Omnibus* (verò) *populis* dicit: notum quippe est quantas in orbe terrarum Ecclesia excitarit tragœdias, ita vt nulla prouincia, nulla natio, nullus denique populus fuerit, qui eam immani odio non fuerit insectatus: sicut Christus apud Matthæum dixit; Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis, domestici eius. & alio loco dicit; Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Rectè vero dicit. *Limen siue superliminare crapulæ* Ecclesiam futuram. Nam ij modò ebrij, & amentes fiunt, & in Ecclesiam insaniunt; qui eius tantùm limen attingunt, neque intrò ingrediūtur. id est, qui res, quas ipsa docet leuiter, & non alta mente recogitant. Nam Ecclesia Deū vexatum, ignominijs omnibus appetitum, ac denique infamissima morte multatum profitetur: quod limen religionis nostræ leuiter attendentibus Iudæis, & Gentibus scandalo fuit, quo corruerunt ferè omnes, ac stulti, & insipientes redditi sunt, vt Paulus testatur. Religio item nostra adeò pluris paupertatem quàm diuitias, quas mundus vnicè amat facit; vt illa homines beatos fieri prædicet; hac verò miseros, è cœloq́ue disturbari. quod difficilè valde est eis, qui attentissima mente res huiusmodi se cum non cogitant, sed in prima rerum specie hærent. Denique est Ecclesia sicut pelles Salomonis, & sicut tabernacula Cedar, vt Salomon in Canticis dicit. Quare qui eius admirabiles diuitias videre vult, intrare oportet, & non in limine manere. Sic igitur hic locus enarrabitur, si nomen סף *saph*, limen significare intelligamus. Sed significat etiam vas vinarium; fortè quòd ob eius longitudinem, liminis aut postis portæ speciem habebat. ita interpretatur vulgatus tertio Regū septimo. vers. quinquagesimo ספות *ciphoth*, hydrias, & fuscinulas, & phialas, &c. Et quarto Regum duodecimo. vers. trigesimo. veruntamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini. in Hebræo est ספות *ciphoth*, quæ interpretatio planiorem, ac faciliorem facit locum hunc: faciliùs enim intelligitur quid sit vas crapulæ, id est, vas vinarium ad homines inebriandos. Eadem etiam interpretatione facilior fit locus ille Exodi duodecimo. vers. vigesimoprimo. Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase. Fasciculumq́; hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare. vt reddamus in sanguine qui est in vase, & aspergite ex eo, &c. Significatur enim quod sanguis agni cùm immolaretur pro Phase, excipiendus erat in va e, vt eo postea superliminare aspergerent. quod planum est: alia vero interpretatio, licet reijcienda non sit, non ita facile intelli-

Nulla natio fuit quæ Ecclesiam immani odio nō fuerit insectata.

Matt. 10.

Insaniunt in Ecclesiā qui res quas ipsa docet leuiter recogitant.

Matt. 5.

Can. 1. b.

3. Reg. 7. vers. 50.

4. Reg. 12. vers. 13.

Exod. 12. vers. 21. *Exodi locus exponitur.*

Multa exitiosa bella propter Ecclesiam nascentur.

intelligitur. Ecclesia igitur est calix crapulæ: quoniam multa calamitosa, & exitiosa bella propter Ecclesiam nascentur; multæ inimicitiæ, iræ, & acerbissima odia, dum multi perfidi, & iniqui homines christianos, ac bonos viros ægro, & iniquo animo ferent. Iam enim inde ab initio mundi crudelissimũ, & implacabile bellum inter probos, & improbos homines indictũ est. Semper enim inter se contraria pugnant, vt calidum & frigidũ, album & nigrum, par & impar. ita Paulus Corinthijs scribit; Quæ participatio iustitiæ cũ iniquitate? aut quę societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli. Quare mirũ non est cum Ecclesia veram iustitiam præter cæteras Respublicas doceat, quòd maiora, & crudeliora bella ei iniusti homines mouerint. Quare similis Ecclesia esse videtur ei calici, quem Deus Ieremiæ sumere præcepit, dicens; Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos. Id fortè adumbratũ est, cùm primum miraculum à Christo editum fuit hydrijs aquæ in vinum conuersis excellentissimum: quia Ecclesia ab ipso stabilienda vas crapulæ futura erat.

Cur inter probos, & vitiosos viros bellũ sit semper.

2. Cor. 6. c.

Iere. 14. d.

Ioan. 2.

Sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem. Vt ostendat, quàm verum illud sit, quod omnino & in totum dixit; *Omnibus populis.* Id probat eum populum priuatim nominans, de quo minùs id crederetur. nam quis vnquam verum esse putaret, vt Iudæi Ierusalem obsiderent, & pro viribus oppugnarent; quæ regni sui domicilium erat, & quam ipsi eo tempore; quo vaticinium hoc editum fuit, pro virili parte instaurare, & ornare nitebantur! Ex quo facilè cognoscitur, hanc Ierusalẽ, nõ materialẽ, sed spiritualem, id est, Ecclesiam fuisse. Quàm verò acres Ecclesiæ hostes Iudæi fuerint, ex Actis, & ex historijs Apostolorũ intelligitur. ita vt Euãgelij, quod eis imprimis à Deo missum, & nũciatum est, expertibus factis, gẽtibus tradi tũ fuerit, sicut eis Paulus, & Barnabas dixerũt; Vobis oportebat primũ loqui verbũ Dei: sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gentes: sic enim pręcepit nobis Dominus. Sicut enim ipsi Christum Ecclesiæ caput pręter alios odio ingenti sunt persequuti: ita & eius Ecclesiam. Ex quo intelligitur, nulla cognatione, nulla propinquitate posse vnquã probos; & improbos inter se conciliari: imo ipsi cognati, atque propinqui magis inter se dissident, si alij boni, alij verò impij sint. vt ex Caim, & Abel fratribus; ex Ioseph, & fratribus eius intelligi licet. vt illud Christi, quòd proximè citauimus, quàm verum sit, intelligatur. Veni separare filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.

Quid fuerit adumbratũ cũ primo miraculo vinũ fuerit ex aqua factum.

Iudæi acres fuerunt Ecclesiæ hostes.

Acto. 13. g.

Nullo modo posse probos, & improbos inter se conciliari.

Matth. 10.

3 *Et erit in die illa, ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis.* Dicit Hieronymus lapidem illum hic significari, quo vires olim athletæ, ac gladiatores exercere solebant, vt is valentissimus haberetur, qui cæteris altiùs eum è terra tolleret; quorum vnum Athenis se vidisse dicit: sed planior, & simplicior explicatio est, si Hebraismum esse dicamus. Nam cum Hebræi pauca nomina habeãt adiectiua,

Hieronymus.

frequenter vtitur genitiuo pro adiectiuo, vt sit lapis oneris, lapis grauissimus, & qui loco suo difficilè moueatur: ita dicunt Hebræi, viri sanguinū, id est, sanguinarij, viri misericordiæ, id est, misericordes. Itaq; Ecclesia firmissimè stabilita, & constituta est, vt quamuis vndiq; oppugnetur, conuelli, & loco moueri non possit: est enim super illam petram, ac rupem firmissimam Christum ædificata, & optimè cõstituta. quare nunquam inclinari, aut agitari poterit. Est etiam sanctis ac pijs hominibus coagmentata, vt Petrus ait; Ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales. iustorum autem natura est, vt grauissimi, ac constantissimi sint: contrà verò impij leues, & inconstantes natura sunt; sic vt nullis præsidijs firmari, aut stabiles reddi possint. quare frustra profunda in terra fundamenta iaciũt, suiq; altè impressum vestigium, ac memoriam perpetuam relinquere procurant. sicut Esaias verbis Dei Sobnæ dixit; Excidisti in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculũ tibi, ecce Dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinaceus &c. quasi pilam mittet te in terram latam, & spaciosam.

1. Pet. 2.

Iusti graues, impij leues sunt.

Frustra impij altam sui memoriã relinquere nituntur.

Omnes qui leuabunt eum concisione lacerabuntur. Id est, omnes qui cõuellere, aut agitare conabuntur Ecclesiã, ipsi damnum accipient; sicut ij, qui lapidem grauissimum tollere, aut loco mouere conãtur, qui nihil proficiũt, sed manus suas lacerant, corpus fatigant, & inutili labore consumunt. Verè enim Ecclesia, vt Christus caput eius, est lapis offensionis, & petra scandali, & omnis qui ceciderit super illum lapidem conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum. vt Christus ait apud Lucam; Cuius rei certissimum experimẽtum cœptum est, cùm tot reges, principes, & potẽtes homines aduersus eam bella exitiosissima gesserint, eamque totis suis viribus profligare, & vastare cupierint: manet tamen, & temporibus nostris multis regnis, ac prouincijs ornata, florentissima est, & maiorem (vt mea fert opinio) orbis terrarũ partem occupauit. ita vt nulla sit ferè prouincia, in qua christiani nõ viuãt. corruerũt tamen, ac funditus deleta sunt Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorũ imperia, quæ vniuersum ferè orbem terrarũ occupantia, ei assiduè bellum intulerunt. Quas verò plagas, quæ detrimenta, atque damna ab eis accipiẽda sunt, qui Ierusalem oppugnabunt, declarat noster propheta cap. vltimo dicẽs. Hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Ierusalem: tabescet caro vnius cuiusque stantis super pedes suos, & oculi eorum contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum cõtabescet in ore suo. id est, vehementer eorum scelus, & audaciam vlciscetur.

Est Ecclesia lapis offensionis, & petra scandali.

Luc. 20. c.

Semper Ecclesia quamuis oppugnetur, cõsistit.

Zach. 14.

Et colligentur aduersus eam omnia regna terræ. Docet quantis viribus Ecclesia fuerit oppugnata. Nulla enim fuit prouincia, nullũ regnũ (vt diximus) quod non eam bello tentauerit; vt ex hoc eius calamitates quantæ fuerint, intelligamus, & quàm immensa potentia fuerit defensa, dum tã assiduo, & periculoso bello nunquam fuerit subacta. Sequitur enim.

Quam immẽsa potẽtia Ecclesia fuerit defensa.

4 *In die illa dicit Dominus percutiã omnem equum in stupore, & ascensorem eius amentia.* Quibus verbis prędicit futuram è tantis calamitatibus salutem Ecclesiæ, præclara victoria parta. de stupore

stupore verò eo, & amentia loquitur, quo victi in prælio opprimūtur, dum de rebus suis desperantes, quò se vertant, aut in quem se locum recipiant, nesciunt. Ex ijs enim quæ solent in victorijs humanis euenire, spiritualem Ecclesiæ victoriam intelligi vult: longè tamen præstātior, & admirabilior est stupor eius, qui vitijs, flagitijsque deditus, Deo resistere, cum eoque dimicare audet, si paulisper resipiscat, ac verbo Dei superari, vincique incipiat; dum secum Dei verbo doctus cogitat, quanta cum potentia contendat, quanta se clades, & pernicies maneat; quàm denique temerarium, & planè stultum bellum gerat. quibus rebus ita exhorrescit, stupefit; ita stultitiam, & insaniam suam execratur, vt vix mente consistat. Hanc etiā Regnorum omnium aduersum Ecclesiam cōiurationem, & stuporem, in quem victi inciderunt, canit Regius vates dicens; Ecce Reges terræ congregati sunt, & conuenerunt in vnum, ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos: ibi dolores vt parturientis. eiusque specimen præclarum narratur in Actis, cum habita à Petro oratione ad populum scribitur; His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos; Quid faciemus viri fratres? Paulus etiam Ecclesiæ quondam accerrimus hostis, ei Christo loquente (vt Lucas narrat in Actis) tremens, ac stupens dixit; Domine quid me vis facere?

Ex ijs quæ in victorijs humanis eueniunt spiritualem Ecclesiæ victoriam intelligi vult.

Quātus sit stupor eius qui verbo Dei superari incipit.

Psal.47.

Acto.2.c.

Acto.9.

Et super domum Iuda aperiam oculos meos. Modus est dicēdi Hebræus, quo Ecclesiæ auxilium, & opem in tantis malis Deum laturum significat. Deus enim cū seruos, & amicos suos ærumnis, & miserijs non liberat, eas nō cernere videtur: & ob eam rem Ieremias Deum orat; Intuere, & respice opprobrium nostrum. Hac igitur spe lactati perfectè credētes omnes, quòd eos Deus aliquando respiciet, bono animo in malis, & ærumnis esse debent.

Phrasis Hebræa.

Thren.5.

Et omnem equum populorum percutiā cæcitate. Id est, superbos omnes, & arrogantes, qui copias seculi huius sequentes, eisque nixi, veræ fidei, & religioni restiterint, Ecclesiæque iugum subterfugerint, cæcitate multabo: nemo enim cæcior, quàm infidelis homo, qui viam omnino salutis suę non videt, sed in densissimis tota vita versatur tenebris, dum veram etiam officij rationem ignorat, quæ ab vna perfectè docetur Ecclesia. Sic Paulus Ephesijs scribit; Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum. Sequitur in propheta.

Nemo cæcior quàm infidelis homo.

Ephe.4.d.

5 *Et dicent duces Iuda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituum Deo eorum.* Hoc est, Ecclesia per duces, & Imperatores suos hortabitur, ex cordeq; optabit, precibusq; cōtendet vt milites, & habitatores sui non vllis humanis subsidijs, sed Deo suo confidant, eoque duce, patrono, & adiutore è tantis malis solui, & liberari credant, illudque Dauidis canant, cogitent, in signis atque vexillis scribant. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini sperabimus. *Habitatores Ierusalem.* vocat credentes homines: habitant enim in Ecclesia, & legibus illius gubernantur. Ex quo intelligitur, quod licet Ecclesia copias cogat nonnunquam, & alia comparet præsidia, bellum

Ecclesia optat vt filij sui non humanis subsidijs sed Deo tantum confidant.

Psal.20.

Ecclesia licet humana nonnunquā comparet subsidia in solo Deo tamen spem ponit.

tribulationem patimur, sed non angustiamur. Et quemadmodum tantũ abest, vt ligna multa, atque fœnum obsistere possint igni, vt magis eum accendant: sic tanta hostium multitudo non solùm Apostolorum, & Ecclesiæ ducum animos nõ retardauit: sed etiam inflammauit; sicut strenui militis animus, qui aduersariorum ictibus, & armorum fragore non modò non animo cedit; sed vehemẽtiùs excitatur. Sic de Paulo cum Athenis esset, dicitur, quod incitabatur spiritus eius in ipso videns idololatriæ deditam ciuitatem. Horum autem excellentissimorum ducum imago ad viuum exarata fuit in Elia, de quo Ecclesiasticus dicit; Surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbũ ipsius quasi facula ardebat. Et quemadmodum Elias verbo, & oratione ignem de cœlo traxit, quo hostes suos consumeret, vt narratur in. 4. Reg. 1. ita his precibus, & votis, quibus Ecclesiȩ duces, vt proximè exposuimus, petebant, vt habitatores Ecclesiæ in Deo omnes rationes salutis suæ collocarent, ignem hunc à Deo impetrarunt quo tot hostes superarent. Sequitur in propheta.

Hostes nõ solum nõ retardabant sed etiam vehementer inflãmabant Ecclesiæ duces.

Acto. 17. c.

Eccle. 48. a

Elias Apostolorum fuit figura.

4. Reg. 1.

Et deuorabunt ad dextram, & ad sinistrem omnes populos in circuitu. Id est, quaqua versus Euangelij doctrina, ac prædicatione populos, & prouincias obtinebunt, & in IesuChristi ditionẽ & potestatem redigent, sicut eis Christus dixit; Ite, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ: quod ita factum esse acta, & historiæ docent Apostolorũ. Temporibus nostris videmus infinitas nationes, atque prouincias, maioribus incognitas, recenterque opera Hispanorum inuentas Euangelium auidè amplexas fuisse.

Euangelij doctrina quaquauersus penetrauit.

Et habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem. Vatablus Hebræos sequens id de Ierusalem explicat terrestri, hoc est, quosdam credentes habitaturos in illa terrestri Ierusalẽ post Christi mortem: sed cum de Ierusalẽ spirituali hactenus verba fecerit, aptiùs mihi videtur eundem sequi contextum, eidemque id attribuere, in hanc sententiam: vt quamuis omnia regna terræ ad Ecclesiam expugnandam congregentur, & acriter ab omnium gẽtium copijs obsideatur, cùm à ducibus tanto animi ardore inflammatis defendatur, eam loco suo non mouebũt. Ecclesiæ vero locus eisdẽ, quibus orbis terrarũ (vt in secũdo capite exposuimus) terminis concluditur, orbeque toto eam pellere moliebantur omnes reges, omnesque populi, qui tanta ei acerbitate erant infesti: nihil tamẽ profecerũt: imo quotidie magis ac magis propagabatur, sicut ignis inter fœnum, atque ligna. Est enim Ecclesia supra eam petram ædificata, aduersus quam (vt Christus pollicetur) portæ inferi non præualebunt, vt eam sede sua diruant. Cum enim ipsa veram Dei doctrinã teneat, atque seruet, oportet illi contingere, quod Christus apud Lucam euenturum promittit ei, qui sermones suos audierit; vt similis sit homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram: inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat supra firmam petram.

Vatablus.

Ecclesia loco suo non mouebitur.

Matt. 16.

Luc. 6 g.

7 *Et saluabit Dominus tabernacula Iuda sicut in principio.* Docet quare tantus exercitus ex toto orbe terrarum contra Ecclesiam coactus eam loco suo non mouebit; cùm nullis esset cincta

cta muris, nulla tecta munita, & firmas ædes haberet: sed per agrum sparsa in tētorijs habitaret. Alludit enim ad singulares Ecclesias, quæ nascente Ecclesia christiana inter medios hostes, inter Gentiles, & Iudæos morabantur: quas commodisimè vocat. *Tabernacula.* Quia cum magna paupertate vitam traducebant, omni regum, & principum præsidio destitutæ. quas Ecclesias, licet inopes videantur, seruaturum, & ab hostium iniurijs defensurum se dicit: sicut olim domos Israelitarum inter AEgyptios hostes existentes; & eorum tabernacula cùm per desertum errarent, seruauit. Sed quãuis in vulgato nostro, & septuaginta viris sit. *Sicut in principio.* In Hebræo tamen est, in principio solùm, sine sicut. & potuit esse varietatis causa. ב. & כ. quæ sunt literæ simillimæ apud Hebræos; ita vt facilè vna pro altera irrepere potuisset. ב. autem significat in: כ. verò sicut. verba autem Hebræa planiùs eam habēt sententiam quam diximus.

Singularibus Ecclesijs omnium hominū præsidio destitutis quanto Deus tutio subsidio fuerit.

Saluabit Dominus tabernacula Iuda in principio. Id est, illas singulares Ecclesias, quæ in Ecclesiæ principio fuerūt ab omnibus humanis auxilijs desertæ, Deus abundè ab omni periculo reddet securas. hoc ad illud pertinet quod. 2. c. noster propheta dixit; Ego ero ei murus ignis in circuitu: præsertim quòd positurum se dixerat duces Iuda sicut caminū ignis in lignis;

Non glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem contra Iudam. Domum Dauid, & gloriā habitantiū Ierusalem vocat regnū, cuius est potitus. Dauid, quo regnante maximè floruit regnū Israeliticum cum duodecim tribus in eius ditione essent: præterea quę ad Euphratem vsque fines suos propagasset. Regnum igitur Israeliticum florētisimum comparat cum his tabernaculis Iuda, de quibus diximus: dicitque rem carnalibus, & rudibus hominibus valde mirabilem: gloriam præstantisimam regni Dauidis nō maiorem fuisse quàm gloriam illarum Ecclesiarum, quæ abiectæ, nulliusque pretij hominibus videbantur. Quod tamen facilè intelligent ij, qui quantum spirituales diuitiæ carnalibus præstent, cognouerint: quantumque duodecim Apostoli, qui illis tum Ecclesijs præerant, virtute superent omnes copias regni Dauidis. Nam copiæ Dauidis ad Euphratem victorijs peruenerunt: Apostoli verò vniuersum ferè orbem trophæis suis illustrarunt. Erant denique Apostoli præliantes sicut caminus ignis in lignis, & sicut facies ignis in fœno, vt antè noster propheta dixit: at duces, & exercitus Dauidis non tanta vi polluisse legimus. In hanc sententiam explicat Augustinus illud Psalmi. 86. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Portæ Sion sunt illę priuatæ Ecclesiæ, à quibus spiritualis Sion, id est, Ecclesia sumpsit exordium. In tabernaculis Iacob numerat Augustinus ipsam Ierusalem vrbem opulentisimā, quam simul cum reliquis omnibus vrbibus minoris æstimat Deus, quàm illas portas Sion. sed cum Ecclesia tantis tempestatibus temporibus Apostolorū iactata, Deus in hanc sententiam loqui apud Esaiam videtur dicens; Paupercula tempestate conuulsa, absque vlla consolatione: ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris. Et ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos

Regnū Dauidis maximè floruit regnum Israeliticum.

Gloria regni Dauidis non fuit maior quàm illarū Ecclesiarum, quæ hominibus abiectæ videbantur.

Virtute superarunt Apostoli omnes copias regni Dauidis.

Augustinus. Psal. 86.

Esai. 54. c.

tuos in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Vniuersos filios tuos doctos à Domino. Cum de fundamentis loquitur, Apostolos intelligit, quos Ecclesiæ fundamenta Paulus appellat. Ex reliquis autem materialibus diuitijs, & ornamentis, diuitias, & ornamenta spiritualia significat.

Ecclesiæ fundamẽta sunt Apostoli.

8 *In die illa proteget Dominus, habitatores Ierusalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi David.* Explicat quod proximè dixerat, cur non fuerit illustrior gloria regni Dauidis, quàm Ecclesiæ nascentis: homines hominibus conferẽdo: quod Deus tãto præsidio aderit, ita iuuabit habitatores Ierusalem, id est, Ecclesiæ, vt is qui infirmus, & imbecillis in Ecclesia habebitur, non minùs fortis sit quàm ipse Dauid, qui bellator omnium acerrimus habebatur. Triginta enim septẽ erãt viri fortes domus Dauid vt narratur secundo Regum vigesimotertio. & primo Paralipomenôn vndecimo. quorum fortissimus fuit Dauid, vt narratur secundo Regum vigesimotertio ex vulgata versione: qui vno cõflictu octingentos viros occidebat. Quod si is qui Ecclesia nascente infirmus habebatur, fortissimo regni Dauidis non est virtute inferior: facilè ex hoc intelligitur, quantò illustrior, & præstantior Ecclesia, quàm regnum Dauidis iudicanda sit. Estque locus hic insignis ad probandum quàm egregia, eximiaque pietate prædíti erant sancti viri in ipsis Ecclesiæ principijs. Neque minus insignis est locus sequens ad ostendendam, & ob oculos ponendam inauditam, inusitatamque Apostolorum virtutem, & sanctitatem; ait enim.

Infirmus Ecclesia nascentis fortior fuit, quàm fortissimus regni Dauidis.

Triginta viri fortes fuere domus Dauidis.

2. Reg. 23.
1. Paral. 11.
2. Reg. 23.

Locus insignis ad probandum quàm eximij viri fuerint in Ecclesia principijs.

Et domus David, quasi Dei, sicut Angelus Domini in conspectu eius. Id est, coryphæus, & qui Ecclesiam capessierit, vt Dauid regnum suum administrabat; erit sicut Deus. statim autem declarat quid intelligat nomine *Dei* adiungens; *Erit sicut Angelus Domini.* Coryphæi autem, & Ecclesiæ duces, ac gubernatores, Apostoli sunt. quare non cum hominibus, sed cũ Angelis comparandi sunt. Sicut enim in rebus naturalibus illę causæ præstantiores habentur, quæ proximè ad primum principium accedunt; vt cœli, quàm elementa: ita cùm Christus primum principium sit ædificationis Ecclesiæ, deinde verò Apostoli; non dubium est, quin si à Virgine sacrosancta discedamus, omnium sanctissimi, de Ecclesiaque optimè meriti existimandi sint. ita Paulus de se, & alijs dicit; Nos primitias spiritus habemus. eisque attribuit quod de cœlis ipsis Dauid dicit Psalmo illo; Cœli enarrant. Imitantur enim Apostoli cœlos; quia vt hi in rebus naturalibus; sic illi (vt dixi) in spiritualibus primæ post Deum sunt causæ. & ob eam rem eos Paulus, & Ioannes vocant fundamenta Ecclesiæ.

Virtute Apostoli non cum hominibus sed cum Angelis comparandi sunt.

Rom. 8. d.
Psal. 18.
Ephe. 2. d.
Apo. 21. d.

9 *Et erit in die illa: quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Ierusalem.* Postquam exposuit propheta quantis præsidijs sit Ecclesia munienda, quantaque virtute, & animi celsitudine milites, & propugnatores partes eius agent; exponit modò quod id sequebatur magnam hostium, & aduersariorum cladem futuram. Sed contritionem, & cladem hanc, de qua hic propheta loquitur, intelligendam esse duco, vt à D. Hieronymo in cõmentarijs doctissimè exponitur: vt sit cor-

Cuiusmodi Ecclesiæ hostium clades futura sit.

dis, & animi contritio, qua hostes, & oppugnatores Ecclesiç victi, & in eius potestatem redacti amarè dolebunt, & ægrè ex animo ferent, quòd bellum aduersus eam gesserint, aut rationibus eius vllo modo obstiterint. Hęc est enim vera Christi victoria, & quę vim eius immensam maximè docet, vt ca. 3. pluribus exposuimus. longèque præstantior illa, qua inimici eius supplicijs æternis conficiuntur, cũ animo rebelli perpetuò maneant. Quam sententiam ipsa prophetæ verba significare, & leuiter tangere vidẽtur, cum dicit.

Quæram conterere. Quod soliciti & varias rationes inquirentis, & inuestigantis esse videtur, quibus hostes suos perdat. at simplex ille modus est, nec multi laboris, & industriæ, quo hostes suos perpetuo apud inferos constringit supplicio. Illa tamen multiplex, & varia ratio, qua iniquorum hominum corda, & animos ita confregit, vt nihil ei repugnare, vel à sua voluntate desciscere audeãt; sed in se ipsos iram omnem conuertant, quòd Deo vnquam ausi fuerint aduersari. de hac tam præclara victoria, & hostium fusione, ac contritione loquitur apertiùs Esaias. Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi. in eandem sententiam dictum esse videtur illud Esaiæ primo. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia, & conteret scelestos, & peccatores simul: præsertim quod in Hebræo est חַטָּאִים *hataim*, quod peccata interpretari possumus. Quare de illa contritione saluberrima differere videtur, quæ vitia, & peccata purgat. Exquisitissimæ au-

Esa. 60. c.

Esa. 1.

Rationes quibus Deus hostes suos confregit.

tem rationes, quibus Deus iniquos hoc modo mirabili confregit, sunt mea sententia, Euangelium, miracula eximia, & inaudita. Apostolorum, & magistrorum virtus, qui multis iniurijs lacessiti, excelso quodam animo omnia mala, & detrimenta tolerabant, beneficijsque hostium temeritatem, & insolentiam vincebant. huiusmodi (vt mea fert opinio) armis tot hostium clades ediderũt, tot sceleratos homines euerterunt, vel potiùs sanarunt.

10 *Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ, & precum.* Exponit rationem, atque modum, quo tantæ sint res à Deo gerendæ, quo inquam pacto milites suos tantopere sit inflammaturus, & vi incredibili muniturus, ac tantam cladem hostibus allaturus, vel potiùs eos in veram pietatem, ac religionem reuocaturus: larga scilicet eos Spiritus sancti gratia cumulãdo, quò Deo chari & amici reddantur. Hoc enim pacto Deus mundum vicit; & hostes suos sibi conciliauit: quod in Sapientia declaratur, cum dicitur. Misisti Spiritum sanctum tuum de altissimis. Et sic correctæ sunt semitæ eorum, qui sunt in terra, & quæ tibi placent, didicerunt homines. Nam per sapientiam sanati sunt: quicunque placuerunt tibi Domine à principio. Quod autem sint hoc pacto militum animi roborati, & ad bellum administrandum instructi, illud maximè declarat, quod Christus in cœlum migraturus Apostolis ac discipulis suis præcepit, ne bello lacessere hostes auderent; sed in ciuitate quieti manerent, quousque induerentur virtute ex alto. & in Actis scribitur conue-

Qua ratione Deus milites suos inflammauit.

Sap. 9. d.

Luc. 24. g.

Acto. 1. a.

conuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissioné patris: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos auté baptizabimini Spiritu sancto. *Spiritus gratiæ.* Eam gratiam significat, qua Deo chari, gratiq; sumus: sicut Paulus ait; Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. charitas Dei, id est, qua Deo chari sumus, in eiusq; gratiam reducimur. Quod dicit. *Precum.* id est, gratia hæc, quam Spiritum gratiæ appellauit, qua eos Deo gratos, charosque reddet, Deo etiã fidere, ad eumq; cõfugere, eum precari, & orare docebit. Ex quo intelligitur, eum qui Deo charus, & amicus sit, cõsequens esse, vt eum sæpe oret, & obsecret. Gratia enim spiritus etiam precum est. quareq; quò maior est, eò magis ad orandum, & postulandum excitat. Quocirca qui parùm precibus, & obsecrationi incumbunt, intelligere debent parùm se etiã esse Deo gratos. quod hoc loco vehementer probatur. Christus etiã pluribus Euangelij locis nos verbis, & exẽplo orare docet, & quod oporteat semper orare, & nunquã deficere differit apud Lucam. quod verò. *Effundam* dicit, ad significandã ponit gratiæ copiã, quæ per vniuersam Ecclesiam manauit, & fusa est, sicut Esaias testatur; Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis. & capite sequẽti propheta noster dicit; Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & mẽstruatæ. Fontes auté hos, atque amnes, qui gratiam tam copiose fundunt, septem sacramẽta esse duco: vt sicut paradisus ille initio à Deo consitus quatuor fluminibus alluebatur, ita Ecclesia per Christum restituta, septem sacramentis, quæ viridé eam, & amœnam, ita vt nunquã marcescat, conseruabunt.

Rom. 5. d.

Deum sæpe obsecrat qui Deo charus est.

Qui parum Deum precatur, parum etiam Deo gratus est.

Luc. 18. c.

Esai. 66.

Quanta gratiæ copia per Ecclesiã manet.

Paradisi flumina cum sacramentis cõparantur.

Et aspicient ad me quem confixerunt. Christus de se loqui videtur, id est, me, quem adeò habuerunt ludibrio, vt in crucem tollerẽt, me, inquam, in crucem actum in oculis ferent, amplexabuntur, ac spes, & rationes omnes suas in me ponent. Hunc locum Ioannes de Christo in cruce pendente interpretatur cap. 19. tantaque eius vis est ad id comprobandum, & Hebræos confutandos, vt quidam Hebræus magni nominis inter illos ingenuè fateatur, de Messia Ioseph filio à maioribus suis, quos honestatis causa nominat, fuisse explicatum. In qua re ipse vehementer mirari dicit, neque se hoc loco explicare commodè potest. Quare miror ego Liranum, cætera doctum virum, qui hunc locum in die tantum iudicij re præstandum dicat, cùm ipse Ioannes (vt dixi) exponat, Christi morte fuisse impletum; neque Iudæi rebelles tanta veritate conuicti ei audent inficias ire, nisi forte illud. *Aspicient*, tunc futurum esse intelligat, sicut Ioannes in Apocalypsi. c. 1. significare videtur. Sed id non modo tunc, sed etiam nũc, & hactenus factum est ab eis qui Christũ verum Deum esse credunt, in eoq; ex animo sperant. Itaq; propheta docere videtur totius gratiæ fonté, & eam quasi ad caput reuocare: è Christo enim omnis gratia fluxit, atque emanauit. Christum significare videtur fluuius ille, qui vniuersum paradisum rigabat: deinde verò in quatuor flumina diuidebatur; ita & gratia vniuersa ex Christo in cruce pendente manans, in septem deinde sacramenta dispertitur, ac se fundit.

Vehemens locus ad Christi cædẽ probandam, & Iudæos conuincendos de hac re.

Quo pacto cruce pẽdere debeamus vt ex ipsa Christus pependit.

Ex hoc loco docemur, vt quemadmodum Christus ex cruce pependit; ita nos ex ea pendere, & rationes omnes nostras ex ea suspensas habere debemus; intelligentes Christum cruce affixum, Dei virtutem, & sapientiam esse, vt Paulus Corinthios docet. ita vt omnem virtutem, & verã in rebus gerẽdis sapientiã à Deo per ipsum ad nos deriuandã, à nobisq; impetrãdã existimemus. & ita ipse Christus in nomine suo patrem nos orare docet, & quidquid patrem in nomine suo petierimus, impetraturos promittit.

1.Cor.1.d.

Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. Mutatio est personæ, quæ in sacris libris vsu sæpe venire solet: de eodem enim Christo hæc dicuntur, qui illam proximè superiorẽ sentẽtiam dicere visus est. hoc est, probi, & sancti viri, qui se Christo totos addicent, eumq; respicient, minimè probabunt tetrum illud facinus eorum, qui Christum cruce affixerunt, & tam indigna morte multarunt; sed potiùs tam horrendũ scelus execrabuntur, magnumque eis tanta Christi acerbitas, & ærumna inuret dolorem. Nam licet Christi mors, & cruciatus vniuersam sanctis, & pijs hominibus salutem, & felicitatem attulerit, dolebunt in ijs tamen, sicut dolet is, cuius ad bonam valetudinem recuperãdam caput, aut aliud membrum præcipuum inciditur, aut ad tibiam fractam, aut conuulsam cõponendam, magnos cruciatus sustinere cogitur. Immane enim, & inhumanum esse videtur, nihil tantis Christi innocẽtissimi pœnis, & supplicijs percelli, cùm nos præsertim illorũ in culpa simus: sicut etiam filius doleret nimis, quòd pater, quem vnicè amat, ad extremã redactus fuerit paupertatẽ, quòd omnẽ, quam habebat pecuniã, pependerit, vt illum iusto supplicio liberaret: non quod illam pensam fuisse pecuniam nolit, cùm aliter salutẽ adipisci nõ posset; sed quòd se vehementer mordeat, quòd sua culpa ad tantã fuerit miseriam cõpulsus. Quare qui nihil Christi malis, laboribus, & ærũnis mouetur, vel parùm illum diligere, & amare videtur, vel parùm animaduertere sua causa esse susceptos. Quocirca his verbis vates noster declarat, & angoris magnitudinẽ, quo se viri sancti ob Christi mortem implicabunt, & amoris ardorem, quo eum prosequentur. Primum cum dicit, *Plangent & dolebunt*. id est, ita vehementer intimis sensibus angentur, vt se ab vlulatu continere nõ possint. Secundum cùm dicit, *Quasi super vnigenitum, & vt doleri solet in morte primogeniti.* Amor enim erga primogenitum ardentissimus esse solet. Cuius rei figuram, & imaginem aptissimam superioribus temporibus expressam fuisse tangit dicens.

Quo pacto oporteat nos in Christi morte dolere.

Christum leuiter amare videtur qui leuiter in eius morte doles.

Quam vehementer doleãt viri pij Christi mortem.

11 *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon.* Comparat Ecclesiæ luctum ob Christi mortem cum eo luctu, in quo fuit Ierusalem ob mortem Regis sanctissimi Iosiæ: de quo narratur. 2. Paralip. lamentationesq; de morte eius cõposuisse Ieremiam, quas singulis annis cãtores & cãtatrices lege, & instituto vrbis repetunt. quod in vera Ierusalẽ, id est, Ecclesia ad hãc vsq; diẽ ob mortẽ Christi magna totius Ecclesiæ religione, lege, & instituto eius seruari videmus. Singulis enim annis statis diebus magna luctus, & tristitiæ significatio fit, & lamẽtationes Ieremiæ cãtores Ecclesiæ amarè

2.Par.35.d.

amarè canũt. Fuit ergo Iosias, imago expressa Christi. Restituit enim Christus verã religioné, sicut ipse Iosias vt narratur eodem lib. c. 34. Populi verò ob Iosię morté luctus figura fuit eius cultus, quo Ecclesia singulis annis statis diebus Christi morté atrocissimã pia religione repræsentat; vt illud Apostoli verissimum esse intelligatur; Omnia populo illi veteri in figura cõtigisse. Docet nos etiã locus hic, quo modo figuras veteris testaméti ad res noui declarãdas citemus, quò meliùs cadere intelligantur, cõparatione, & similitudine: aptiùs enim dici videtur, vt noster ait propheta. *Erit planctus*, in Ecclesia sicut planctus ille, qui fuit in Adadremon, quã si dicas planctus Adadremon fuit planctus Ecclesiæ. Cæterùm Adadremon in campo Mageddo fuit, in quo præliũ cómissum fuit cũ Rege AEgypti Necao, in quo fuit sanctus Iosias necatus. Sed in loco Paralip. citato campus tantùm Mageddo appellatur. Sed Septuaginta vertunt ῥοῶνος ἐν πεδίῳ ἐκκοπτομένου. id est, mali granati in cãpo succisæ. Sed sæpe diximus frequens esse apud Septuaginta, vt nomina propria hominũ, & locorum explicando reddant. Significat ergo Adadremó granatũ: Mageddo verò succisam. quod fortè erat locus ille multis malis granatis consitus, qui ab vtroque exercitu, vel antè succisæ fuerant.

1. Cor. 10. b *Quomodo sint figuræ veteris instrumẽti tractandæ.*

Et planget terra: familiæ, & familiæ seorsum. &c. Vsq; ad finem capitis planiùs differit quãtus luctus futurus sit in Ecclesia ob Christi morté, dicitq; vniuersas familias grauiter ploraturas: numeratis primò quatuor familijs, Nathan, Dauid, Leui, Semei; quo nos diutiùs in huius rei consideratione, quæ valde necessaria est, detineat; deinde vniuersam illam, quam dixi propositionem concludit, qua significat omnes pios, & religiosos viros in gemitu de Christi morte versatũ ire. quod quo pacto sit intelligendũ, quãtũq; viros id christianos deceat, paulò antè explicuimus. Quod verò dicit, *Mulieres eorum seorsum.* Videtur tãgere cõsuetudiné Hebræorũ: plangebant enim mulieres seorsum à viris.

CAPVT XIII.

1 IN *die illa erit fons patens domui* A
David & habitantibus Ierusalẽ:
in ablutionẽ peccatoris & mẽstruatæ.
2 *Et erit in die illa, dicit Dominus*
exercituum, Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabũtur vltrà: & pseudoprophetas, & spiritũ immundum auferam de terra.
3 *Et erit: cùm prophetauerit quispiã*
vltrà, dicent ei pater eius & mater eius, qui genuerunt eum, Non viues; quia mẽdacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater eius, & mater eius, genitores eius cùm prophetauerit.
4 *Et erit in die illa, confundentur* B
prophetæ vnusquisque ex visione sua cum prophetauerit, nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.
5 *Sed dicet, Non sum propheta, ho-*
mo agricola ego sum: quoniam Adam exemplũ meum ab adolescentia mea.
6 *Et dicetur ei, Quid sunt plagæ* C
istæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.

7 *Phramea suscitare super pastorē meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oues, & conuertam manum meam ad paruulos.*

D 8 *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ in ea dispergentur & deficient: & tertia pars relinquetur in ea.*

9 *Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum: & probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam, Populus meus es; & ipse dicet, Dominus Deus meus.*

1 *IN die illa erit fons patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem: in ablutionē peccatoris & menstruatæ.* Verba superiori capite propheta fecit de Christi seruatoris nece: hoc verò cap. docet, quas vtilitates ex eius nece percepimus. primùm, quòd fontē nobis perennem, sanctißimamque parauit, ex quo hauriremus aquas ad sordes nostras, id est, peccata perfectißimè lauanda. Hunc fontem, de quo propheta loquitur, quidam Baptismum esse opinantur: alij lateris Christi vulnus lancea militis susceptum, ex quo sanguis, & aqua (vt narrat Ioānes) manauit. quæ sententia mihi magis probatur. Nam licet baptisma imprimis ad peccata diluenda institutnm esse videatur; omnia tamen sacramenta vim repurgandi sceleris habent. Quare ad fontē hunc, de quo disserimus, pertinere debent: vt licet sint à baptismate distincta, huic tamē fonti apta sint, ex quo vno peccati remittēdi vis deriuari potest. Quare fontem hunc vulnus lateris Christi esse putemus, ex quo omnia sacramenta fluxerunt. Nam omnia sacramenta vim omnē, & naturam suam ex Christi cæde suscepēre, qua nobis Deum conciliauit, ac soluto pretio peccati tyrannide liberauit. Sunt verò septem sacramēta quasi quidā thesauri in quibus repositæ sunt diuitiæ omnes, quas nobis Deus per paßionē suam comparauit. Quod vt significaretur, diuino Dei cōsilio illud miraculū editum fuit, vt cōpleta paßione ad nos hic fons permanaret, vt ad mundū paßio deriuaretur, cuius fuit causa suscepta. Si verò Hebræa verba huius loci cōsideremus, aptißimam huius fontis nobis ostendūt imaginē veteri lege propositā. Siquidē quod vulgatus interpres vertit. *Ad ablutionem peccatoris & menstruatæ.* In Hebræo est לְחַטָּאת וּלְנִדָּה *lchatat vlnida*, id est, ad expiationē, & aspersionem. Sunt autem verba hæc sumpta à propheta nostro ex cap. 19. Nume. vers. 9. in quo cap. Deus modum tradit Moysi faciendi aquam ex cineribus vaccæ rufæ, qua inquinati mundētur. & deinde versu illo citato subiungit; Vt sint multitudini filiorū Israel in custodiam in aquā aspersionis; quia pro peccato vacca cōbusta est. Si verbum tamen de verbo reddamus, quod per paraphrasim interpres noster conuertit, ita interpretari poterimus, & erit ipsa pro instituto filijs Israel in aquā aspersionis, & expiationis: ponunturq; eadem omnino verba, quæ hic noster ponit propheta: nam quod hic vulgatus interpres transfert ablutionē peccatoris; loco citato transfert longiore oratione, quia

Quas à cæde Christi vtilitates percepimus.

Vulnus lateris Christi fuit fons patens in Ecclesia.

Ex latere Christi septē Sacramenta fluxerunt.

Cur latus Christi sanguine, & aqua manauit

Imago apta huius fontis quæ est in Ecclesia.

quia pro peccato vacca cõbusta est. quod verò hic conuertit menstruatæ, loco citato conuertit aspersionis: nam vtrumque verbum Hebræum significat. quare iisdẽ nominibus propheta fontem hunc appellat, quibus aqua illa veteri instituto facta appellata est. Ex quo intelligitur apertissimè prophetã hac ratione dicendi nobis significare voluisse, aquã illam imaginem, & figuram fuisse huius fontis, qui ex latere Christi manauit. Vt enim vaccam illam, quæ in cineres redigebatur, quibus misceretur aqua, rufam esse oportebat: ita & Christus sanguine suo rufus redditus fuit: nam ei dicitur apud Esaiam; Quare rubrum est vestimentum tuum? & sicut vacca illa comburebatur; ita & Christus quasi combustus fuisse videtur atrocissima, & crudelissima illa morte, qua multatus est. Nam grauissimæ calamitates, & ærumnæ, ignis in sacris oraculis vocari solent, sicut dicit Dauid. Igne nos examinasti sicut examinatur argentum; Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, & homines super capita nostra: transiuimus per ignem, & aquam. & ipse Christus de seipso dicit apud Dauidem; Aruit tanquam testa virtus mea. Et sicut illa vacca in cineres combusta redigebatur: ita Christus tantis cõtumeliis, tam variis ignominiis, quibus nefariè fuit appetitus, valde fuit exinanitus; sicut dicit Paulus, ipseque Christus apud Dauidem queritur dicens; In puluerem mortis deduxisti me. quare rectè Propheta noster hanc imaginem, & figurã perstringit. Ex eadem imagine Paulus optimè probat eximiam huius fontis virtutem dicens; Si cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationẽ carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortis, ad seruiendum Deo viuẽti. Huius etiam fontis imago, licet non tam expressa, fuit fons ille, de quo dicitur in Genesi; Fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ: quem Christus restituisse videtur. Sicut ille antequam homo peccaret, plantas sua vi rigabat, & alebat sine vllo hominum subsidio; ita & fons hic virorem plantis, id est, iustis hominibus propter peccata antè arefactis attulit, illosque ita alit, vt fructus vberrimos edant. de hac aqua loquitur etiam Paulus, simul alludens ad illã vaccæ rufæ; Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corde à consciẽtia mala, & abluti corpus aqua munda. Quod verò dicit patentem fontem futurum, vt intelligatur omnibus propositus esse ad aquã pro cuiusq; voluntate gratis, & absq; vllo pretio hauriendam. Nefarium enim est, & ab huius fontis instituto longè alienum, eius aquam vel vendere, vel emere. ipse enim Christus Apostolis suis dixit apud Matt. Gratis accepistis, gratis reddite. & in Apocalypsi scribitur; Qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. Minimè verò orbi terrarum patere ponitur;

Christus cum vacca rufa veteris instrumenti cõparatur.

Esai. 60.

Grauissimæ calamitates ignis solent in scriptura vocari.

Psal. 65.

Psal. 21.

Philip. 2.

Psal. 21.

Heb. 9. d.

Gen. 2. a.

Heb. 10. d.

Quam sit laudi quaerere vendere spiritualia.

Matt. 10. a.

Apoc. 22. d.

Sed domui solum Dauidis, & habitantibus Ierusalem. Id est, Ecclesiæ, extra quam hæc aqua comparari, aut vllo pacto hauriri non potest. Nam Christus se tantùm pro Ecclesia tradidit, & eam solùm aquæ lauacro in verbo vitæ mundauit, vt Paulus scribit; quare huiusmodi aqua ad eum non pertinet,

Ephe. 5. e.

meritò magno studio huiusmodi lupos oues Christi fugiunt, & eos penitus extinguere conantur.

Et configent eum pater eius & mater eius cum prophetauerit. In Hebræo est דְּקָרֻהוּ *daqueru*, quod configere significat, vt vertit vulgatus. sed septuaginta vertunt πεδήσουσιν. id est, compedient: in cruce fortè intelligũt, id est, extremo vel magno eum supplicio afficient, quòd ausus est vaticinari in nomine Domini. Totum pertinet ad illustrandum illud, quod dixerat, auferendos esse falsos prophetas de terra. Eodem etiam pertinet quod sequitur.

4 *Et erit in die illa, confundentur prophetæ vnusquisque ex visione sua, cum prophetauerint, neque operientur pallio saccino vt mentiantur.* Nonnulli veri prophetæ vili, & aspera veste vtebantur, quoniã diuitias & omnes seculi fortunas contemnebant: tum vt populum, cuius reprehendebant, & obiurgabant peccata, ad pœnitentiam, & vitæ parsimoniam excitarent. quo habitu de

4. Reg. 1. b. scribitur Elias. 4. Reg. 1. b. & ille prophetarum maximus Ioannes Baptista

Matt. 3. b. Matt. c. 3. b. & Marci. c. 1. a. Vt ergo ve

Marc. 1. a. ros prophetas imitarentur falsi pro-

Falsi prophetæ veros veste imitabantur. phetę, pallijs saccinis, & alijs vilibus indumentis vestiebantur, quò animum suum iniquum, & fallacem dissimularent. hæc est illa vestis ouium, de qua nos admonet (vt dixi) Christus ne ab ea ita capiamur, vt lupi pro ouibus habeantur. qua doctrina si imbuti sint veri christiani fit, vt neque hac quidératione se celare falsi prophetæ possint. Quare huiusmodi vestibus, vt noster dicit propheta, vti desinẽt: nihil enim vel hoc modo proficient, neque honorem, & æstimationem vllam, quam quærunt, si vaticinari audeant, reportabunt, sed magnam confusionem, & ignominiam, qua sanior, & cautior factus, si postea ex eo aliqui vaticinium quæsierierint, illos à se longè reppellet, & propterea sequitur.

5 *Sed dicet non sum propheta, homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Id est, quid ex me vaticinium quæris, cum non vaticinio, sed alij rei longè diuersę studeam? Non vaticinium, sed agrum colo; idque non ab heri, & nudiustertius, sed ab adolescentia mea, Adam omnium parentem imitor; cui dictũ

est. In laboribus comedes ex terra cũ Gen. 3. d.

ctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Vel Adam hoc loco potest esse nomẽ non propriũ, sed appellatiuũ, & hominẽ declarat. quod verò vertit vulgatus, exemplum meum, in Hebræo est הִקְנַנִי *hicnani*, quod variè ab Hebræis interpretatur; quidã, quoniam homo quidam docuit me vt pascerem pecora, & agrum colerẽ: alij vertunt, fecit vt pecora pascerem. sed cũ eius radix ac thema קנה *cana*, possidere propriè significet, nihil est quod alias longè petitas interpretationes afferamus: sed interpretemur, homo sum agricola; quoniam homo fecit, vt possiderẽ agrum. id est, agrũ mihi legauit, aut dedit, eiq́; colendo incumbo ab adolescẽtia mea. Septuaginta viri transferũt ἄνθρωπος ἐγέννησέ με. Id est, homo genuit me; & ob eam rem non diuina, sed humana sequor, agrique culturæ me dedo.

6 *Et dicent ei, Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet, His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Hæc sentẽtia potest vel ad superiora, vel

vel ad inferiora referri. Si ad superiora referatur, vt vult Hieronymus, Liranus, & Vatablus, & omnes ad vnũ Hebræi interpretes, facilis est eius explicatio. id est, ij qui primum ex eo vaticinium quærebant, postquam ita fuerint repulsi, eum rursus interrogabunt, vbi in manibus eius vulnera viderint, ex eo quòd fuerit à parentibus confixus, quod vaticinari ausus est: interrogabũt, inquam, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? ac respondebit.

His plagatus sum in domo eorũ qui diligebant me. Id est, in domo parẽtum meorum, quòd me prophetam simulauerim. Ex eo verò quod dicet se plagatũ fuisse in domo eorum qui diligebãt eum, ostendit merito suo eas plagas accepisse: sunt enim non ex odio, sed ex amore profectæ. Quare rectè faciunt qui huiusmodi Sycophantas, vel cætera amantißimos, pœnis, atq; supplicijs constringunt, atque coërcent. Nam prẹterquam quòd nefariẹ mentiuntur, grauißimorum malorũ causa esse solẽt, vt falsi illi vates, quos audiebat Achab, causa fuerũt, cur tantæ copiæ perditum irent, ac ipse rex bello victus interficeretur, vt narratur. 3. Reg. 22. Quamobrem iustißima lex illa est à Moyse lata in Deute. Propheta (inquit) qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Sin autem hoc prophetæ effatũ ad inferiora, quæ proximè sequuntur, referatur, vt placere videtur Ecclesiæ, quæ rem sacrã passionis Christi faciens, ad Christi seruatoris plagas hoc in Epistola accommodare videtur; placet etiam id Ruperto Abbati, & alijs pijs, & christianis viris: licet nõ tam facilis sit explicatio, ita tamẽ expediri potest. Vt quoniam propheta orationem instituit de falsis prophetis, quorũ deprehensa perfidia Christo auctore merito suo cruci affigentur, inducat sermonem de ipso omnium præstantißimo propheta Christo, qui contraria ratione, quã falsi prophetæ in crucẽ actus est, quoniam cum verißimus esset propheta, verißimaque verba Dei nũciaret, atque doceret, falsum tamen esse prophetam criminantes eum in crucem nefariè egerũt. Quærit igitur propheta ex ipso Christo, cuius lumine falsi prophetæ cognoscebantur; Sed quid tu verißime, & excellentißime propheta non secùs, ac falsi prophetæ confixus es? Vnde enim plagæ istæ in medio manuum tuarum? atque ipse Christus respondeat; *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Synagoga enim, & domus Dauid, Deum verum diligebat, deque Deo vero vehementer gloriabatur. Quo responso populi sui perfidiam vehementer auget, qui cum prẹter cẹteras nationes eum colere, & obseruare deberet, præter cæteras tamen gentes eum vexarit: & contumelijs omnibus affecerit, sicut etiam Ioannes dixit; In propria venit, & sui eum non receperunt. Sed quoniam hic excellentißimus, & præstãtißimus propheta est, infinitaque potestate præditus, difficile intellectu esset, quo pacto ita valere aduersarij potuerunt, vt eum tam crudeli, & ignominiosa morte absumerent, exponit deinde propheta quo pacto id gestum fuerit dicens.

Phramea suscitare super pastorẽ meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Prosopopœia est

Dei

Falsos prophetas, id est, hæreticos æquũ est interficere.

3. Reg. 22.

Deut. 18. d.

Ioan. 1. a.

Dei patris cum aduersarijs Christi loquentis, ac eis potestatem aduersus Christum prębentis. alter enim nihil ei hostęs vlli nocerent, sicut ipse Christus Pilato dixit; Nō haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Ita Esaias Christi mortem, labores, & ærumnas non aduersarijs, sed ipsi Deo Patri ascribit dicens; Propter scelus populi mei percussi eum. & paulò inferius: Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Eadem verò translatione Iudęos hoc loco Deus vocat phrameam suā, qua apud Esaiam vocat Assur virgam furoris sui. quia sicut Assur vsus est ad Hebręos puniēdos; ita & ipsis Hebræis ad Christum seruatorem puniēdum. Ridiculè verò hic locus ab Hebræis explicatur: non enim potest intelligi nisi de Christo. & ita à Matth. explicatur. c. 25. de Christo pręhenso. Tunc enim primò gladius hic munus suum exequi cœpit, quando ipsis carnificibus Christus dixit; Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Ac quemadmodū gladius, vel phramea hæc nihil Christo vnquam nocere potuisset, nisi eam Deus Opt. Max. excitaret, id est, nocendi facultatem, ac licentiam tribuisset: eodem modo nemo damnum, vel detrimentum viro sancto afferre potest, nisi de voluntate Dei. Ita licet diabolus magnum in Iob odium habuerit; eum tamen lædere non potuit, antèquam à Deo licentiam impetraret. quæ vna res maximè viros sanctos in omni calamitate, & aduersa fortuna leuat. Sibi enim persuadēt nihil à patre amantissimo, nisi ad vtilitatem, & emolumentum eorum proficisci posse. Sic ipse Iob vxorem suam, quæ spe excidisse videbatur, excitauit dicens; Sicut vna de stultis mulieribus locuta es; Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus. Contrà verò potentes, & qui huius seculi opibus abundant, sibi debēt vehementer timere: nam licet magnis præsidijs opes suę esse munitę videātur; si Deus tamen phrameam aliquam excitare, aut vllum eis gladium admouere decernat, facilè omnes euertet, atq; succidet. Si enim filium suū infinita potentia præditum ita allisit, atque deiecit, quis vnquam ei resistet? ob eamq; rem Dauid ait; Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua. Vnum tantùm superest præsidium, quo ab ira, & phramea Dei tuti esse possimus; ipse Deus, in quo omnes spes nostras ponētes securi per Christum ab eius phramea erimus: qui omnes eius phrameæ acerrimos ictus in corpore suo pro salute nostra excepit, quò eius acies vehementer retusa est. & ipse Christus ad Deum ipsum confugiebat, cum eius phrameam in se intentam esse videret, sicut per Dauidē loquitur; Erue à phramea Deus animam meam.

Super pastorē meum. Id est, qui meas pascit oues. Apostoli enim, & omnes electi, oues Dei sunt, qui à Christo pascuntur, & ad pascua aguntur æternæ vitæ. deque munere hoc Christus vehemēter gloriatur cum dicit apud Ioannem; Ego sum pastor bonus: & de Apostolis Patri dicit; Quos dedisti mihi ego custodiui. quare rectè pater Christum pastorem suū appellat.

Virum cohærentem mihi. In Hebræo est גֶּבֶר עֲמִיתִי *geber amiti*, Id est, virū socium meum; vel proximum meū. quo tangitur, hunc pastorem æqualem esse Deo patri. & Chaldæa paraphrasis ita habet. Exere te ô gladie in regem,

Marginal notes (left column): Ioan. 19. *Deus potestatem dedit aduersarijs Christi ad eum necandum.* — Esai. 53. c. — Esai. 10. — Matt. 26. — *Nemo viro sancto nisi de voluntate Dei detrimentum afferre potest.* — Iob. 1. — *Leuat maximè virorum sanctorū calamitates, quod Dei voluntate euenire intelligant.*

Marginal notes (right column): Iob. 2. — *Facilè Deus vel potentissimos homines succidet.* — Psal. 75. b. — *Vnū tantū præsidiū est quo ab eius ira tuti esse possumus.* — Psal. 21. — *Rectè Christus pastor Dei appellatur.* — Ioan. 10. — Ioan. 17. b.

cillitas deficiamus, vt ad nos manum suam pro sua benignitate, & clementia conuertat: nec nos errare diu ille amantissimus pastor permittit. Ita Dauid precabatur; Cum defecerit virtus mea, Deus ne derelinquas me, id est, prçstò mihi sis, & manum tuam ad me conuerte, vt ego vicissim vultum meum ad te conuertam: sicut dicit Petrus. Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. Septuaginta verò interpretes non paruulos, sed pastores interpretantur: nomen tamen צערים *zoharim*, minores, siue paruos significat: & ita Septuaginta alijs locis transferre solent. quare ipsum rei pondus eos ad se de propria nominis significatione deflexisse videtur. Etenim hi paruuli verè pastores fuerunt, quibus Deus gregem suum pascendum postea tradidit. Petro enim dixit; Pasce oues meas. & reliqui omnes Apostoli pastores, & Episcopi fuerunt animarum, sicut & Christus.

Psal. 70.

1. Pet. 2. d.

8 *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duae in ea dispergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea.* Docuit propheta, quid Christo, quid Apostolis illum sequentibus factum fuerit: exponit modò quid cæteris hominibus, ac reliquo vniuerso mundo futurum sit; vt intelligamus summa rerum momenta in Christi percussione esse posita, atque in ea omnium hominum vniuersi orbis rationes verti. Quare vniuersos omnium gentium homines in tres partes distribuit, quarum duæ partes perdentur, ac concident; tertia verò pars seruabitur. Numerus esse videtur certus pro incerto, sicut illud Apocalypseos: De tribu Simeon duodecim millia signati, de tribu Leui duodecim millia signati. id est, aliqui seruabuntur per Christi mortem, & aliqui peribunt: sed longè plures peribunt, quàm seruabuntur: sicut Simeon dixit apud Lucam; Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. Vel vt exponit Hieronymus has tres terræ partes; vt vna sit Iudæorum, altera Gentilium, tertia Christianorum. Duæ partes, id est, Gentiles, atque Iudæi concident: Christiani verò salutem consequentur. At multi etiam Christiani peribunt: est enim Ecclesia similis sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. & Christus dicit; Non omnis qui dixerit mihi Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum. id est, non omnis qui mihi fidem habuerit, & religionem quam orbi terrarum propono, acceperit, ad regnum, & gloriam meam perueniet: sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cçlus est. Multi tamen christiani non faciunt voluntatem patris: igitur multi etiam christiani peribunt. quare illa prior explicatio mihi magis probatur. Hic autem operæpretium est animaduertere, quòd licet Christus pro omnibus mortuus fuerit; & Dominus super eum posuerit peccata omnium nostrûm; vt Esaias testatur: huius tamen rei vtilitas ad paucos perueniet, si cum ijs comparentur, qui nihil vtilitatis ex ea percipient. Verum enim illud futurú est, quod non semel Christus dixit; Multi sunt vocati, pauci verò electi. Quibus verbis significat paucos esse seruandos, licet multis Euangelium proponatur, à multisque credatur. Quare pro virili parte

Quid alijs hominibus Christo percusso factum sit.

In Christi percussione rationes verti vniuersi orbis.

In tres partes omnium gentium homines diuidit propheta.

Apoc. 7.

Multo plures seruabuntur, quam peribunt.

Luc. 2.

Hieronymus.

Multi Christiani peribunt.

Vtilitas mortis Christi ad paucos perueniet.

Esa. 53.

Matth. 20.

parte oportet eniti, vt in his paucis numeremur: præsertim cum de ijs, qui seruandi sunt, propheta dicat statim.

9 *Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.* Tertia pars quæ seruanda est, ducem suum Christum sequatur necesse est: siquidem ipse via est; nemo venit ad patrem nisi per eum: vt ipse testatur. Ipse ostium est, eique ostiarius aperit. Quare sicut ipsum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam, vt ipse auctor est apud Lucam: idem hanc tertiam partem facere oportet. & sicut ipse (vt Paulus ait) tentatus est, debent etiam & qui illum sequuntur tentari. Hoc ergo loco ignis, & vstio ærumnas vitæ, labores, calamitates, & anxietates, quibus viri sunt probi exercendi, & à sordibus repurgandi significat. Nihil enim vitæ cupiditates, illecebras, & animi perturbationes æquè sedat, quàm incómoda, & afflictiones patienter, & æquo animo tolerare: nam vitæ felicitatem contémnere docet, & studio futuræ felicitatis flagrare; in vno Deo sperare; ad eum confugere, ab eo pura mente, & cogitatione pédere: ac deniq; Deum per se, non terrenæ vtilitatis causa diligere, & amare. Qui enim Deum commodi, & compendij sui causa colit, & reueretur, facilè commodo & compendio detracto, ab eo desciscit. Tum homines quantum virtute valeant plerumq; ignorant, quòd vitia ex socordia, & ignauia latenter arrepant: tum sæpe nobis blandientes, quòd disertè de officio disseramus, maiores spiritus, quàm pro viribus attollimus, ignari quátū inter sermoné de officio, & officij functio-

Oportet eos pati qui seruandi sunt sicut ipse Christus passus est. Luc. 24.

Heb. 2. d. & 4. d.

Ignis & vstio ærumnas, & vitæ calamitates significat, quibus purgãtur boni viri.

Nihil æquè animũ sedat quã afflictio.

Quo pacto viri iusti incommoda probent.

nem intersit. quæ omnia cuiusmodi sint, facilè conflictio aperit, & socordiam, ac torporem depellit. Magna Petrus ante certamen iactabat: at postquam pedem cum hoste contulit, spiritus, & arrogantia eius vehementer compressa est. quare rectè Dauid à Deo petebat dicens; Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meũ. Quocirca cùm à Deo decretum sit hanc tertiam partem; cæteris contemptis, quam sibi relicturus est igne, id est, acerbis, grauibusque casibus esse probandam; illud apud se quisque statuat, qui in electis numerari vult, quod Ecclesiasticus monet dicens; Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore; & præpara animam tuam ad tentationem, &c. quia igne probatur aurum, & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis. Qui verò ærumnas, laboresque vitæ vehementer reformidat, & pro se fugit, vt eiusmodi ignem, in quo examinandus est, repudiat; ita Dei amicitiam negligit. Stultum enim & insanum esset, cum victoriæ palmam consequi velle; quiquantum in se est discrimen, conflictumque fugit. Ita ergo se bonus vir comparare debet, vt æquo sit animo ad omne periculũ subeundum, quod Deus probitatis, & virtutis eius facere voluerit, vt ille qui dixit, Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Felix autem, felix qui facto periculo canere cum Dauide potest; Probasti me Domine, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Nocté vocare videtur hoc loco scripturæ more magnas calamitates, quas pertulit. Quid autem præmij

Debet parare se ad calamitates magnas tolerandas, qui cupit in electis numerari.

Eccles. 2. a.

Dei amicitiã negligere videtur qui vehementer vitæ calamitates reformidat.

Vir pius æquo debet esse animo ad omne subeundum periculum.

Psal. 118.

Psal. 15.

Quid praemij bonos viros calamitatibus probatos consequantur.

præmij ſit per tale periculum conſecuturus tertia hæc pars, & vnuſquiſque per ſe, exponit deinde propheta.

Ipſe vocabit nomē meum, & ego exaudiam eum. Id eſt, non ſolùm auxilio meo implorato à malis eum, & periculis reuocabo; ſed etiam eius omnes preces (quod commodo ſuo fiat) audiam, & in votis, & optatis omnibus occurrā. quare quicquid boni optare poſſumus, comprehenditur. Nihil enim boni eſt, quod Deus omnipotens præbere non poſſit: quare ſi preces omnes auditurus eſt, optatis omnibus reſpōdebit. Veram ergo & præſentis, & futuræ vitæ felicitatem, ſi æquo animo examinari ſuſtineamus, conſequemur. magnum quidem & ingens præmium, vt parum aduerſi patienter ferentes, omnia deinceps ad noſtram volūtatem fluant. Quid enim nō habet, qui Deum habet propitiū? Rectè ergo Paulus dicit; Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modū in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. idipſum quod propheta noſter, Dauid canit dicens. Dominus regnauit in æternum, & in ſeculum ſeculi: peribitis gentes de terra illius. id eſt, quæ ad tertiam eius partem nō ſpectatis. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Pauperes vocat pios, fortè quòd in diſcrimine verſantes extrema rerum inopia conflictentur. Præparationem cordis, quam Deus audire, id eſt, attendere, ac cognoſcere dicit, illa animi firmitas, ac conſtantia eſt, qua parati ſunt omnia potiùs incommoda, ac detrimenta ſubire, quàm vt ab officio deſciſcant: & in omne certamen, quod ſeſe obtulerit, æquo animo venire.

In eo quod Deus preces omnes nostras audiat, omne bonum continetur.

Si parum aduersi patienter feramus omnia deinceps ad nostram volūtatem fluent.

2. Cor. 4. d.

Psal. 9. d.

Quid sit illa beneuolè praeparatio quā Deus audit.

Et dicam, populus meus es, & ipſe dicet, Dominus Deus meus. Sequitur aliud præmium, quod tertia illa pars ex probatione ſua feret; quòd Deus illam populum ſuum appellabit. quare innumerabilis etiam bonorum multitudo comprehenditur. Nam ſi populus erit Dei, Deo curæ eſſe oportet, Deumque attingit illius bona procurare, atque ita quicquid ei fuerit opus prouidere, vt nihil ei boni deſit. Rectè verò ſequitur, vt poſtquam tertia illa pars ab omni ſorde igne repurgetur, vt Dei deinde dicatur: nihil enim inquinatum, nihil ſordidum in Dei poſſeſſionem cadet. Id ipſum per Eſaiam Eccleſiæ Deus ſe præſtiturum recepit dicens; Et cōuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum: poſthæc vocaberis ciuitas iuſti. *Et ipſe dicet, Dominus Deus meus.* Quod quidem dictum ſi verè, atque ex animo dicatur, magnam in omni periculo, ac rerum diſcrimine affert confidentiam. Nam ingens pollicetur auxilium: non enim Deus deſpiciet vnquam quod ſuum eſt: nec illum quiſquam re ſua priuare poterit; ſicut ipſe dicit de ouibus ſuis apud Ioannem. Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Quantam verò conſolationem hoc dictum habeat, declarat Eſaias capite vigeſimoſexto. Domine Deus poſſederunt nos Domini abſque te: tantùm in te recordemur nominis tui. id eſt, quamuis Dominos multos habeamus, tui tantùm ſimus, teque vnum Dominum appellemus noſtrum, quo tantis incommodis, & detrimentis leuabimur.

Quod praemium boni viri repurgati consequentur.

Deum attinget eius quē suus est bona procurare.

Vt Dei aliquid dicatur ab omni sorde prius debet repurgari.

Esai. 1.

Quantā afferat cōsolationem si ex animo dicatur illud, Deus meus.

Ioan. 10. e.

CAPVT XIIII.

A 1 Ecce venient dies Domini: & di-
uidētur spolia tua in medio tui.
2 Et congregabo omnes gentes ad
Ierusalem in prælium, & capietur ci-
uitas, & vastabuntur domus, & mu-
lieres violabuntur: & egredietur me-
dia pars ciuitatis in captiuitatem, &
reliquū populi nō auferetur ex vrbe.
3 Et egredietur Dominus, & præ-
liabitur contra gentes illas sicut præ-
liatus est in die certaminis.
4 Et stabunt pedes eius in die illa su-
per Montem oliuarum qui est contra
Ierusalem ad Orientem, & scinde-
tur Mons oliuarum ex media parte
sui ad Orientem & ad Occidentem
prærupta grandi valde, & separabi-
tur medium montis ad Aquilonem,
& medium eius ad Meridiem.
5 Et fugietis ad vallem montium
eorum, quoniam coniungetur vallis
montium vsque ad proximum: & fu-
gietis sicut fugistis à facie terræmo-
tus in diebus Oziæ regis Iuda: & ve-
niet Dominus Deus meus, omnesque
sancti cum eo.
B 6 Et erit in die illa: non erit lux, sed
frigus & gelu.
7 Et erit dies vna quæ nota est Do-
mino, non dies neque nox: & in tempo-
re vesperi erit lux.
8 Et erit in die illa: exibunt aquæ vi-
uæ de Ierusalem: medium earum ad
mare orientale, & medium earum ad
mare nouissimum: in æstate & in hye-
me erunt.
9 Et erit Dominus rex super omnē
terrā: in die illa erit Dominus vnus,
& erit nomen eius vnum.
10 Et reuertetur omnis terra vsque
ad desertum, de colle Remmō ad Au-
strum Ierusalem: & exaltabitur, &
habitabit in loco suo, à porta Benia-
min vsq; ad locum portæ prioris vsq;
ad portam angulorum: & à turre Ha-
naneel vsque ad torcularia regis.
11 Et habitabunt in ea, & anathe-
ma non erit amplius: sed sedebit Ieru-
salem secura.
12 Et hæc erit plaga qua percutiet C
Dominus omnes gentes quæ pugna-
uerunt aduersus Ierusalem. Tabescet
caro vniuscuiusque stantis super pe-
des suos, & oculi eius contabescent in
foraminibus suis, & lingua eorum
contabescet in ore suo.
13 In die illa erit tumultus Domini
magnus in eis: & apprehēdet vir ma-
num proximi sui, & cōseretur manus
eius super manum proximi sui.
14 Sed & Iudas pugnabit aduersus
Ierusalem: & congregabuntur diui-
tiæ omnium gentium in circuitu, au-
rū & argentū, & vestes multæ satis.
15 Et sic erit ruina equi & muli &
cameli & asini, & omnium iumento-
rum quæ fuerint in castris illis, sicut
ruina hæc.
16 Et omnes qui reliqui fuerint de
vniuersis gentibus quæ venerūt con-
tra Ierusalem, ascendent ab anno in
annum

annum, vt adorent regem Dominum
exercituum, & celebrent festiuita-
tem tabernaculorum.
17 *Et erit: qui non ascenderit de fa*
milijs terræ ad Ierusalem, vt adoret
regem Dominum exercituum, non
erit super eos imber.
D 18 *Quòd & si familia Ægypti non*
ascenderit, & non venerit: nec super
eos erit, sed erit ruina, qua percutiet
Dominus omnes gentes quæ non ascē
derint ad celebrandam festiuitatem
tabernaculorum.
19 *Hoc erit peccatum Ægypti, &*
hoc peccatum omnium gentium quæ
non ascenderint ad celebrandam fe-
stiuitatem tabernaculorum.
20 *In die illa erit quod super fræ-*
num equi est, sanctum Domino: &
erunt lebetes in domo Domini quasi
phialæ coram altari.
21 *Et erit omnis lebes in Ierusalem*
& in Iuda sanctificatus Domino
exercituum: & venient omnes immo
lantes, & sument ex eis, & coquent
in eis, & non erit mercator vltrà in
domo Domini exercituum in die illo.

Difficile Zacharia caput.

E*cce venient dies Domini: & diuidentur spolia tua in medio tui.* Difficiles hoc caput habet explicatus, quod nihil in eo simpliciter dicatur, sed per tropos, & obscurissimas figuras: tum confusam habet rerum maximarum narrationem; & de eius expositione non bene conuenit inter interpretes. Quidam de die iudicij, ac tēporibus Antichristi totū exponi volunt; quorum sententia mihi non probatur: nam multa non possunt in illa tempora aptè cadere. alij totum caput ad tempora Apostolorum accommodant; quorum nos explicationi subscribimus, ac eam sequētes ita omnes, in quas incidemus difficultates exponemus, vt nonnihil luminis attulisse videamur. Quoniam superiori capite propheta dixerat, ex tribus terræ partibus duas esse perdendas, & vnam seruandam: exponit nunc speciatim qua ratione duæ illæ perituræ sint, quàmque acerbo, & exitioso bello premētur ab ijs ouibus, quas nefariè percusso pastore dispersherunt; quæ tanquam strenui milites ex accepta clade acriores facti, bellum instaurātes, expeditionē in vniuersos hostes suos magnis viribus parabunt. Conuertēs igitur propheta sermonem in Ierusalem, quæ pastorē ausa est percutere, quapropter ab illa incipienda est illarum duarum partium euersio, atque perditio, ait; *Ecce dies venient.* id est. Nihil est Ierusalē quòd tantum percussisse pastorem glorieris, ac pauculas eius oues dissipasse: nō enim impunè feres: nam tu qui pastoris tenue peculium dispersisti, eos dies videbis, quibus in hostium ditionē redacta, intra tua mœnia milites, qui te occuparint, spolia tua, ac manubias distribuant. Quod expromptum à Tito fuit, cùm vrbis potitus ciues, & eorum bona ad prædā militibus proposuit, vt narratur à Iosepho libro de Bello Iudaico. quo tempore miserabilis Iudæorum strages edita fuit. Id ipsum ei Christus cùm ad mortem duceretur, prædixit, vt est apud Lucam capite. 24. Ecce venient dies in quibus dicent; beatæ steriles, & ventres qui non genue-

Variè exponitur caput Zacharia.

Quam exitioso bello premētur impij.

Ierusalē quæ ausa est Christum pastorē percutere, euertitur.

Luc. 24.

genuerunt,& vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos:& collibus, operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? in eandem sententiam dicuntur à propheta quę statim sequuutur.

2 *Et congregabo omnes gentes ad Ierusalem in prælium.* Ex varijs enim gentibus exercitum Titi coactum esse credendum est: siquidem Romani Imperij socios accersebant, cum expeditionem aliquam parabant.

Quia Ierusalem Christū expulit ab hostibus occupata est.

Et capietur ciuitas. Merito suo ciuitas capietur ea, quæ Deum propugnatorem ex se tanta ignominia expulit: tanto enim auxilio nudata, necesse erat, vt ab hostibus occuparetur: ipsi verò insani, ac mente capti Christum interficiendum contendebant, ne venirent Romani, & tollerent locum

Ioan. 11. f. suum ac gentem, vt narrat Ioannes. Ita plerique, vt paululum compendij faciant, Christum à se amouent: quò

Leue compēdium fraude maxima cōmutant qui Christū abijciunt.

fit, vt leue compendium fraude maxima commutent. Illud enim euenire necesse est, quod Ieremias precatur dicens; Domine omnes qui te derelin

Iere. 17. b. quunt, confundantur.

Et vastabuntur domus, & mulieres violabuntur. Par pari relatum est; vt quoniam ipsa fornicaria aduersus Deum virum suum, ipsum eiecit, & alios Deos accersiuit; ita ab alienis mulieres eius, & matres familias constuprentur.

Et egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem:& reliquum populi non auferetur ex vrbe. Media pars, numerus videtur esse certus pro incerto, vt superiori capite dixi, vel numerus finitus pro infinito, id est, multi ciues ducentur captiui. Meritò etiam factum est vt ij, qui Christum tam sceleratè

Quia Iudæi Christum degarunt ipsi captiui ducti sunt.

pręuenderunt, ac ligarunt, capiantur ipsi, & ligentur ab hostibus. Reliquum vero populi, quod ex vrbe non auferendum dicit: tertiæ illius partis fortè erat, quam superiori capite seruādam esse dixit. Placet enim nonnullis auctoribus aliquos christianos cum terra vastaretur à Tito, gratia Christi superstites fuisse factos. Hoc vrbis excidium nunciauit Esaias. Væ Ariel, Ariel, ciuitas quam Esa. 29.
expugnauit Dauid, & circumuallabo Ariel, & erit tristis & mœrens, & erit mihi quasi Ariel, & circundabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam; humiliaberis, &c. De reliquo verò Esa. 26. d.
populo seruato vaticinatus est idem Esaias. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco sancto, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.

3 *Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis.* Postquam prophetaegit de supplicio, quod Deus iniquæ Ierusalem inhibuit; differit nūc de eo, quod de reliquis omnium gentium hominibus sumpsit, ac de bello, quod eis intulit is, qui Dei percussione subactus esse videbatur, vnà cum suis militibus, qui eadem percussione fusi fuerunt. Egredietur ergo Dominus, ac dux ille clarissimus, qui deploratus, & exanguis in sepulchro iacuit, præliumq; inibit acerbū aduersus gētes illas, quæ Ierusalem vastarūt. Vastata enim est à Gentilibus, maximè Romanis, quibus Deus Euāgelij prędicatione bellū indixit; & in potesta-

Quam graue bellum Deus intulerit gentibus.

Euāgelij prędicatione Deus Romanis bellum indixit.

potestatem redegit, ac in ipsa vrbe Roma domiciliũ Imperij sui posuit.

Sicut præliatus est in die certaminis. Id est, tam acriter pugnabit aduersus hostes istos, quàm superioribus diebus aduersus AEgyptios, qui filios Israel in potestate habebant. Sicut enim tunc eos qui Moysi non crediderunt, plagis magnis, ac incommodis affecit: ita & magnas plagas inferet ijs, qui Apostolis suis fidem non habuerint: de quibus plagis paucis interiectis hoc capite disserit. Ac sicut Moyses non armis, sed virga illa tantùm Deo adiuuante bellum gessit aduersus AEgyptios, eosque domuit: ita Apostoli non vllis armis protecti, sed Euangelij virga tot nationes subegerunt. de qua pugnandi ratione Dauid est locutus Psal. 110. Virgam virtutis suæ emittet Dominus è Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.

Psal. 110.

4 *Et stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad orientem.* Ponit locum vnde bellum gerere exorsus fuisse videtur, qui mons fuit oliuarum: Eò enim copiarum suarum concionem Christus in cœlum mox ascensurus aduocauit, & earum animos ad bellum suscipiẽdum impulit. huius rei testes ipsos Euãgelistas proferre possum. nam Matthæus ait; Vndecim discipuli abierũt in Galilæam, in montem, quem constituit illis Iesus. Montem autem hũc oliuarum fuisse auctor est Lucas, qui post Christi ascensionem de discipulis dicit; Reuersi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem. Ibi autem discipulos ad Euangelium prædicandum excitasse narrat ipse Matthæus loco citato Christũq; discipulis dixisse; Eũtes docete omnes gentes: baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.

Ex mõte oliuarum gerere bellũ Christus incepit.

Matt. 28. d.

Acto. 1. b.

Et scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem prærupta grandi valde, & separabitur medium montis ad Aquilonem & medium eius ad Meridiem. Est locus hic valde difficilis, cuius ego perfectam expositionem ab omnibus, quos vidi expositoribus desideraui. Ita tamẽ, vt mea fert opinio, plenè explicabitur: si intelligamus hoc loco, quoniam propheta agit, de eo rerum statu, cum primũ Christus verus Deus legem, & Euangelium discipulis proposuit, vt toto orbi terrarum exponeretur: hactenus enim eis non erat à Christo concessum, vt alios præterquam Iudæos docerent: ob eam rem in tanta re narranda alludit ad ea, quæ gesta sunt cum primum lex à Deo fuit scripta, & Moysi data, vt illam Iudæis traderet, comparatque allusione tacita mõtem Synai cum monti Oliueti, vt intelligamus ex rerum adiunctarũ maiestate ab eodem Deo hanc, à quo illã esse traditam; nec minore, sed multò maiore reuerentia, ac obedientia hãc, quàm illam esse amplectendam, & omni studio prosequendam. Quæ autem gesta fuerint cum lex illa vetus fuerit à Deo in monte Synai lata, narrat Moyses in Exodo; Totus autem (ait) mons Synai fumabat: eò quòd descendisset Dominus Deus super eũ in igne, & ascẽderet fumus ex eo quasi de fornace, eratq; omnis mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat, in maius & prolixiùs tendebatur. & in Deuteronomio; Et accessistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cœlum; erantque in eo te-

Zacharię locus valde difficilis.

Cõparat prophetalatione Euangelij cũ latione veteris legis.

Exod. 19. c.

Deut. 4. b.

 nebræ

nebræ, & nubes, & caligo. Iosephus in libro de antiquitatibus addit, tanto tunc terręmotu mõtem fuisse conquassatum, eiusmodiq; discessum terram fecisse, vt Iudæi putarẽt Moysen penitus fuisse absorptum, magnoque luctu, & lamentatione eum fuisse prosecutos. id propheta hoc loco tangit ad harumque rerum cogitationem animos aduocat, vt ex hoc dignitatẽ, & amplitudinem Euangelij à Christo traditi intelligamus. Significat hoc montis ad Orientem & Occidentem discessu, magnum in orbe terrarum motum Euangelij prædicationem facturam esse, neque vllam ei rem impedimento futuram, quominus per vniuersum manet orbem terrarũ, qui quatuor partibus distingitur, Oriente, Occidente, Aquilone, & Meridie: ad quas omnes partes hic montẽ Oliueti, id est, Euangelium penetraturũ dicit. Sic Christus in monte Oliueti discipulis suis iussit prædicare Euãgelium omni creaturę. Eadem etiã metaphora, & allusione, qua noster propheta, vsus est Dauid de Euãgelij promulgatione literaliter, & historicè verba faciens; Nubes (ait) & caligo in circuitu eius, iustitia, & iudicium correctio sedis eius: ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota est terra: montes sicut cera fluxerũt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Anuntiauerunt cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius &c. Cœlos Apostolos possumus interpretari, vt Paulus illud Psalm. Cœli enarrãt gloriam Dei. Omnes etiam populi fide viderunt gloriam eius, de quo Ioannes ait; Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.

Dignitas & amplitudo Euangelij.

Magnum in orbe terrarũ Euãgelij prædicatione factum fuisse motum.

Ad omnes mundi partes Euangelium penetraturum.

Marc.16.

Psal.9.b.

Rom.10.

Ioan.1.

Omnes enim populi crediderũt eum esse vnigenitum à Patre.

5 *Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vsq; ad proximũ: & fugietis, sicut fugistis a facie terræmotus in diebus Oziæ regis Iuda.* Eadem persistẽs allusione prædicit Iudæos non amplexuros Euangelium; sed in tanto rerum motu fuga potiùs salutem quæsituros, ac fontem aquæ viuæ Christum relicturos. Tangit autem valde subtiliter propheta eã, quę huius rei pręcesit vmbra; quando vetus illa lex fuit lata. nam scribitur in Exodo; Cunctus autẽ populus videbat voces, & lampades, & sonitũ buccinæ, montemq; fumantem: & perterriti, ac pauore percussi steterunt procùl: quò significabatur, Christo vero Deo legem ferẽte procul recessuros: non enim se Christo coniungent, sed fugiẽt potiùs, sicut hic noster propheta dicit. Ac quemadmodum tunc, vt statim capite citato narratur, Moysi dixerunt; Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus: ita Christo Domino postea docente eum noluerũt audire, sed ad Moysen conuersi sunt, serò iam legem eius nihil eis profuturam amplectentes. De hoc terræmotu, quem accidisse ait temporibus Ozię, nihil narratur in historia Oziæ, quæ scribitur in. 4. Reg. & in. 2. Paralip. tãgitur tamẽ à nostro propheta hoc loco, & ab Amos primo capite. Quidã Hebræi existimãt hunc terræmotũ illũ esse, de quo narrat Esaias. 6. c. cùm templũ totũ vidit tremere: quibus ego nõ assentior. Cæterùm quod hoc loco vulgatus veritatẽ Hebraicã secutus vertit fugietis; Septuaginta vertunt ἐμφραχθήσεται obturabitur: & ita vertit Chaldæus paraphrastes. in Hebræo est נסתם *nastem*;

Iudæos non amplexuros esse Euangelium.

Exod.20.c

Figura repræsentatum fuit Iudæos nõ adhæsuros Euangelio.

Amos.1.a.

Esa.6.a.

fugietis,

Vulgatus & Hebræus cum Septuaginta viris conciliantur. fugietis, si tamen alia puncta appingantur: nam puncta sunt extra dictionem; quapropter variari possunt, vt נִסְתַּם *nistam* dicamus, obturabitur significat. & ita Septuaginta, & Chaldæus paraphrastes legisse videntur. sententia verò optimè cadit, vt ad montis discessum referatur, sic vt rursus cohæreat, ac constipetur, & quasi obturetur.

Et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. Eadem etiam allusio est ad ad montē Synai, ad quem Deū legem laturum venisse dicit Moyses, multis sanctorum Angelorum millibus comitatum. *Deut. 33. a.* Dominus de Synai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharam, & cum eo sanctorū millia: & in dextera eius ignea lex. *Christus in mōtem venit Oliueti magno sanctorū numero comitatus.* Ita Christus in montem venit Oliueti in cœlū migraturus magno tum sanctorum Patrum, quos vinculis liberauerat; tum Angelorum numero comitatus: vt illi duo viri, qui Apostolis apparuêre tunc vestibus albis indutis indicio sunt. id quod etiam Paulus significat eandem perstringens antiquæ legis figuram ita ad Hebræos scribens; *Cap. 12. e.* Non enim ascendistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignē, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, &c. sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam: & Ecclesiam primitiuorum, qui cōscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, &c. Sequitur in propheta.

6 *Et erit in die illa: non erit lux; sed frigus & gelu.* Pro frigore in Hebræo est יְקָרוֹת *iecaroth*, quod res pretiosas significat, & ita vertit vulgatus. 3. Reg. 5. d. Lapides pretiosos in fundamentū templi. declarat ergo lux rerum pretiosarum, magnam & splendidam lucem. pro gelu in Hebræo est יִקְפָּאוֹן *iequipaon*, quod congelatio significat: quod nonnulli ad idem referunt, vt sit lux congelationis, lux densa, id est, magna. Sed mihi magis placet interpretatio Pagnini, qui non lucem, sed noctem subaudit. hoc est, neque erit splendida lux, nec densa nox: conuenit enim vehementer cum eo quod sequitur statim.

7 *Et erit dies vna quæ nota est Domino, non dies, neque nox.* Quò à propheta declarari videtur id, quod proximè dixerat. Hac ergo ratione dicendi enunciat propheta Ecclesiæ, & Reipub. christianę cursum post Christi in cœlos ascensionem, ita vt principiò nec magna dignitate, & gloria polleret, neque omnino labefactaretur, neque prosperam fortunam traheret, neque calamitatibus obrueretur. *Ecclesia cursus post Christum cœlos ascensionem.* quod ita euenisse, & ipsa Apostolorum testatur historia à Luca composita, & aliæ Ecclesiæ historiæ. Nam licet docentibus Apostolis magnæ tragœdiæ, magnæ, & vehementes procellæ per orbem fuerint terrarum aduersus Ecclesiam excitatæ, omnibus vbique regibus, & opibus claris viris Apostolorū doctrinam repudiantibus: *Ecclesia initio vehementer oppugnata, & magno præsidio defensa.* valido tamen tantorum virorum præsidio ita defendebatur, vt deleri minimè posset. Quem statum eleganter Paulus describit. 2. Cor. 4. c. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non perimus. *2. Cor. 4. c.* in eandem sententiam vulgatus interpres, Septuaginta interpretes secutus, interpretatus est, vt diximus, non erit lux, sed frigus, & gelu, id est, non ea luce fruetur Ecclesia,

quæ

eam Mahumetani occuparent: quæ Mahumetana apostasia vniuersam Africam, & magnã Asiæ partẽ peragrauerat. Ac denique ex reuerentia, & obsequio erga Pontificem Maximum, maximè Ecclesiæ potestas cognoscitur. Sed quæ erat illa Imperatorum christianorum erga illum reuerentia, cùm alij Romanum Pontificem magistratu pellerent, alij in vincula conijcerent, alij eius execrationes pro nihilo ducerent, ac denique Pontifex non habebatur, nisi ratum id ab Imperatore foret? At temporibus nostris, magnam Principes, & Reges christiani reuerentiam, & obseruantiam exhibent Romano Pontifici: hæreticos pro virili parte insectantur, nec tales asotos & Sycophantas sinũt viuere. Hispania vniuersa, & Italia omni vacat hæresi, & apostasia; quod vni prouinciæ superioribus tẽporibus vix accidisse reperietis: tũ nouę, & nunquam auditæ, atq; innumerabiles gentium nationes, atque prouinciæ Orientem, & Occidentem versùs ab Hispanis repertæ, & bello subactæ auidè christianam religionem amplexæ sunt. Licet autem multi hæretici nuper exorti Galliam, & Germaniam conturbent: id tamen non impedit quominus Ecclesia & maiorem pacem agitare, & magis imperij sui fines propagasse, quàm vnquam antea dicatur. Quare ne ingrati Deo simus tẽpora semper accusantes, sed immẽsas ei pro tãto beneficio, quòd ijs temporibus nati simus, gratias agamus, ac vesperẽm huius diei, de quo propheta loquitur, in tempora nostra cecidisse putemus. Quare quantum ego coniectura, & opinione auguror, mundi finis, & interitus non longè distat.

Ex reuerentia erga Pōtificem Maximum, maximè Ecclesiæ potestas cognoscitur.

Temporibus nostris magnam reuerētiam christiani Principes exhibēt Pontifici Maximo.

Gratias agere Deo debemus quod his tēporibus nati simus.

Mundi finis non longè distat.

8 *Et erit in die illa: exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earũ ad mare nouissimũ.* Aquam hanc non eandem esse puto, quam eam, de qua capite superiori dixerat, è fonte illo pateti manare: nam fontem illum ad septem Ecclesiæ sacramenta referri diximus: hanc verò aquam ad doctrinam Euangelicam referendam arbitror: quæ quidem aqua meritò nominatur; quoniam ardentes cupiditates, & rerum caducarum sitim restinguit, ac veram satietatem, & requiem præstat. ita à Sapiente vocatur in Prouerbijs aqua, doctrina. Aqua profunda (ait) verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ. *Viuæ* verò hæ aquę dicuntur; quoniam si fide viua Christi doctrina creditur, veram vitam, id est, Spiritus sancti gratiam affert; quæ vita nulla vnquam morte commutatur, sed æterna est. quod apertè Christus declarauit apud Ioannem; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. quod Ioannes declarans adiungit, Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. quod dicit;
Exibunt ad mare Orientale & mare nouissimum. Nouissimũ est, quod vocamus Mediterraneum, quod ex Occidenti Ierusalem respondit. significat ergo aquas has per Orientem & Occidentem, id est, per orbem vniuersum manaturas. Quod Euangelicæ doctrinæ euenisse videmus: siquidem ab Apostolis per vniuersum orbem terrarum promulgata est, ad huiusmodi aquam pertinere existimo visionem illam, quam Ezechiel vidisse narrat; Vidisse (inquam) aquas egredientes subter limen domus ad Orien-

Euangelium cur aqua vocetur.

Prou. 18.a.

Euangelium cur aqua viua dicatur.

Ioan. 7. f.

Ezech. 47.

Orientem, redundantes ad Meridié, & ad mare Occidétis; & quò longiùs aquæ hæ progrediebantur, eò erant profundiores. ita vt principiò cũ eas propheta traduceret, ad talos tantùm eius attingerent; postea tamen ita intumuisse dicit, vt non possent transuadari. Sic enim Euangelicæ doctrinæ cótigit, vt principiò cum pauci essent credentes, ita postea numero aucti sunt, vt non possent numerari; vt dudum cùm explicaremus locum præcedétem exposuimus; vesperi plures christianos fuisse, quàm manè, cum neque magna lux, neque densa nox erat.

8 *In æstate & in hyeme erunt*. Id est, aquæ perennes erunt, nullo vnquam tépore exhauriẽtur; ita vt nec hyeme congelentur, nec æstate exarescát, sed semper facilè bibi, & potari possint. id quod ipse Christus testatus est; Aqua (inquit) quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Viri enim sancti nullo æstu, vel hyeme, id est, nullis laboribus, calamitatibus, & incommodis sic exarescút, vt Dei gratiam abijciant; neque sic frigore rigescunt, atque torpent, vt aduersariorum, & iniquorum hominũ formidine Dei iussa præstare desinát; sed plantatus est vir sanctus secùs decursus aquarum, vt ait Dauid; & fructum suum dabit in tempore suo; & folium eius non defluet, id est, nulla hyeme vastus, & horridus fiet.

Ioan. 4. b.

Nullis laboribus viri sancti sic exarescunt vt Dei gratiam abijciant.

Psal. 1.

9 *Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.* Idem pluribus dixit superiori capite, id est, idola omnia esse delenda, ita vt nemo plures Deos nominare audeat, sed vnum tantum esse Deum, ex quo omnis pendet orbis, fatebuntur. quam rem licet ipsa natura per se doceat, nihilq; sit, quod magis menti, & rationi repugnet, quàm Deos plures esse putare: nemo tamen Philosophus id ciuitati suę vel ad opinioné persuadere potuit: postquam tamen Euangelium eluxit in orbe terrarum, has erroris tenebras omnino expulit. De hoc Dei regno canit Dauid; Dominus regnauit, exultet terra, lætentur Insulæ multæ. & paucis interiectis, quod ad Euangelij promulgationem dudũ spectare diximus, ait; Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriãtur in simulacris suis, &c. quoniá tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos.

Euangelium expulit idololatriam.

Psal. 96.

10 *Et reuertetur omnis terra vsque ad desertum, de colle Remmon ad Austrum Ierusalem.* In Hebræo est יִסּוֹב içob, significat vero סוּב çob, propriè circuire, circũdare: quia tamen qui it, atque deinde redit, quasi circuire videtur, fit vt etiam reuerti significet, vt Reg. 14. f. Reuertatur in domum suam: & reuersus est. vbi verbum est prędictũ. planiùs igitur interpretabimur, si circundabitur vertamus. deserto verò in Hebræo respondit עֲרָבָה haraba, quod desertum, & planiciem significat. illud vero, *Vsque*. in Hebræo est. כְּ. ca, quod est sicut. quare hunc locũ ita ex doctissimorum hominum sententia explicabimus. Terra Ierusalé, quæ alioqui montibus plena est, explanabitur tanquam desertum planum; ita vt facilè circuiri, ac circundari possit à colle Remmon, vsque ad eam eius partem, quæ vergit ad Austrum, quæ via fortè tũc erat accliuior. quo illud primum significat; Ierusalem amplius opus non esse locis natura munitis, neque vllam ex eis munitionem quæsituram: quippe quæ munitioné vniuer-

Reg 14. f.

Nullo hominum præsidio eget Ecclesia.

vniuersam, & præsidium ex Deo sit quæsitura: secundum illud quod capite secundo propheta dixerat; Absque muro habitabitur Ierusalem: & ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu. Significat etiam hac ratione dicendi, quod facilis ad Ierusalem spiritualem omnibus patebit aditus: nam cunctis omnium gentium hominibus Ecclesia patefacta est, vt Esaias ait. Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Hieronymus exponit illud, *Reuertetur omnis terra*, &c. Vt propheta declarare videatur locum, quem Ierusalem occupatura est: sed statim propheta alijs terminis vrbem circunscribit.

Facilis ad Ecclesiam omnibus patebit aditus.

Esai. 60.

Et exaltabitur, & habitabitur in loco suo. Id est, quamuis Ierusalem nullis montibus sepiatur, sed faciles aditus habeat; excelsior tamen, & clarior erit omnibus montibus, & collibus, ita vt vndique pateat, & vndique spectari posit, nullaque sit tam barbara gens, ad quam eius notitia non perueniat, secundum illud quod Esaias dicit. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes. *Habitabitur in loco suo.* Id est, non cogentur ciues eam deserere, sed tuti, & ab omni periculo securi in ea habitabunt: quæ omnia non nisi in Ierusalem spiritualem, id est, Ecclesiam conueniunt.

Omnibus hominibus Ecclesia patebit.

Esai. 2.

A porta Beniamin vsque ad locum portæ prioris, & vsque ad portam angulorum, & turre Hananeel vsque ad torcularia regis. Id est, habitabitur à porta Beniamin, vsque ad locum portæ prioris; & à loco portæ prioris, vsque ad portam angulorum; & à porta angulorum, vsque ad turrem Hananeel, & à turre Hananeel vsque ad torcularia regis. Per hæc loca significare propheta videtur pomarium ducendum. Loca nota erant hominibus illis, quibus cum propheta loquebatur: sed his temporibus incognita sunt. loca tamen disiunctissima esse videntur. Nam hac ratione dicendi significare propheta vult, amplissimam Ierusalem futuram. Vt autem Ierusalem materialem cum spirituali comparat; ita & terminos illius, cum huius terminis: & vt longè copiosiùs, & illustriùs, quæ de Ierusalem materiali dicuntur, in Ecclesiam cadunt: ita & terminos Ecclesiæ multò longiores, atque vastiores, quàm terminos Ierusalem esse putandos: eisdem enim terminis, quibus orbis terrarum Ecclesia circunscribitur. Sic apud Ezechielem termini ciuitatis Ierusalem circunscribuntur. quæ de Ecclesia dici christiani interpretes iudicant, sicut & formam templi ab ipso Ezechiele descriptam. nam illa forma hactenus non est ædificatum templum, sicut neque Ierusalem restituta. Vel fortè illa, quæ ab Ezechiele traduntur, & quæ hic noster enunciat propheta, præstanda sunt vesperi huius diei, postquam Gog & Magog, de quibus proximè narrauerat Ezechiel, id est, Antichristus fuerit omnino deletus, quando ex Iudæis, & gentibus fiet vnum ouile, & vnus pastor; vt Christus recipit futurum. & Paulus; Donec plenitudo gentium

Eisdem terminis quibus orbis terrarum Ecclesia circunscribitur.

Ezec. 48. b.

Ioan. 10.

Rom. 11.

T intra-

intrauerit: & sic omnis Israel saluus fieret.

11 *Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius: sed sedebit Ierusalem secura.* Explicat quod dixerat, habitabitur in loco suo, *Anathema* verò res aliqua esse dicitur, quæ penitus ex-
Iosue.6.c. ciditur, cuiusmodi fuit Ierichò. hoc non patietur Deus vt ampliùs Ierusalem euertatur, sicut antè euersa est,
Nunquam Ecclesiam deseruit Deus sicut deseruit Synagogam. nunquam enim Deus Ecclesiam deseret, sicut deseruit Synagogam, & vt Anathema esset, effecit. At Ecclesia ab hoc malo erit perpetuis temporibus secura, & ob eam rem dicit, *Sedebit Ierusalem secura.* Ita etiam per
Osee.2.d. Oseam futurum promiserat. Arcum, gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter, & sponsabo te mihi in sempiternum. Ex quo factum est, vt primæ
Cur altò in tabulis Christus legem suam scripsit. tabulæ, in quibus fuit lex Moysis exarata, confractæ statim fuerint: secundæ vero diu permanserint. ita & lex secunda à Christo lata nunquam infringenda, & omnino delenda in Ecclesia est. & ob eam rem Christus non in tabulis vilis, sed in ipsis cordibus scripsit, vt non vnà cum tabulis lex frangeretur, & dissiparetur; sed vt illa potiùs lex corda frangeret, & contereret, vt altiùs in illis imprimeretur.

12 *Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnauerunt aduersus Ierusalem. Tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos.* Quoniam de prælio mentionē fecit, quod Ecclesia initura est aduersus omnes gentes, quæ se subijcere Ecclesiæ no-
Quibus plagis sint Ecclesiæ hostes afficiendi. luerint; dicit modò quibus plagis sint afficiendi omnes hostes Ecclesiæ. Est autem animaduertendum quod sicut bona, & animi diuitias, ex bonis, & diuitijs corporis sacra scriptura significat, vt illo cap. aquæ in hyeme, & æstate pro doctrina Euangelica, qua animi sitis extinguitur: ita
Animi incōmoda ex corporis incommodis sacra scriptura declarat. mala, & incommoda animi, ex corporis incommodis declarantur. Vt enim ad illa explicanda alijs nominibus caremus; ita & ad hæc. Rudes enim nimium homines erant, & parùm intelligentes, in detrimentis, & commodis animi, quòd ferè nullas res, nisi corporis tractarent. Non dubito quidem quin sicut multis, varijsque voluptatibus fruentur ij, qui veram felicitatem fuerint adepti: ita multis, varijsque doloribus conficiantur, qui in vincula sunt æterna conijciendi. Et quemadmo-
Quo intelligenda sint supplicia impijs statuta. dum neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, vt Paulus scribit: ita & supplicia, quæ statuit ijs, qui eum inuisum habent. Et sicut illa omnia comprehenduntur æterna felicitate, neque oportet solicitè quærere, quid intersit inter vinum, & mel, quibus delitijs, spirituales diuitiæ significantur: ita omnia hæc continentur pœnis illis, quibus apud inferos scelerati homines conficiendi sunt: neque oportet eorum differentias solicitè quærere, licet varijs nominibus à sacris scriptoribus appellentur. Hæ igitur plagæ, de quibus propheta loquitur, referantur oportet ad eas, quæ apud inferos infliguntur. Neque necesse est commemorare plagas, quas Valentinianus, Maxentius, Maximinus, & alij in hac vita pertulerunt, vt aliqui interpretes cōmemorant: nam hic propheta disserit de pœnis, quibus hostes omnes Ecclesię coercēdi sunt. at non omnes

in hoc

in hoc æuo coercentur; imo multis omnia ad voluntatem fluunt. Tria igitur plagarum genera hic noster propheta proponit: septem verò numerauit Ioannes in Apocalypsi. Vidi (ait) Angelos septem habentes plagas septem nouissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. vterque numerum finitum pro infinito posuit: omnes tamen ab eodem Ioanne comprehenduntur verbis illis. Illa bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectũ agni. quod ait; *Et tabescet caro.* Meritò huiusmodi pœna comparata est aduersus eos, qui non nisi carni inseruiebant, qui nihil magis, quam cuticulam curabant, qui se alijs longè præstare putabãt, quòd maiorem, quàm illi ad indulgendum genio potestatem diuitijs abundantes haberent. Quod vt ante oculos nostros versetur ad arrogantiam compescendam Ecclesiasticus monet. Humilia valde spiritum tuum; quoniã vindicta carnis impij, ignis, & vermis. hac etiam plaga viuens iniquus ille Antiochus mulctatus est, vt narratur secundo Machabæorum. de quo ita ipsa sacrosancta scriptura loquitur: ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent. odore etiam illius, & fœtore etiam exercitus grauaretur: & qui paulò antè sydera cœli contingere se arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.

Apo. 15. & 16.

Apoc. 14. c.

Apta pœna est comparata eis qui nõ nisi carni inseruiunt.

Eccl. 19. b.

2. Mac. 9. b

Et oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo. Nihil est quod harum plagarum causas, & differentias (vt diximus) admodum accuratè exquiramus: aptè tamen propheta hæc tria plagarum genera distinxit. Nam respondent tribus illis peccatorum fontibus, ex quibus (vt Ioannes ait) omnis per mortales manat improbitas. Siquidem omne quod est in mũdo (ait ille) aut est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. concupiscentiæ carnis comparatum est illud supplicium. *Tabescet caro, &c.* Concupiscentiæ verò oculorũ illud, *Oculi eius tabescent, &c.* Superbiæ vitæ, quæ sese linguæ iactantia maximè prodit secundum illud Iacobi: Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat; ei igitur illud supplicium constitutum est; *Et lingua eorum contabescent in ore suo.* Et quantũ ex sacris literis cõiecturam facio linguæ, & oculi iniquorũ hominum Deo infestissimi sunt: vehementer enim ijs hominis membris in sacra scriptura minatur, acerbissimeque in ea se animaduersurum esse sæpe dicit. Oculi fortè, quòd auidissimi sint, semperque in malis struendis versentur: ob eamque causam tenebris, & cæcitate eos vlturus dicit. Ita factum est, vt viri Sodomitæ oculis primùm priuarentur. Linguæ verò propter periuria in Deum, & contumelias, & detractiones in proximos suos, quibus eos acerbissimè, & iniquissimè lacerant, atque vexant, vt Dauid de illis dicit, Lingua eorum gladius acutus. ita diues ille epulo grauiter in lingua torquebatur: & ob eam causam de regno bestiæ quinta plaga percusso Ioannes in Apocalypsi dicit; Factum est regnum eius tenebrosum, & commanducauerunt linguas suas præ dolore. Sequitur in propheta.

1. Ioan. 2. c.

Tribus omnium scelerũ fontibus tria respondent supplicia.

Iacob. 3. b.

Linguæ & oculi iniquorum hominũ Deo sunt infestissimi.

Apoc. 15. c.

13 *In die illa erit tumultus Domini magnus in eis.* Persistit in narratione prælij aduersus hostes Ecclesiæ, describitque ex ijs, quæ in certaminibus euenire solent, vim magnam, & impetum vehementem, & horribilem, quo exercitus Dei hostes suos aggredietur, trucidabit, fundet, & disturbabit. quæ omnia continentur in illo verbo. *Tumultus*: præsertim si verbum attendamus Hebræum, quod est מְהוּמָה *mehuma*, significat enim tumultum cum magna clade coniunctum, vt in primo Regum. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei. quo loco est nomen prædictum. Gladius enim verbi Dei vehementer vniuersum terruit orbem: quippe quòd metum iniecit horribilem æternæ mortis, & inferni. Tum vehementer etiam omnes homines interturbauit; quoniam separauit (vt Christus ait) hominem aduersus patrem, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Tum, cùm homines adeò essent dediti vitijs, & implicati cupiditatibus, non poterant sine magno rerum motu, & graui cócitatione ab eis auocari. Húc tumultum optimè describit etiam Esaias. Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit, in ira Domini exercituum conturbata est terra: & erit populus quasi esca ignis vir fratri suo nón parcet.

Magno impetu Dei exercitus hóstes suos aggredietur.

1. Reg. 5. c.

Verbum Dei vehementer vniuersum terruit orbé.

Mat. 10. d.

Esai. 9. d.

Et apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus eius super manus proximi sui. Quod dicit conseretur, in Hebręo est עָלָה *hala*, quod própriè ascendere significat. & ita ferè semper vertit vulgatus: vt illud; Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Psalmo vigesimotertio. hinc est vt per trãslationem significet in sublime ferri, & quasi fumum euanescere: vt in illo loco, Ne reuoces me in dimidio dierum meorum in Hebræo est תַּעֲלֵנִי *tahaleni*, id est, ne facias vt quasi fumus ascendam, vel euanescam. ita illud Iob. Sicut infertur aceruus tritici in tẽpore suo, in Hebręo est עֲלוֹת *haloth*, succiditur, metitur & quasi ascendit, vel in horrea, aut granaria portatur. Significat igitur propheta, quod homines tanto rerum motu turbati, alius ad alium auxilium petiturus confugiet, eumque implorans manus eius apprehendet: sed nihil perficiet; nam ea manus, quam salutis, & auxilij causa apprehenderint, succidetur, euanescet, id est, nihil ei opis ferre poterit. & alludere videtur in hac ratione dicendi ad id, quod dixerat, Tabescet caro vniuscuiusque, &c. Qua re docet homines vniuersos, & eos imprimis, qui opibus, & hominum subsidio nixi bellum audent aduersus Ecclesiam suscipere, non posse vim, & energiam Euangelij & illa quæ minatur vllo modo subterfugere, tametsi omnes homines opem ferant, nisi ad ipsum Deum veræ salutis portum confugiant. Ita Paulo stupefacto Christus è cœlo dixit; Durum est tibi contra stimulum calcitrare: ipseque consilij inops respondit, Domine quid me vis facere? Ita etiam Ioannes (vt est apud Lucam) dicebat ad turbas, Genimina viperarum, quis ostendit vos fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnientiæ. id est, ad Deum veniam petentes confugite: nam nihil aliud perfugij reliquum est. Quare (ait) ne cœperitis dicere,

Psal. 23.

Psal. 101.

Iob. 5. d.

Nullo humano auxilio se homines à prædicatoribus verbi Dei defendere poterunt.

Acto 9.

Luc. 3.

patrem habemus Abraham. id est, ne in Abrahā spem habeatis: iam enim ait securis ad radicem arboris posita est, id est, Euangelium, quo Synagoga nullos fructus afferens succisa est. & ita ipsi consilij etiam inopes dicebant; Quid ergo faciemus? cum verò vulgatus, *Conseretur*, dicit, & Septuaginta συμπλακήσεται, quod idem est; eandem potest habere sententiam, id est, manus proximi arctè cõplexas tenens obnixè ab eo subsidium petet. vel vt Hieronymus exponit, apprehendent, & conserent manus, hortantes vt ad Deum supplices conuertantur: secundum illud Esaiæ; Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, &c. Sed non ita aptè hæc Diui Hieronymi explicatio mihi cohærere videtur cum ijs, quæ antecedunt, & consequuntur.

14 *Sed & Iudas pugnabit contra Ierusalem.* Innumerabiles aduersariorum copias amplificat ex eo, quod vel ea hominum natio contra Ecclesiam pugnabit, quæ salutem eius potiùs propugnatura videbatur. Quis enim crederet quod Iudas Ierusalem expugnaret, cum ea vrbs tam anxiè, tantaque cura defendi ab hac tribu soleret? cuius euersionem tam ægro, & amaro animo tulerat, & de eius restitutione adeò tunc esset solicita? Non minus absurdum, & ab omni ratione alienum est, quòd Iudæi, qui per tot annorum millia Ecclesiā, quæ vera Ierusalē est, ferè soli apud se tuebantur, de qua adeò gloriabantur, vt hoc cæteris gentibus præstare meritò putarent, quòd ipsi tantùm Dei populus dicerentur. Incredibile etiā videbatur quod Iudæi, qui tam ardenti studio Christum expectabant, tam acerbo, & immani odio caput, & consilia eius venientis oppugnarent. quod si Iudæi aduersus Ierusalem sunt pugnaturi, quæ gens non pugnabit? Quare quis numerare poterit quantus ex omnium gentium hominibus coactus exercitus Ierusalem obsidebit? ex quo facile intelligitur quod sequitur in propheta.

Iudæi Ecclesiam oppugnabunt.

Et congregabuntur diuitiæ omnium gentium in circuitu, aurum & argentum, & vestes multæ satis. Cum tanta sit hominum multitudo Ierusalem obsessura, fit vt victoria parta magnam vim auri & argenti, & vestium ex præda, & manubijs accumulatura sit. Quo significat, Ecclesiam vehementer ex gentibus, quas superabit, esse ditandam: quod ita temporibus nostris euenisse videmus, quibus multa, & opulentissima regna sub Ecclesiæ potestatem ceciderunt. quod etiam vaticinatus est Esaias. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis. & clariùs Ieremias. Propterea omnes qui comedunt te, deuorabuntur, & vniuersi hostes tui in captiuitatem ducentur. Omnes qui te vastant, vastabuntur, cunctosque prædatores tuos dabo in prædam. Obducam enim cicatricem tibi, & vulneribus tuis sanabo, dicit Dominus. Cuius rei expressa figura fuit quod narratur in quarto Regum: extremæ scilicet inopiæ Samariæ subuentum satis copiosè fuisse, ac nimis fuisse ditatam ex præda, quam egit ex Syris eam obsidentibus. Filij etiam Israel spoliauerunt AEgyptios, vt narratur in Exodo.

Ecclesiā vehementer ex gētibus quas superabit esse ditādam.

Esai. 61. b. *Iere. 30. c.* *Figura diuitiarum quas è gētibus Ecclesia comparauit.* *4. Reg. 7.* *Exod. 12.*

15 *Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum quæ fuerint in castris illis sicut ruina hæc.*

Quoniam ex eis, quæ in bello vsuenire solent, quia amplitudinem, & dignitatem quandam præter cæteras res sensibiles præferunt, propheta res ab Ecclesia gestas explicare cœpit, & eius aduersarios cũ exercitu hostium potentissimo comparauit; subtiliter hoc capite ea, quæ sunt in exercitu in tres partes diuidit; in homines, bruta, & res alias sensu vacantes. dixit quid hominibus futurum, quid diuitijs auri, & argenti, & aliarum rerum sensu carentium: exponit modò quid brutis euenturum sit, quæ eadem plaga plectenda dicit, qua & homines, qui expugnare Ierusalem audebũt: id enim est, quod dicit. *Et sic erit ruina equi, &c. Sicut ruina hæc.* id est, hæc quam proximè explicaui. *Tabescet caro, &c.* Sicut enim aquis diluuij non solùm homines, sed etiam iumenta propter hominum peccata perierunt: ita & in bello hoc accidet, vt non solùm hostes occumbant graui vulnere accepto, sed etiam iumenta, & alia bruta, quæ eis opem tulerũt. Ita in Aegypto omnia pecora semel graui sunt vlcere percussa: deinde omnia eorum primogenita occisa. Odium enim Deus habet peccatoris, & illarum rerum, quæ auxilium ei, & subsidium exhibent: & ob eam rem non insipiens fuit illud Regis Niniuis edictum, quo ad Deum placandum, & eius iram deprecandam præcepit dicens; Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquã, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum: vt enim pœna peccati ad pecora pertinet; ita & ad ea pœnitentia pertineat.

Quæ in exercitu sunt, subtiliter in tres partes propheta diuidit.

Pecora propter iniquos homines solent à Deo puniri.

Ionæ 3.

16 *Et omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus, quæ venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, vt adorent regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.*

Cum dicit omnes qui reliqui fuerint venturos in Ierusalem, vt adorent Dominum exercituum, planum facit eas plagas, atque pœnas, quibus conficiendos esse dixit Ecclesiæ hostes, non in præsenti, sed in futuro æuo eis esse comparatas. Non enim omnes quos in præsenti æuo Dei supplicium non coercet, veniunt in Ecclesiam, vt verum Deum adorent, & obseruent; cùm multi reliqui sine infideles, qui rebus secundis vtantur. At omnes qui liberari volunt pœnis, & supplicijs aduersarijs Ecclesiæ post mortem constitutis, veniant necesse est in Ierusalem, & adorent Dominum exercituum. Quare hoc loco probatur etiam veram illam esse explanationem, quam de plagis posuimus. Cum dicit. *Adorent regem Dominum.* Et fidem, & obsequium erga Deum vnà comprehendit. Fide opus est vt verum esse Deum credamus, cæteraque omnia quæ Ecclesia de ipso proponit credenda. Obsequium, vt dictis eius, atque præceptis audientes simus, quæ qui non fecerit, pœnas decretas persoluat oportet. Hanc adorationem quam Deo præstabunt ij, qui aliquando eius inimici fuerunt, præsensit etiam Dauid dicens, Coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent, & viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper: tota die benedicẽt ei. & Esaias. Veniet ad te curui filij eorũ qui humiliauerunt te, adorabunt vestigia pedũ tuorum qui detrahebant tibi. Quod dicit;

Plagas quibus conficiendi sunt Ecclesiæ hostes in æuo futuro eis esse cõparatas.

Adoratio quid comprehendit.

Fide, & obsequio erga Deum nobis opus esse.

Psal. 71.

Esa. 60.

dicit; *Ascendent ab anno in annum.* Allu
Deut. 12. dit ad id, quod lege veteri cauebatur, vt vno tantùm loco esset templum Dei, ad quod, qui Deum essent adoraturi, venire oportebat: veniebant autem singulis annis tribus illis festis, solennitatibusque præcipuis, sicut de
1. Reg. 1. 2. Elcana dicitur. 1. Reg. Et ascendebat vir ille de ciuitate sua, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Sylo. quia verò ædes Dei in Ierusalem ædificata fuit, ad Ierusalem veniri oportebat. Quod erat imago atque figura eius, quod postea per Christum effectum fuit, vt extra Ecclesiam nullus esset Dei adorandi locus; sed in Ecclesiam veniat oportet, qui Deum adoraturus est. Sicut autem ponimus in oratione verba significantia pro rebus, vt Dialectici docent: ita non semel hoc capite propheta noster imaginem ponit pro ea re, quam significat. id est, venient qui reliqui fuerint in Ecclesiam, vt Deum colant, & adorent. Sicut enim omnes ad vnum homines, & cætera omnia animalia, quæ non ingressæ sunt in arcam Noe extincta sunt; sic & qui in Ecclesiam non cófugerint. ita Christus; Qui crediderit, & baptizatus
Marc. 16. fuerit, saluus erit. & Paulus; Omnis quicunque inuócauerit nomen Domini, saluus erit. quod dicit.

Repræsentatum fuit veteri lege tamen nullum extra Ecclesiã esse adorãdi locum.

Imaginẽ pro re quam significat propheta ponit.

Ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. Hic etiam ponit vmbram, atque figuram pro re, id est, ad ea festa celebranda, quæ Ecclesia ad fidem, & religionem profitendam celebrari præcepit. Vtitur autem Synecdocha, speciem pro genere nominans festiuitatem tabernaculorum, id est, venient ad festa celebranda.

Et erit qui non ascenderit de familijs terræ ad Ierusalem vt adoret regem Dominum exercituum non erit super eos imber. Ponit pœnam, quam pendent ij, qui Deum non adorabunt; quod expertes imbris sint futuri, quæ est omniũ maxima pœna, & ex quo reliquæ omnes effluunt. Imbrem autem vocat Euangelium, quemadmodum Moyses suam doctrinam imbrem appellauit. Concrescat (ait in Deuterono- Deut. 32. a. mio) in pluuiam doctrina mea, fluat quasi ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. & de ipso Dauid canit; Psal. 71. Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillãtia super terram. & in hoc capite paulò superiùs disseruimus, quare Christi doctrina vocetur aqua. Meritò verò hæc pœna instituta est eis, qui Deum non adorauerint, & ipsa id ratio peccati postulat: nam Euangelium sua vi, atque natura fidem in Deum, & obsequium requirit; quæ adoratione includi diximus. quare sublata adoratione tollitur etiam fides, & obsequium: quibus sublatis, nullus Euangelio locus relinquitur. quamobrem qui Deum colere, & adorare renuit, ipso suo facto pœnam pendet grauissimam, Euangelium repudians, in quo vno tota eius salus posita est. Sicut enim plantæ imbre prorsus destitutæ, protinus exarescunt, atque deficiunt: sic & qui Euangeliũ Dei non tenent, ita deficiunt, vt æternam mortem sustineant. & ob eam rem Christus dixit; Qui non credit, iam iudi- Ioan. 3. catus est: nam suo facto condemnationem suam, & mortem includit cùm vitam à se reijciat.

Imbrem Euangelium vocat.

Apta pœna afficitur qui Euangelio nõ crediderint.

Quod etsi familia Ægypti non ascenderit, & non venerit, nec super eos erit, sed erit ruina qua percutiet Dominus omnes

gentes quæ non aſcenderint ad feſtiuitatem tabernaculorum. Poſito genere, ſubijcit ad maiorem declarationem, aut exempli cauſa ſpeciem, vt, AEgyptus imbre priuabitur, ſi Deum non adorauerit: neque ei quidquam proderit, quòd agros habeat irriguos. Hac enim de cauſa AEgyptum ſolummodo ſubieciſſe puto, quòd non cœleſti pluuia, ſed Nilo per eā hác & illác præterfluente rigatur: vt ex hoc intelligamus, aliud genus imbris hic intelligere, quàm quod ex vapore fit, quo quidem omnes ad vnum regiones terræ egent: qui non eſt, niſi Euangelium, vt diximus; Addit aliam pœnam, quam infideles AEgyptij præterea dabunt, quæ ex hac ſequitur; illa inquam ruina ad illos attinebit, qua omnes gentes ſunt perituræ, quæ expugnauerunt Ieruſalem, de qua ſuprà dixit.

Tabeſcet caro vniuſcuiuſque. &c. Eſt autem hic animaduertendum, quod cùm antea dixerit hanc pœnam repetendam ab ijs, qui Ieruſalem expugnauerint, nunc verò dicit ab eis, qui non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum eſſe ſumendam; eiuſdemque rationis eſſe docet, & Eccleſiæ inferre bellum, & nolle ei obedire, in eaque Deum colere, ſicut Chriſtus ait; Qui non eſt mecum, contra me eſt, Lucæ capite vndecimo. quare æquum eſt vt omnes eadem ſupplicia ſubeant. ita Paulus ait Romanorum primo; Reueletur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritaté Dei in iniuſtitia detinent, id eſt, eorum qui propter ſcelera, & flagitia ſua non cognoſcunt verum Deum, cum eum vel ipſa natura, & ratio monſtret, ſi non eſſet infecta, & contaminata flagitijs.

Eiuſdem eſſe rationis Eccleſiæ inferre bellum & nolle ei obedire.

Luc. 11.

Rom. 1. b.

19 *Hoc erit peccatum AEgypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.* Perſiſtit in eadem ratione dicendi vt ſpeciem pro genere ponat, imaginem pro re ipſa. id eſt, magno crimini vertetur omnibus gētibus, quæ Deum non adorauerint. Ex eo tamen quod dicit. *Hoc erit peccatum AEgypti.* & poſtea adiungit. *Et omnium gentium.* Apertè probatur, veram eſſe eam explicationem, quam nos poſuimus loci ſuperioris, vt ſpecies pro genere poneretur. quod verò dicit, *Hoc erit peccatum.* Id eſt, maximum, & præcipuum ſcelus gentium omnium: ſicut Chriſtus licet multis Iudæi eſſent aſtricti criminibus, peccatum tamen eorum eſſe dixit, quòd ei non crediderunt: Ego vado (ait) & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. & alio loco eiuſdem capitis; Si non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Eſt autem flagitium omnium grauiſsimum eum nolle adorare, cuius ſumus natura ſerui, & à quo omnia habemus, & per quem viuimus, mouemur, & ſumus.

Ioan. 8. c.

Quam graue ſcelus ſit Deū non adorare.

20 *In die illa erit quod ſuper frænum equi eſt ſanctum Domino.* Locus eſt difficilis, & ita variè explicatur. Quidam, quod tantam mundus pacem habebit, vt nullo ſit opus equitatu, quo in prælijs vtimur: & ob eam rem omnes equorum phaleræ, & tintinnabula Deo conſecrabuntur. Alij dicūt, quod ſuperuacanea equorū ornamēta conferentur ad Dei cultū, & pauperū vſum. in Hebræo enim eſt מְצִלּוֹת mezilloth, quod verbum non frænum ſed fræni tintinnabula, atque phaleras ſignifi-

Locus Zachariæ difficilis qui variè exponitur.

Locus Zacharia difficilis accurate exponitur. significare dicunt. Sed in his, & alijs expositionibus id desidero, quod non explicāt rationem dicēdi, quam si animaduerterent, aliam fortè explicationem magis probarent. Quare oportet in memoriā reuocare quod

Exod. 28. g. Deus fieri præcepit in Exodo, cum Pontificis Maximi vestium, & ornamentorum sacrorum rationem traderet, laminam auream fieri iussit, in eaque sculpi hoc, quod noster propheta dicit sculpendum in frænis equorum. *Sanctum Domino.* Hanc verò laminam ligari iussit in tiara Pontificis Maximi, ita vt semper eius fronti emineret: cuius instituti rationem ponit dicens, vt placatus sit ei Domi-

Exod. 28. g. nus. denique hac inscriptione placabatur Deus. Vt ergo ad propositum nostrum redeamus, quoniam propheta res ab Apostolis gestas, ex ijs, quæ in prælijs eueniunt, hactenus explicuit, eandem prosequens similitudinem, Apostolis, & alijs præclaris Ecclesiæ viris habitum, & speciem præbens strenuissimorum militum, eos fingit hic equis ad dimicandum vectos: quòd clariùs ipse propheta

Zacha. 10. dixerat capite decimo, Visitauit Dominus gregem suum, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello, &c. & erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio. in horum ergo equorum phaleris erit scriptum,

Ecclesia doctores nihil aliud in prælio subsidij requirent, nisi vt sibi Deū habeant placatum. *Sanctitas Domino.* Vt sibi Dominum in prælio habeant placatum, atque propitium: qua spe nihil amplius curantes, nullas hostium iras, nullos nefarios impetus formidabunt. hac

Rom. 8. f. spe elatus Paulus dicebat, Si Deus pro nobis, quis contra nos? illa verò inscriptione in corde quidem inscripta placatur Deus: quoniam in se continet eam adorationem, quam suprà propheta dixit Deum ab omnibus gentibus postulari, eaq; vna esse contentum: hæc enim laus nimis Deo grata est, qua illum sanctum prædicamus. Ita Esaias capite sexto audisse testatur Seraphinos propter Deum assistentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, clamantes. Iam verò illa lamina ornabatur tantùm Pontifex Maximus in sancta sanctorum ingressurus: at per Christum equorum illa inscriptio ornamentum est, id est, eorum virorum, qui se strenuè gesserint in prælio: tales enim verè intrant in sancta sanctorum, id est, in regnum cœlorum, sicut Christus ait, A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Quare non solùm Pontifex Maximus mactabit hostiam expiationis, & expiationem solus instituto veteri faciet; sed omnes qui hac inscriptione, vt dixi, fuerint ornati, huiusmodi sacrificium facient, & alias offerent Deo hostias non solùm in templis lapideis, sed imprimis etiam in corde, atque spiritu suo: has enim hostias Deus præter cæteras amat, eisque maximè delectatur. de quibus templis, & hostijs eloquenter Petrus loquitur, Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Cum igitur talium sacerdotum, atque Pontificum infinita futura sit multitudo, ac proinde sacrificia innumerabilia facienda, rectè propheta fore subiungit.

Nimis Deo grata ea laus est, qua illum sanctum prædicamus. Esai. 6.

Qui verè id bona lege intrant in sancta sanctorū. Matt. 11. b.

Leuit. 16.

Quas hostias Deus præter cæteras amat.

1. Petr. 2. a.

Erunt lebetes in domo Domini quasi phiala

phiala coram altari. In phialis sanguis victimarum excipiebatur, in lebetibus verò carnes oblatæ coquebantur. Ex quo fit, vt longè maior esset numerus phialorum, quàm lebetum: nam vniuscuiusque victimæ sanguis primùm fundebatur: at non ex omnibus quidpiam carnium reliquum erat ad coquendum. Nam quodam sacrificij genere, quod holocaustum vocabatur, cuius erat frequētior vsus, omnis caro victimæ igne absumebatur: at per Christum cum tanta futura sit, vt exposui, afferentium multitudo, erit vt lebetum sit tanta copia ad carnes coquendas, quanta erat antea phialarum ad sanguinem excipiendum. Seruat eandem docendi formam, quam hactenus, vt vmbram pro veritate ponat. quare lebetes hi eiusdem rationis erunt, cuius hostiæ, quæ sunt spirituales, vt Petrus loco citato docuit. Lebetes igitur erunt mētes, & animi christianorum, quibus preces, vota laudes, cogitationes, contemplationesque sanctæ igne charitatis coquentur: hæ hostiæ spirituales; illæ verò lebetes erunt. De hac hostia Paulus Hebræis scribit dicens; Per ipsum afferamus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.

Vmbram pro veritate ponit propheta.

Christianorū hostiæ quibus lebetibus coquentur.

Heb. 13. b.

21 *Et erit omnis lebes in Ierusalem, & in Iudæa sanctificatus Domino exercituum.* Id est, mentes & animi, quos lebetes esse diximus christianorum, erunt sanctificati, atque Deo consecrati. Sicut enim lebetes, & omnia reliqua vasa, & templi supellex sanctificabantur, si vngerētur oleo vnctionis, quo & ipse Pontifex Maximus vngebatur, vt est in Leuitico: ita & mentes christianorum Deo consecrātur, quòd oleo illo gratiæ Spiritus sancti vngantur, quo & ipse Christus vnctus est: & propterea Christus appellatur, quod est vnctus. & de illo scribit Dauid; Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Et fideles christiani dicuntur, quasi quodam modo vncti, quia de plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia vt Ioannes ait; ita & Paulus prima Corinthijs scribit capite sexto; Sanctificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri.

Leuit. 8. b.

Quonam oleo mentes christianorū sanctificentur.

Psal. 44.

Ioan. 1. b.

1. Cor. 6. c.

Et venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis & non erit mercator vltra in domo Domini exercituum in die illo. Id est, cum futura sit tanta lebetum consecratorum copia, integrum erit vnicuique sumere ex carnibus coctis, & quas voluerit de integro coquere; Semper vult propheta vt ex vmbra verum rei corpus intelligamus, vt orationem sibi vndique respondentem, & aptè cohærentem conficiat. Tum vt cognoscamus, quò imagines, & vmbræ veteris legis referendæ sint. Libetum ergo futurum vnicuique propheta significat, & precibus, & laudibus sanctè cogitatis, atque compositis vti, & alias ipse de suo componere, sic Paulus faciendum præcipit; Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. Quod dicit; *Non erit mercator.* Quidam interpretantur, non erit Symonia in Ecclesia: quod non multum aptè in hunc locum conuenire videtur. sed significat, quod cum sacrificaturi ad huiusmodi sacrificia nihil vitulis, nihil arietibus, & agnis, & alijs

Ex vmbrâ vult prophetia vt rei corpus intelligamus.

Ephe. 5. d.

Cur non erit in Ecclesia mercator.

& alijs similibus vt antè egebunt; sic nihil etiam lebetibus opus futurum sit. sicut autem non erit qui emat hæc, ita neque qui vendat: quare mercatores non erunt, sicut Esaias clamat; Venite, emite absque argento & absque vlla commutatione vinum & lac. in Hebræo est כְּנַעֲנִי quenahani, quod mercator significat: potest etiã significare Chananæum: & ita vertunt septuaginta viri: & quidam doctiores Hebræi, quod non ineptè cadit, referri volunt ad Gabaonitas, qui erant Chananæi, quos Iosue adixerat sanctuario vt ligna cæderent, & aquam ad sacrificia portarent. Cum igitur talia sint futura sacrificia, qualia exposuimus, nihil Chananæis, qui ligna cædant, & aquam importent, opus erit.

Esai. 55. a.

FINIS.

Laus Deo qui dat lasso fortitudinem.

SALMANTICAE,

Typis Mathiæ Gastij.

M. D. LXXVII.



INDEX LOCORVM SACROSANCTAE SCRIPTVRAE QVAE IN HIS COMMENTARIIS CITANTUR, & declarantur. P. paginam. A. primam columnam. B. secundam declarat.

GENESIS.

Exodi.

Leuitici.

Numerorum.

 103 Ex-

9 Vni-

Ieremias.

2 Nun-

Threni.

Baruch.

Ezechiel.

Acta Apostolorum.

Epistola ad Romanos.

Prima ad Corinthios.

47 Ecce

9 Vni-

43 Surdi

Ieremias.

2 Nun-

Threni.

Baruch.

Ezechiel.

10 Nonne

Marcus.

Lucas.

Ioannes.

Apocalypsis.

Finis Indicis locorum scripturæ.

INDEX RERVM QVAE HIS COMMENTARIIS TRACTANTVR ORDINE ALPHABETI dispositus. P. paginam. A. primam. B. secundam declarant.

A.

B.

C.

D.

Domum

Ecclesia

Fraude

Ierusalem

N.

O.

Persa

Q.

R.

Remittere

S

T.

V.

Z.

Finis Indicis rerum.



